DIATRIBE
IN SENECAE PHILOSOPHI FRAGMENTA

SCRIPSIT

ERNESTVS BICKEL

VOLVMEN I

FRAGMENTA DE MATRIMONIO

LIPSIAE IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI MCMXV

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

FRANCISCO BVECHELERO
PRAECEPTORI DEFVNCTO

ϹΤΕΡΞΟΝ ΟΜΩϹ ΥΠΟ ΓΑΙΑΝ ΕΩΝ ΕΠΙΤΥΜΒΙΑ ΚΕΙΤΑΙ
ϹΩΚΡΑΤΙΚΩΝ ϹΧΟΛΕΩΝ ΚΑΙ ΦΙΛΙΑϹ ΕΝΕΚΑ

a*

Hermannus Vsener Theophrasti *περὶ γάμου* excerptum in Hieronymi opere *adversus Iovinianum* obvium ad *περὶ βίων* libros a Laertio Diogene laudatos rettulit. cuius opinionis aliorum commentis obstrictus rhetoricum *θέσεων* opus in censum vocantium parum memor eram, cum in eodem Hieronymi libro incidi in fragmenta veteris peripatetici *περὶ ἁγνοῦ βίου* scribentis. tunc postquam conspirare me cum Vsenero intellexi, eo maiore cum fiducia opus *περὶ βίων* ex ecclesiastico latino elicere temptavi. at illud opus, quo intercedente Theophrastum in Hieronymum venisse affirmo quodque praeter Senecae dialogum *de matrimonio* et Tertulliani adulescentis librum *ad amicum philosophum* restituere conatus sum, testimonio nullo antiquo nec verbo ullo doctorum huius aevi in historia litterarum et philosophiae veteris commemoratur, dico Porphyrii opus morale in argumento *ἁγνείας* versatum.

Senecae causa Hieronymum adii. perditorum librorum Senecae reliquias ut ex ecclesiasticis colligerem cum animo proposuissem, trium potissimum operum explorationem Diatribe mea promovere institui: Hieronymiani illius, Lactantii *divinarum institutionum* et Augustini *de civitate dei*. nam Martinum Bracarensem, qui ex Senecae *de officiis* opere centonem *formulam vitae honestae* consuit, brevi dumtaxat commentatione in *musei Rhenani* t. LX inserta absolvi[1]); sexti saeculi hominis studia simplicibus subsidiis fulta facile perspiciuntur. at ex Hieronymo fragmenta *de matrimonio* congerere difficillima quaestio esse quae instaret maxime praeparanti mihi collectionem novam fragmentorum Senecae inde videbatur, quia prior fragmentorum editor Fridericus

1) cf. Manitius, *Gesch. d. lat. Lit. des Mittelalters* p. 111; Schanz, *Gesch. der röm. Litt.* II 2² p. 408.

Haase in locis Hieronymianis Senecae addendis multum peccavit. quocirca Hieronymum etiam ante Lactantium aggressus sum ne ea quidem re deterritus, quod editio Vindobonensis librorum *adv. Iovin.* adhuc desideratur. fundamentum criticum horum studiorum ex codicibus petivi, quos excutientem me praefecti bibliothecarum Capitularis Veronae, Vaticanae et Nationalis Romae, Monacensis et Bernensis nec non Kiliensis beneficiis obstrinxerunt, quibus gratum meum animum hoc verbum testificetur.

Loci *περὶ γάμου* ab Hieronymo tractati gratia in hunc inquirens passim tamen ipsius gratia studia extendi. dignus enim scriptor est, cum furta amplissima commiserit, cuius eruditio et scribendi ratio ab omni parte intellegantur et illustrentur. praesertim Appendice qua alienam ab argumento *περὶ γάμου* eruditionem saecularem libri II *adv. Iovin.* recensui et breviter commentatus sum, musivam scribendi artem Hieronymi explanabam a schola Alexandrina catechetica repetendam. talem fuisse artem Clementis Alexandrini Muenzel et Staehlin viderunt.

Buecheleri memoriae sacrum librum esse volui ob pietatem caro capiti semper debitam; qui philosophiae graecae partem ex latinis litteris instaurare cupienti saluberrimo consilio illis annis adfuit, quibus redux ex Thesauro Monacensi et Woelfflini disciplina Bonnae a seminario philologico eram initiaque studiorum Annaeanorum in Martino Bracarensi posita elucubravi. latinitatem tam Senecae quam scriptorum recentiorum praecipue observandam esse commonebat; loquelam ecclesiasticam qua ille per paraphrasin reddatur, dinoscendam esse a propria recentiorum consuetudine et interpretatione fontium graecorum. sermo latinus mihi primarius dux quo sentiatur verum, etiam illis locis factus est, ubi graviora rerum argumenta postea se obtulerunt. in conformando iudicio, quid cuique aetati latinitatis tribuendum sit, rationes Buecheleri, quantum potui, sequebar abhorrentes valde cum ab iis rationibus, quas temporibus ipsius praeter eum nomen habentes doctores sermonis latini per saecula persequendi exercebant, tum ab eorum more, qui his annis novi provenerunt sordes sermonis vulgaris et saeculorum inferiorum in archetypis argenteorum et aureorum scriptorum inventas illis ipsis obtrudentes. ceterum annos illos Bonnenses recordor non immemor Augusti Brinkmann, cuius ex consuetudine quaerendi sana et circumspectissima fructum, si quid sentio, in vitam omnem percepi.

In plagulis corrigendis iudicio strenuo et elegantia praesenti Carolus Hosius me adiuvit collega quondam Gryphiensis mihi benevolentissimus; primas etiam Sigofredus Sudhaus, priusquam pro patria cum laude sua et maerore suorum occubuit, inspexerat.

Domnaedius aedium Teubnerianarum librum sic exornavit, ut gratiae plenus sim; nec per bella defuit litteris et iniquo patriae tempore documenta munificentiae generosae praestitit.

Scripsi Kiliae mense Martio a. MCMXV

E. Bickel.

CAPITVM TABVLA

I DE THEOPHRASTI APVD SENECAM ET HIERONYMVM MEMORIA

Theophrasti disputatiunculam de matrimonio aliquam asservavit latine redditam Hieronymus *adversus Iovinianum* I 47 p. 313 B—314 E Vall., Annaeo Senecae acceptum referunt vulgo fragmentum Theophrasteum, quem compilaverit Hieronymus sive Hieronymi auctor ecclesiasticus alius. atque appellatur nominatim Seneca in opere *adv. Iovin.* cum aliis locis compluribus tum eo, ubi ipse prodere videtur Hieronymus, quo ex fonte affluxerit ad eum eruditio vetus in sermone christiano eius de nuptiis obvia, p. 318 B: *scripserunt Aristoteles et Plutarchus et noster Seneca de matrimonio libros, ex quibus et superiora nonnulla sunt et ista quae subiecimus.* nimirum hoc verbo fretus, segregatis Plutarcheis quae facile segregari possent ut sumpta ex opere Plutarchi etiam nobis servato γαμικῶν παραγγελμάτων, non dubitavit Fridericus Haase in editione fragmentorum Senecae anno 1852 Lipsiae emissa omnem fere de nuptiis doctrinam antiquam Hieronymi ad Senecae dialogum de matrimonio adhibere a se restituendum.

deinde qui post Haaseum in Senecae librum illum deperditum inquisivit curiosius Felix Bock, *Aristoteles Theophrastus Seneca de matrimonio* (*Leipz. Studien* t. XIX a. 1899 p. 1 seqq.), etiam plura Hieronymiana assignavit Annaeo. apud Hieronymum enim exemplis matronarum et placitis de matrimonio c. 43—49 ex litteris philosophorum depromptis antecedunt virginum exempla laudesque virginitatis c. 41 et 42, ipsa quoque hausta ex eruditione philosophica. ac ne hanc quidem partem 'mundi sapientiae' quam vocavit Hieronymus p. 306 B quamque adnexuit largissimam sapientiae christianae, alienam fuisse Bockius p. 12 seqq. credidit a libro Senecae de matrimonio. nec non et id statuebat Bockius p. 11 seq. et 17 seq., applaudentibus cum aliis tum Carolo Praechter, *Hierokles der Stoiker* (Lps. 1901) p. 123, Aristotelis nomen citatum in Hieronymo p. 318 B originem trahere ex libro Senecae.

sed vide ne parum accurate instituta sit dialogi Annaeani adumbratio tam ab Haaseo quam a Bockio. nempe Hieronymo de virginitate et de nuptiis disserenti auctorem ethnicum et philosophicum tertium quendam praeter Senecam et Plutarchum, obrutum illum silentio cauto ab Hieronymo ipso, aut fallor aut equidem tibi probabo praesto fuisse gravissimum. ita resectis quibus dialogus Senecae de matrimonio caruit aliunde petitis ab Hieronymo, veram eius dialogi imaginem, quoad fieri poterit, recuperabimus. qua in re exordium commode sumitur ab eclogae Theophrasteae illius interpretatione latina, qualem ferunt deberi Senecae.

1

Cuius de eclogae origine et interprete latino ut certiorem sententiam ferri nunc posse quam priore aetate spes sit, id codicum notitia accidit opus Hieronymi *adv. Iovin.* continentium. nam quasi conscia cuius compos facta sit thensauri a Theophrasto philosopho nobilissimo relicti carta Hieronymiana *adv. Iovin.* codicibus nobilissimis ipsa nobis traditur. cum vetustate tum scriptura diligentissima et condicione ab omni parte optima praestantem librum inspexi autumno anni 1909 Veronensem XVII 15 saec. VII (*E*)[1], item alterum antiquissimum Romae Sessorianum CXXVIII saec. VII/VIII (*S*). quos libros accurate descripsit A. Reifferscheid, *Bibl. patr. l. It.* I p. 88 et 146 seq. (*Wiener Sitz.-Ber.* IL 1865 p. 88 et L 1865 p. 737), novissimus de iis adnotavit breviter L. Traube, *Vorl. u. Abh.* t. I *Zur Palaeogr. u. Hdschr.-Kunde* ed. a P. Lehmann (Mon. 1909) p. 230 et 251, qui tamen opus *adv. Iovin.* inesse codici Veronensi praeter epistulas a se dictas dicere neglexit. Sessorianus nunc notatus num. 2109 in bibliotheca Nationali saeculo VII tribuitur eidem cui Veronensis. neque qui inferiore aetate quam Veronensem Sessorianum iudicaverat exaratum esse, ab illo pendere hunc codicem voluit Reifferscheidius, immo lectionibus bonis passim Sessorianum antecellere Veronensi palam dixit. atque vera sensisse Reifferscheidium etiam hae

1) hac nota utor in codice Veronensi significando, eadem qua Isidorus Hilberg usus est in ed. Vind. epistularum Hieronymi, ubi cf. t. I p. 350 al. — ad eundem Hilbergium accommodavi me etiam in eo, quem statim commemorabo, codice appellando Monacensi 6313 = 𝔰 (v. ibid. p. 347).

paginae opinor firmabunt. itaque ex memoria manuscripta saeculi VII, varia illa et luculenta, orationem Hieronymi paene integram cognosci, haud temere sibi aliquis persuaserit. nihilominus recentiorum librorum, qui plurimi sunt inde ab aevo Karolino operis *adv. Iovin.*, insuper nonnullos inspexi; primum ut menda levidensia aliqua librorum *E* et *S* communia tollerem codicum auctoritate nixus neque eius generis locis penderem totus a vulgata Vallarsii; deinde ut antiquissimis libris ipsis secum pugnantibus adminicula intellegendae traditionis verae plura suppeterent; denique ut exemplis expertum haberem, quomodo saeculis vertentibus immutata esset memoria Hieronymi. contuli igitur quinque praeterea codices: Monacensem 6313 (𝔖) saec. X sub Abrahamo episcopo Frisingensi annos 957/993 sedente scriptum (v. *Cat. cod. l. bibl. r. Mon.* I 3 p. 91), alterum Monacensem 14536 saec. XI (*M*) (v. ibid. II 2 p. 189), praetera Vaticanum 341 saec. X/XI (*A*) (v. Reifferscheid, *Wien. Sitz.-Ber.* LXIII 1869 p. 686), et Bernenses duos 396 s. XI (*B*) et 251 saec. XII/XIII (*C*) (v. Hagen, *Cat. cod. Bern.* p. 363 et 286). atque de ratione inter hos codices et antiquissimos *E* et *S* intercedente accuratius dicam in praemonitis textui praemittendis totius sapientiae saecularis Hieronymi capitum 41—49 sub calce libri.[1])

ad codices autem Hieronymi accedunt testimonia scriptorum eorum qui eclogam Theophrasteam medio aevo ex Hieronymo excerpserunt, imprimis saec. XII Petri Abaelardi, *theol. christ.* 2 t. 178 p. 1198 D —1200 B Migne, Ioannis Saresberiensis *policrat.* VIII 11 t. 199 p. 750 A —751 C Migne (ed. C. I. Webb, Oxon. 1909 t. II p. 296 seqq.), Ps.-Hugonis de S. Victore *de nuptiis* I 1 t. 176 p. 1203 A—1204 C Migne, deinde saec. XIII Vincentii Bellovacensis *spec. doctr.* VII 4 seqq. et *spec. hist.*

1) recentiores codices praeter Vatic., quem Romae inspexi, contuli Kiliae a. 1913. libenter inspexissem etiam Parisiacos duos saeculi IX 1796 et 13354 (v. *Cat. c. m. bibl. reg.* t. III p. 198 et *Bibl. de l'école des chartes* XXIX 1868 p. 226). verum cum frustra meo nomine petivisset praefectus officiosissimus bibliothecae Kiliensis ut mitterentur codices Kiliam, repulsam tuli aequo admodum animo, quia habui antiquissimos condicionis optimae. — non curavi memoriam manuscriptam eclogae Theophrasteae in codicibus miscellaneis recentioribus seorsum expressam, quae passim mihi occurrit perscrutanti catalogos. velut H. Schenkl, *Bibl. patr. lat. Brit.* (*Wien. Sitz.-Ber.* CLVII 1908) VII p. 51 quinque codices eclogam praebentes enotat, quorum unus est saec. XII. item v. e. g. *Tabulae codd. Vindob.* I 960, 20. — cf. etiam Roßbach, *de Sen. phil. libr. recens. et emend., Bresl. Phil. Abh.* II 3 (1888) p. 85 adn. 1; Immisch apud Bock l. l. p. 9 adn. 1.

VI 3 seqq., saec. XIV Gualteri Burlaei *de vit. et mor. phil.* 67, p. 286 seq. Knust.[1])

Iam vero demonstrandum est locis singulis, quantum valeant ad verum interpretem latinum Theophrasti nuncupandum inspecti codices antiquissimi *E* et *S*. veluti in vulgata Vallarsii qui legerit p. 313 D *pretiosae vestes, aurum, gemmae, sumtus, ancillae, supellex varia, lecticae et esseda deaurata,* gnarus copiae verborum cum Annaeanae tum latinitatis ecclesiasticae, verba *esseda deaurata* aegre Senecae tribuet. nam quae Sen. *epist.* 76, 14 *deauratus . . . balteus* olim edebantur, ea iam ne memoravit quidem Hense in adnotatione critica *auratus* reposito. participium sive adi. *deauratus* pro *auratus* vel *inauratus* vocabulis vetustioribus ursurpatur non nisi in latinitate inferiore apud Tertullianum primum obvium. de *esseda* autem substantivo et quidem de forma eius num Senecae conveniat, item dubitandum est. ea enim forma si pro plurali ex neutro *essedum* ducto habeatur (ut pluraliter dixit Cic. *Att.* VI 1, 25 *Vedius mihi obviam venit cum duobus essedis*), displicuit Senecae *epist.* 56, 4 *essedas* accusativum formanti. tamen hoc minus certum, siquidem numerum singularem in forma *esseda,* etsi plur. *lecticae* praecedit, apud Hieronymum agnoscere licebit. — at in vulgata Vallarsii p. 315 D *advivis* utique alienum ab Annaeo ut omnino a latinitate argentea, cf. Thes. l. l. I 874, 1 seqq. — sed subsisto paulisper in vestigiis e textu Vallarsiano sermonis ecclesiastici egerendis. vestigia adhuc allata eiusmodi sunt, ut suo iure aliquis suspicetur, profecta ea esse potius a librariis medii aevi quam ab Hieronymo ipso. cui suspicioni ipse olim eo magis favebam, quia saeculo XII qui excerpsit Hieronymum, Ps.-Hugo de S. Victore verba omittit p. 1203 B *et esseda deaurata,* porro casu accidit ut p. 1204 C *advivis* absit ab eodem Ps.-Hugone, cum versiculos extremos eclogae Theophrasteae transferre in suum opus Ps.-Hugo supersederit; atque Burlaeus saec. XIV pro *advivis* p. 290 *adhuc vivis* exhibet.

quae tamen suspicio fucatae a scribis medio aevo orationis Hieronymianae stare nequit adhibitis antiquissimis libris *E* et *S*. qui libri

1) Burlaeum adnotans (Tubing. 1886) Knustius etiam alios testes recentiores eclogae indagavit. — Petrarcam in libris *de remediis utriusque fortunae* passim pendere ab Hieronymo vidit A. Dyroff, *Berl. Ph. Woch.* XIX 1899 p. 391 (*D. Lit.-Zeitung* XXII 1901 p. 2126). — ceterum quae ratio inter varios testes eclogae recentiores intercederet, cur quaererem, non habui nisi in uno Ps.-Hugone de S. Victore (v. infra c. II).

et ipsi additamentum praebent *et esseda deaurata* et *advivis* tuentur. neque fas erit denegare fidem libris antiquissimis, ut quibus insuper accedat auctoritas ex usu sermonis Hieronymi sedulo expenso. adamat Hieronymus ut *deargentatus* et composita similia etiam *deauratus*; cf. H. Goelzer, *Lat. de S. Jérôme* (Paris 1884) p. 182. *advivendi* verbo usus est Hieronymus etiam *epist.* 49 (48 Vall.), 18 p. 382 Hilberg (ubi unus Berol. saec. XII post corr. *adhuc viveret*) et ibid. 21 p. 387. — atque etiam id expeditur parata codicum Hieronymi collatione, quomodo factum sit, ut saeculo XII Ps. Hugo ille verba *et esseda deaurata* neglegeret. nimirum cod. Vat. *A* s. X/XI depravata habet haec *et ēē iam de aurata*, inde lectionem male intellectam patet sprevisse Ps. Hugonem, qui cum licentia excerpsit, ut infra copiosius probabo, ex Hieronymo Theophrastum.

id igitur evinco atque etiam magis evicturus sum ex antiquissima memoria Hieronymi, eclogam Theophrasteam in sermonem latinum talem conversam exstitisse in vetustissimis exemplis Hieronymi, qualis sermo dignissimus sit Hieronymo ipso, Senecae conveniens non sit. atque latinitatis ecclesiasticae vestigia tantum abest ut apud Vallarsium deprehensa improbentur libris *E* et *S*, ut augeantur iisdem. sic p. 313 D *multa esse quae matronarum usibus necessaria sint* pro *sint* ed. Vall. *sunt* habent *ES*. ubi indicativus Hieronymo reddendus est; qui modus nullius aetatis scriptoribus hoc loco aptior quam ecclesiasticis, non eo quod indicativus absit omnino in enuntiatis relativis vi consecutiva praeditis a vetustioribus scriptoribus, sed quia accedit oratio obliqua. — item p. 314 B *aestimet*, p. 315 A *aestimat* codicum *ES* pro *existimet*, *existimat* ed. Vall. in sententiis *ne si alteram aspexeris se existimet displicere* et *quae in eo se existimat dominam* posteriora tempora sapiunt, quibus *aestimandi* verbum *existimandi* verbi provinciam paene totam usurpavit, cf. Thes. l. l. I 1097, 5 seq., Th. Stangl, *Berl. Ph. Wochenschr.* XXVIII (1908) p. 1559. — nec non in sententia p. 315 D *licet certior hereditas sit . . . bene abuti substantia tua, quam tuo labore quaesita in incertos usus relinquere* pro *certior* ed. Vall. scribendum est *certa* cum *ES*, genus ecclesiasticum dicendi agnoscendum imprimis illustratum exemplis collectis ab Hermanno Roensch, *Itala u. Vulg.*[2] (Marp. 1875) p. 442 seq.; cf. e. g. It. *Sir.* 16, 4 *utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios.* nimirum hic usus particulae *quam* cum gradu positivo adiectivi copulatae recenti demum aetate excultus est, etiamsi

apud Plautum traditur *Rud.* 1114 *tacita bonast mulier semper quam loquens* (cf. I. B. Hofmann, *Anzeiger f. indog. Spr.- u. Alt.-Kunde* XXVIII 1911 p. 63) atque consuetudo ecclesiastica caute repetenda est ex antiquioribus litteris, Livio, Tacito, cf. Reisig-Haase-Landgraf, *Vorles. über l. Sprachw.* t. III (Berol. 1888) p. 170 seqq. adn. — denique quod p. 314 C *aurifices* in *ES* pro *aruspices* ed. Vall. legitur, quamvis antiquum vocabulum et ipsum *aurifex* sit, tamen ex Thes. l. l. II 1497, 4 seq. discitur, *aurifex* apud Senecam desiderari, saepius occurrere in bibliis sacris.

sed mitto locos in *ES* et ed. Vall. varie traditos. restant alii, ubi non discrepantibus a vulgata codicibus *ES*, manum ipsius Hieronymi interpretis Theophrastei tibi monstrabo diversam a Seneca. quod copiam verborum attinet, p. 314 B *adsaecula* vox Thes. l. l. II 849, 35 seqq. quondam, ut officium tulit, mihi tractata, frequentatur a nullo recentiorum scriptorum magis quam ab Hieronymo, deest Senecae. — item ibid. *gerula* substantive prae ceteris Hieronymus de nutrice dicit, cf. Goelzer l. l. p. 293. — phrasin quae ibid. occurrit *procurator calamistratus* praebet Hieronymus etiam *epist.* 54, 13, 2 et 79, 9, 1, participium *calamistratus* adhibuit praeterea *epist.* 130, 19 p. 995 B *cincinnatulos pueros et calamistratos*, omnino haec vox trita est apud ecclesiasticos, non traditur in Seneca. — deinde flosculi p. 314 E *propter dispensationem domus et languoris solacia* imprimis decent Hieronymum. quorum alterum adhibuit etiam *Virg. Mar.* 20 p. 228 D *ipsa dispensatio domus.* usum *languoris* nominis nota recentiorem, quippe quod nomen hoc loco prorsus i. q. *morbus* aeque ut p. 315 A *languens* i. q. *aegrotus* valeat. quali harum vocum usui praelusit sane sermo vetustior ut ipsius Senecae *epist.* 74, 33 *in corporibus insidentis* (*insignis* codd.) *languoris signa praecurrunt*, tamen increbuit postea demum, sollemnis est apud Hieronymum, cf. *epist.* 4, 1, 2. 4, 2, 2. 102, 1. al. (Goelzer l. l. p. 277). — denique propter significationem Hieronymo magis quam Senecae convenientem notanda est in sententia p. 315 C *cum et filius non statim patris vocabulum referat* vox *vocabuli*, quae hoc loco i. q. *nomen proprium* valet, cf. e. g. *adv. Rufin.* II 19 p. 512 D *quorum ignoramus vocabula.* ibid. p. 513 B *episcoporum vocabula. adv. Iovin.* II 23 p. 362 E *stellarum vocabula.* cuius de usus origine v. Nipperdey-Andresen ad Tac. *ann.* XII 66. — postremo lubet componere cum locutione Theophrasti latini p. 315 B *quod corpore non potest, cogitatione conplectitur* Hier. *adv. Iovin.* I 7 p. 248 D *quod corpore non potestis, mente praestate.*

Verum quotquot deteguntur vestigia sermonis ecclesiastici et consuetudinis Hieronymianae in Theophrasto latino, nihilo minus vereor, ne huiusmodi observationibus quaestio de interprete eclogae non satis absolvatur. nimirum fieri potuisse utique concedendum est, ut vetustior aliqua interpretatio Theophrasti Annaeana a posteriore scriptore ecclesiastico recenti colore fucaretur. sicut per paraphrasim immutatas eclogas Annaeanas reapse habemus e dialogis *de ira* et *de officiis* oriundas, saeculo VI a Martino episcopo Bracarensi confectas, qui textui Annaeano synonymis inculcatis pro vocibus Senecae, novatis structuris, transpositionibus verborum, variis modis aliis suum dicendi genus, suos numeros oratorios impressit; qua de re egi ipse *mus. Rhen.* t. LX (1905) p. 533 seqq.[1]) ac re vera dudum exstitit, qui eclogam Theophrasteam a Seneca conversam, ab homine serioris aevi et quidem minus erudito litteris graecis inversam diceret, Robertus Bloch, *de*

1) ut demonstrarem, Martini Bracarensis *formulam vitae honestae* ex maxima parte nil nisi paraphrasin esse textus Annaeani excerpti ex opere Senecae *de officiis*, adhibueram etiam clausulas repugnantes legi numerorum Meyerianae, quae vocatur, inde a saeculo IV apud latinos plurimum observatae. nam cum Martinus religiosissime legem Meyerianam in universum secutus sit, qua lege inter binos accentus verborum novissimos periodorum binae minimum syllabae interesse iubentur, clausulae ut *mĭ̂cānt ŏ̂cŭlī* (Sen. *de ira* I 1, 4 = Mart. *de ira* 1 p. 407, 15 Florez), *nocêndī hăbŭīt*, *cŭ̂rām gêrīs* subesse Martini loquelae textum antiquiorem Senecae produnt, cf. l. l. p. 520 et 542. at haec ratio illic probata omnino inutilis est ad hanc quaestionem Hieronymianam. nam etsi numeri Hieronymiani valde discrepant ab Annaeanis, propius absunt a numeris Ammiani Marcellini et recentiorum scriptorum quam ab illis (v. infra), tamen clausulae violantes praeceptum principale legis Meyerianae, quales sunt clausulae eclogae Theophrasteae p. 315 C *appellentur nomine*, p. 315 D *videaris mori*, nequaquam recedunt ab arte propria Hieronymi. cf. in interpretatione libri Didymei *de spir. sancto*, ubi nulla imitatio vetustiorum scriptorum latinorum momentum habet ad constituendos numeros Hieronymi, clausulas *praef.* t. II p. 106 A *in assensum trahat.* 1 p. 107 C *fratrum cedere.* 2 p. 108 A *sancto pleni sunt.* 7 p. 113 B *sanctos esse.* 8 p. 113 E seq. *creatura dicitur.* praeterea cf. laesam Meyeri legem in *epist.* 70 scripta *ad Magnum oratorem urbis Romae*, qua epistula artem oratoriam propriam ipsius maxime exercuisse sane Hieronymus putandus est: 1 *correctus placuit, quam errans laeserat.* 2, 4 *argumentum fidei.* 5, 3 *leges mittere.* imperiti igitur est, ex numeris oratoriis eclogae Theophrasteae aliquid efficere velle de eclogae origine. — ceterum passim persentisco in numeris eclogae *cursum velocem* qui dicitur aevi posterioris, etsi Hieronymus hunc cursum sic constituebat, ut quantitatem syllabarum simul respiceret, cf. e. g. p. 313 D *éssedă deauráta.* ibid. *ancíllulā loquebáris.* p. 315 A *fáciat voluntátem.* p. 315 B *léctulo recedéndum.* — de cursu mixto Hieronymi adnotavit obiter Norden *Agnostos Theos* (Lps. 1913) p. 118.

Ps.-Luciani Amoribus (*diss. philol. Argent.* t. XII a. 1907) p. 301 seq. adn. 5. qui quamquam brevissima tantummodo adnotatiuncula rem tetigit et praesertim veram originem eclogae Theophrasteae perspicere eo prohibitus est, quia parum agnovit ipsius Hieronymi loquelam genuinam, certe merito Senecae sensit hic illic abhorrere a sermone eclogae genus dicendi.

tamen ego ne id quidem dare possum, subesse textui Hieronymiano interpretationem Theophrasti pridem a Seneca factam. nullam enim video suspicioni isti rationem faventem. an vero certum putabis aut omnino probabile esse, quia Hieronymus ipse praeter Aristotelem, Plutarchum, Senecam p. 318 B nullum fontem alium sapientiae saecularis operi suo intextae nominaverit, idcirco nullum fuisse? quid? nonne Hieronymus coactus fuit respondere maledictis in praefatione operis *quaest. hebr. in gen.*, quibus urgeretur aeque atque Terentius poeta comicus a Luscio Lanuino aut Mantuanus vates ab aemulis tamquam compilator foedus scriptorum priorum? ceterum de Hieronymo auctores suos vafre recondente nec non speciem doctrinae a se collectae falsam mentiente infra multus ero. interim id tenendum est, tabula illa fontium ab Hieronymo nobiscum communicata neque hoc certum probari, evolvisse Hieronymum auctores quos nominaverit — ut de Aristotele etiam alii dudum dubitant, v. supra p. 1 —, neque illud, nullos auctores praeter proditos compilatos ab Hieronymo esse.

unum restat indicium quod esse videri potest deductae eclogae Theophrasteae ex libro Senecae, neque tamen est: aiunt Haaseum dictionis Annaeanae vestigia in Theophrasteis indagasse (cf. Bock l. l. p. 15). nec vero ego parvi facio, quod inter fragmenta Senecae recepit locum Theophrasti Haase sermonis argumento videlicet solo fretus, homo instructus singulari peritia consuetudinis Annaeanae. sed idem Haase cum plane supersederit singula nuncupare vestigia, quae esse in universum dixerat Sen. edit. t. III praef. p. XVI sermonis Senecae in Hieronymo, sedulo congesta a me sunt indicia ista accipienda. nullus enim ipse nego, primo obtutu gravia videri indicia locutionis Annaeanae in loco Theophrasti; sed gravissima quaeque recurrunt eadem in operibus aliis Hieronymi, reapse Hieronymiana sunt.

in ethopoeia, qualis per querellas uxoris in Theophrasto instituitur p. 313 D '*illa ornatior procedit in publicum*'. '*haec honoratur ab omnibus, ego in conventu feminarum misella despicior.*' '*cur aspiciebas*

vicinam?' '*quid cum ancillula loquebaris?*' '*de foro veniens quid attulisti?*', plurimum versatus est Seneca, cf. *mus. Rhen.* t. LX (1905) p. 195. eandem ethopoeian ecclesiastici romani vel sollertissimi scribendi, ut Tertullianus, alii fere neglexerunt, unus omnium frequentavit maxime perinde ac Seneca Hieronymus, cf. e. g. *epist.* 14, 3, 2 '*cui nos servituros relinquis?*' ... '*morituros expecta paulisper et sepeli*'. 54, 15, 1 '*patrimoniolum meum cottidie perit, maiorum hereditas dissipatur.*' '*servus contumeliose locutus est, imperium ancilla neglexit.*' '*quis procedet ad publicum?*' '*quis respondebit pro agrorum tributis?*' '*parvulos meos quis erudiet?*' '*vernulas quis educabit?*'[1]) — rara est in latinitate inferiore vox *anus* nec pervenit in linguas romanicas (Thes. l. l. II 199, 14 seqq.), Senecae ad manum est, cf. *dial.* X 7, 7. *de clem.* II 5, 1. *Phoen.* 411. al.; quae vox cum in Theophrasteis p. 314 C legatur, non tamen facit adversus Hieronymum interpretem textus graeci putandum, quoniam ex lectione Terentii poetae sibi familiarissimi Hieronymus ipse quoque hanc vocem assumpsit (cf. Thes. 67), posuit etiam *epist.* 22, 32, 2. 53, 7, 1. 128, 3. Vulg. *gen.* 18, 13. — *collatrandi* verbum adhibuit unus inter scriptores latinos Seneca in sententia *dial.* VII 17, 1 *ex istis qui philosophiam conlatrant*, puto graecum *καθυλακτεῖν* interpretatus; propenso igitur animo Senecae tribueres in sententia p. 315 A *quod si languerit, coaegrotandum est* verbum in litteris latinis singulariter dictum *coaegrotandi* versum ex graeco *συννοσεῖν*; cf. e. g. Ps. Lucian. *ἐρώτ.* 46 *κάμνοντι συννοσήσω.* sed cave ne te praetereat, Hieronymum quoque luxuriavisse verbis eiusdem formationis, *coadiuvare, coalere,* similibus, tunc ipsum in litteris latinis efflorescentibus; cf. Goelzer l. l. p. 180. atque nescio, quis audacior fuerit Hieronymo noviciarum fictore vocum latinarum, graecas voces reddente; quam audaciam Hieronymi exemplis duobus *invenibilis*: *hom. Orig. in Is.* 2, 2 t. IV p. 1109 Vall. et *magniloquax*: ibid. 8, 2 p. 1141 productis exagitavit G. Gruetzmacher, *Hieronymus, eine biogr. Studie z. alt. Kirchengesch.* I p. 182 (*Stud. z. Gesch. d. Theol. u. d. Kirche* VI 3. 1901). — legenti tibi dictionem quae est in Theophrasteis p. 315 B *loquetur cum deo* facile veniet in mentem Senecae *epist.* 9, 5 *loquere cum deo,* sim.; sed eadem dictio solet esse in ore Hieronymi, cf. e. g. *epist.* 3, 4, 4 *cum deo loquitur.*

---

1) mulierum loquacitas per ethopoeian illustrata peculiaris locus rhetorum est antiquitate cadente plurimum exercitatus; cf. Libanii decl. XXVI *Δύσκολος γήμας λάλον γυναῖκα ἑαυτὸν προσαγγέλλει* t. VI p. 511 seqq. Foerster.

eiusmodi igitur observationibus expergefactus vereberis Haasei iudicio de sermone Theophrasteorum accedere. quod iudicium vel ideo apparet ut immerito ita facile subnasci potuisse, quia Hieronymus consimili modo atque Seneca in dicendo abundat figuris verborum atque sententiarum, argutiis rhetoricis. nimirum quae de epistulis Hieronymi naviter expedivit G. Harendza, *de oratorio genere dicendi quo Hier. in ep. usus sit* (diss. Vratisl. 1905), eadem cadunt etiam in opus *adv. Iovinianum.* — qua cognatione generali inter Senecae genus disputandi rhetoricum et Hieronymi intercedente etiam fit, ut vel iis locis, ubi ne imitatione quidem expressum esse Senecam ab Hieronymo cogitare fas sit, tamen totus ductus stili Hieronymiani aliquo modo adaequet Annaeanum; cf. e. g. Plutarchi locum (*γαμ. παρ.* 43) ab Hieronymo latine redditum *adv. Iovin.* 48 p. 316 E *hic nobis* ... *de concordia praecipit?* cum Seneca *apoc.* 8, 3 *hic nobis curva corrigit?*, deinde Hier. *epist.* 12, 3 '*nimis*', *inquies*, '*contumeliose*' cum Sen. *apoc.* 2, 2 '*nimis rustice*' *inquies*, talia.

Relinquitur ut disquisitioni sermonis Theophrasteorum addantur flosculi Tulliani vel ps.-Tulliani, alii, qui Hieronymo Theophrastum latine convertenti in buccam venerunt, vindices novissimi interpretationis ab ipso institutae, non a Seneca. Catonis sententia de sapiente solitario, clara Cicerone propagatore *rep.* I 27 (*off.* III 1) *numquam minus solum esse quam cum solus esset* occurrit p. 315 C *numquam minus solus erit quam cum solus fuerit.* qua imitatione Tulliana ante Hieronymum Ambrosius usus est *virg.* II 2, 10 p. 210 A Migne (*Maria*) *tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset.* — apopthegma Ciceronis ab ipso Hieronymo post Theophrastea p. 316 A laudatum *non posse se et uxori et philosophiae pariter operam dare* conferendum est cum p. 313 C *nec posse quemquam libris et uxori pariter inservire.* — porro p. 314 D *difficile custoditur quod plures amant* versum senarium esse haud illepide monuit praeeunte Vallarsio ad l. Aem. Luebeck, *Hieronymus quos noverit scriptores et ex quibus hauserit* (Lipsiae 1872) p. 115, qui composuit versum cum Publilii Syri septenario M 18 (326) Meyer: *maximo periclo custoditur quod multis placet.*

Ad postremum pauca adnectere debeo de similitudinibus quibus Iuvenalis satura sexta de mulieribus cum loco Theophrasti coniungitur. quas similitudines omnes exhibuit et tabula commoda proposuit Bockius l. l. p. 44 seqq., demonstraturus inspexisse Iuvenalem Senecae

dialogum *de matrimonio*.[1]) atque consensus saturae Iuvenalianae cum Theophrasteis Hieronymi certe non nullis locis mihi quoque gravior videtur esse, quam quem casui facile tribuam, consensus tamen ratio utique inde deducenda est, ut ecclesiastico scriptori Iuvenalis in mentem venerit. spero autem vel iis, qui Ludovicum Friedlaender audiunt Iuv. ed. (Lips. 1895) p. 281 aut Robertum Bloch, *de Ps.-Luc. Am.* p. 301 adn. 5 clamantes casu effectas esse similitudines Iuvenalis cum Theophrasteis, tamen multo probabilius esse visum iri id quidem, Hieronymum imitari Iuvenalem, quam hunc pendere e dialogo Annaeano. ceterum certa cognatio inter Iuvenalem et Theophrastea Hieronymi probari nequit. qua in re ne excipio quidem similitudinem Iuv. VI 165 *rara avis in terris* Hier. p. 315 B *quae tamen rara avis est.* hanc enim locutionem de uxore bona ab Iuvenale et Hieronymo adhibitam usurpavit Hieronymus ut proverbialem (cf. Otto, *D. Sprichw. d. R.* p. 51 seq.) etiam aliis locis aliis rationibus *virg. Mar.* 20 p. 228 D *domus in qua ista non fiant, quae rara avis est, adv. Pelag.* II 11 p. 754 C *forsitan in vestro coetu invenitur, apud nos rara avis est.* et his quidem locis eodem iure quo ad Iuvenalem, ad Persium *sat.* 1, 46 *quando hoc rara avis est* Hieronymus refertur, praesertim cum Persiana imitatio luculenta Hieronymi affatim illustrata sit a Luebeckio l. l. p. 195 seqq., imitatio Iuvenaliana quam late patuerit, minus adhuc sit exploratum, cf. ibid. p. 198 seq. et Friedlaender ed. Iuv. p. 80 seq.

2

De latinitate eclogae Theophrasteae longus fui; sed coegit me Haasei infringenda auctoritas in ecclesiastica scribendi arte et elegantiis Hieronymi diutius immorari. spero autem, quoad cognosci possunt scriptores ex eloquio et proprietatibus sermonis, — absint rustici et barones diversos stilos latinorum scriptorum discernere parum valentes — latinum graeci textus Theophrastei probatum esse Hieronymum interpretem. iam vero mitto sermonem, graviore argumento firmabo, Theophrastum afuisse a dialogo Senecae de matrimonio, simulque auctorem tibi nominabo alium pro Seneca Theophrastea Hieronymo suggerentem. nimirum

1) duas similitudines Bockianis adicere voluit Wil. Stegemann, *de Iuvenalis dispositione* (diss. Lips. 1913) p. 46 adn. 1 et 48 adn. 1, quae tamen incertissimae sunt.

id mihi minime persuadeo, quibus cura sit explorare de origine, prima sede, auctoritate fragmenti illius nobilissimi *περὶ γάμου* Theophrastei, eos contentos fore latino interprete fragmenti indicato Hieronymo. qui qua via pervenerit fragmentum illud ad Hieronymum, sciscitabuntur optimo iure. quid? si modo Seneca is auctor non fuit, cui debetur memoria Theophrasti apud Hieronymum obvia et doctos medii aevi haurientes ex eo, an Hieronymum ipsum adiisse existimabimus Theophrastum priscum scriptorem? vides eo nos adduci, ut imperatorio aevo romano inde ab aetate Senecae usque ad Hieronymi aetatem, qui scriptores foverint memoriam Theophrasti philosophi, quo saeculo maxime, animo recolamus. et incipiendum est a Seneca, intuendum, quanta res ei fuerit in parte morali philosophiae cum peripateticorum Theophrasto.

Seneca vero num usus sit lectione Theophrastea, praesertim in ethicis perdubium est. nimirum opera a Theophrasto in naturali parte philosophiae collocata quemadmodum ex scriptura Theophrasti largissima fere sola ad nos integra pervenerunt repugnantia temporum invidiis, sic ea iam a Seneca vel potius ab auctoribus graecis Senecae multo plus adhibita et exscripta sunt quam ethica opera. non nisi in opere *nat. quaest.* frequenter memoratur Theophrastus a Seneca (cf. Gercke, ed. ind. p. 275), redduntur dogmata eius latine fusius ut III 11, 2—5 et VI 13, 1. atque horum locorum altero etiam eloquium Theophrasti iudicio tangit Annaeus: *Theophrastum non ut Graecis visum est divini, tamen et dulcis eloquii virum et nitidi sine labore.* unde id quidem, locos longiores Theophrasti verbis ipsius illatos innotuisse Senecae, oculis graecitatem Theophrasteam perlustranti, concedendum est. ceterum ipsa volumina Theophrastea evolvisse ne in conficiendo quidem opere *nat. quaest.* usquam videtur Seneca; neque ut id sumeret, a se potuit impetrare vir peritissimus historiae librorum Theophrasteorum Hermannus Diels, qui ex Posidonio ad Senecam Theophrastea pervenisse suspicatus est *doxogr. gr.* (Berol. 1879) p. 229.[1])

inter ethica autem scripta Senecae praesertim opus *de ira* in cen-

---

1) post Dielsium quo successu actum sit de memoria Theophrastea librorum Annaeanorum *nat. quaest.* docet A. Brennecke, *animadv. ad fontes n. q. Sen.* (diss. Gryph. 1913) p. 15. recte in eo Brennecke p. 6 seqq. et 50 seq. adn. 1 oblocutus est Dielsio, quod negat Posidoniana ex Asclepiodoto auctore intermedio potissimum petita esse a Seneca.

sum venit. ubi longe equidem absum, ut duobus illis locis quibus legitur Theophrasti nomen I 12, 3 et I 14, 1 astipuler G. Allersio *de Sen. libr. de ira fontibus* (diss. Gotting. 1881) p. 7 seqq. autumanti, Senecam pendere ex opere Theophrasti *περὶ παθῶν* evoluto et pertractato. nam locis illis duobus, quibus Theophrastus citatur, interlocutionum tantummodo instar theses exhibentur Theophrasteae *irascuntur boni viri pro suorum iniuriis* et *non potest ... fieri ... ut non vir bonus irascatur malis*, repulsae statim ab adversario Theophrasti, sermonis Annaeani auctore, sive is Sotio fuit hoc loco, praeceptor Senecae, qui scripserat *περὶ ὀργῆς* sive Chrysippus aut stoicus quisquis.[1]) huic igitur auctori, eidem cui refutationes Theophrasteorum Seneca debet, etiam ipsae tribuendae sunt interlocutiones Theophrasti; nihil Senecae ipsi cum libris Theophrasti fuit.[2])

in ceteris autem scriptis moralibus ut in dialogis ita in epistulis Seneca nullam fecit mentionem Theophrasti, praeter quod in serie aliqua philosophorum *dial.* X 14, 5 casu vocavit eum, deinde adhibuit placitum eius de amicitia *epist.* 3, 2 *qui contra praecepta Theophrasti cum amaverunt iudicant, et non amant cum iudicaverunt;* quod placitum graece traditum a Plutarcho *περὶ φιλαδελφ.* 8 p. 482 B *τοὺς γὰρ ἀλλοτρίους οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν* decantatum omnino in latinis est, cf. Cic. *Lael.* 22. Rut. Lup. I 6. Amm. XXVI 2, 9.

unum relinquitur, ut de deperdito dialogo Senecae de amicitia deque ratione inter hunc dialogum et Theophrasti *περὶ φιλίας* libros item deperditos intercedente verba fiant. cuius Annaeani dialogi fragmenta codice rescripto Vaticano tradita minime illa quidem produnt nomen Theophrasti, sed coniectura est Gustavi Heylbut *de Theophr. libris περὶ φιλίας* (diss. Bonn. 1876) p. 22, qui Senecam in libro de amicitia Theophrasti vestigia pressisse sumpsit. argumento autem usus est Heylbutius ad coniecturam suam commendandam specioso aliquo,

1) maximus est sermo aetate novissima de fontibus Senecae *de ira*, mihi unice placet in plurimis P. Rabbow, *Antike Schriften über Seelenheilung u. Seelenleitung* I (Lps. 1914) p. 82 seqq., 94 seqq., 163 seqq., 190 seqq. — priorum commentationes imprimis Pohlenzii invenis apud Rabbow, quibus accedit Ringeltaube *quaest. ad vet. phil. de aff. doctr. pertinentes* diss. Gotting. 1913.

2) plane ex libidine sententias Theophrasteas dialogi I *de ira* rettulit ad librum Theophrasti *περὶ ἀρετῆς* (quo de libro cf. Vsener *anal. Theophr.* p. 8) Felix Mewis *de Sen. phil. studiis litterarum* (diss. Reg. 1908) p. 30. Allersianae disputationis rationem nullam habuit, tabella p. 29 seq. locorum Theophrasteorum Senecae aut a typotheta aut ab ipso Mewisio pessumdata est.

sed eodem lubrico: indicavit Aristotelem, a quo profectus sit Theophrastus, cum rebus in fragmentis Vaticanis de amicitia tractatis consentire, neglegens perhibere vel potius nescius tunc pro horum studiorum statu, quot Aristotelea insinuata essent in diatribam stoicam, in qua versatur Seneca. atque Aristoteleis auctum stoicorum locum de amicitia interea illustravit utilissime Godofredus Bohnenblust, *Beiträge zum Topos περὶ φιλίας* (diss. Bern. 1905) p. 8 seqq.[1])

Omnem ante oculos posui memoriam Theophrasti in morali scriptura Senecae occurrentem, nullam praeterii ne coniecturis quidem petitam.[2]) cum autem tot res easdem cum Theophrasto ethicas Seneca contrectaverit, tamen nullo loco contigit deprehendere Senecam aut lectorem aut excerptorem omninove sospitatorem Theophrasteorum talem, qualem eum finxerunt illi, qui Hieronymianum de matrimonio fragmentum ad eum rettulerunt. quos parum cautos singularem sane apparet posuisse notitiam Annaeanam Theophrasti. neque singularem eum usum Theophrasti tantum propter ipsum Theophrastum dixeris. immo si modo ad verbum fere latine versum nobis Hieronymianum illum Theophrasti locum amplissimum praestó esse sumpsisti, ad verbum versi ne aliorum quidem philosophorum graecorum loci ampliores in sermonibus m o r a l i b u s a Seneca citantur. nimirum Seneca sententias breves veluti in epistulis sententias Epicureas atque passim stoicorum dogmata quae continentur enuntiatis brevioribus, facere non potuit, quin de graecis ad verbum reddita poneret in operibus suis.[3]) sed qui stoicae

1) mixtione illa inveterata doctrinae stoicae et peripateticae etiam in Ciceronis Laelio difficultas puto commode explicatur discernendi copiam stoicam a Theophrasti peripatetica, de qua difficultate discernendi Pohlenz locutus est *Berl. Ph. Woch.* XXXIII (1913) p. 1352 recensens inquisitionem novissimam in Laelii fontes conscriptam a M. Hoppe, *de Cic. Laelii fontibus* diss. Vratisl. 1912.

2) praeterii tamen *dial.* X 1, 2 ubi Seneca sententiam quandam Theophrasteam, quam quidem Theophrasti esse cognoscitur ex Cic. *Tusc.* III 69, Aristoteli tribuit lapsus memoria ut visus est Aemilio Hermes ad l. ed. p. 279, 11. — quod Theophrasti librum περὶ σημείων κτλ. 34 p. 394 W. pseudepigraphum subesse Aristoteli citato a Seneca *nat. quaest.* VII 28, 2 putavit Gercke ed. p. 262, 20, tu cf. Brennecke, *animadv. ad fontes n. q. Sen.* p. 47 seq.

3) quamquam eiusmodi quoque locis admodum saepe recessit Seneca ab auctoribus graecis; cf. quae Seneca de sua interpretandi arte in afferendo Epicuri frg. 135 Vs. confitetur *epist.* 21, 8 *et apertior ista sententia est quam ut interpretanda sit et disertior quam ut a d i u v a n d a.* utilia multa de consuetudine Senecae in reddendis sententiis graecis observavit E. Thomas, *Über Bruchstücke gr. Philosophie b. d. Ph. Sen.*, *Arch. f. G. d. Ph.* IV (1891) p. 557 seqq. — cf. etiam c. VII 5.

philosophiae musam moralemque scripturam in latinum sermonem convertit, non tamen convertit singulos stoicos. atque ex eo factum est ut Seneca abstineret se, ne nimis interpretis officiis indulgeret, neve immisceret scriptioni suae ampliores locos Graecorum curiose expressos, quod — ut verbo utar Ioannis Arnimii *stoic. vet. frg.* t. I (Lips. 1905) praef. p. XVIII — non tam graecorum philosophorum doctrinam enarrare, quam ipse illorum copiis adiutus philosophari voluit. nec vero hic ullo modo in censum veniunt ea, quae apud Senecam speciem fragmentorum veterum prae se ferentia fragmenta non sunt velut Athenodorea in dialogo *ad Seren. de tranq.* c. 3, 2—8 per paginas effusa fere tot, per quot patent apud Hieronymum Theophrastea. quo loco Athenodori per *inquit* 3, 2 a Seneca inducto nec non cluso a Seneca peroratione propria 4, 1 recessus commendatur a foro et publico, excipit locum refutatio Senecae. quid autem rei sit cum hac ecloga Athenodori nec tantum cum ea, sed item cum reliquis eclogis longioribus Graecorum latine a Seneca relatis, dudum a doctis intellectum est, cf. O. Hense, *Sen. u. Athen.* (progr. univ. Friburg. Brisg. 1893) p. 30, Aem. Hermes ed. dial. p. 251, 13 adn.: sententiolas paucas de graecis Athenodori Seneca ab initio eclogae ad verbum interpretatus est, in ceteris sensus modo expressit graecos, eloquium ipsius est omnisque fucus eloquii. nimirum idem cadit in Graecorum fragmenta talia, quale Athenodoreum est, a Seneca latine prodita, quod cadit in Demetrii cynici, philosophi latini orationes apud Senecam occurrentes *de benef.* VII 1, 4—7 et VII 9, 1—10, 6; quae orationes tantum non totae Senecae sunt (cf. Zeller, *D. Philos. d. Gr.* III 1[4] p. 795 adn. 2).

At ecloga illa Athenodori, in quam sermo meus modo incurrit, nonne ipsa comparanda est, quaeret fortasse quispiam, cum Theophrastea Hieronymi? quam Theophrasteam quid vetat nos suspicari, potius ipsam quoque sermocinationem esse Senecae atque hinc suum locum tueri in dialogo Annaeano de matrimonio nobis restituendo quam fragmentum ad verbum versum ideoque procul habendum a Seneca?

eos autem scrupulos proferentibus id sane respondendum est, scatere rebus romanis a Seneca memoratis, praetoribus, adsessoribus, aliis variis Athenodori eclogam in dialogo *de tranq.* (cf. Hense l. l. p. 30), abesse rerum romanarum mentionem, Senecae maxime convenientium, a Theophrasto. qua in re, quod supra adnotavi, id resuscito, p. 314 C *aruspices* lectionem Vallarsianam non comprobari libris vetustis *aurifices*

testantibus. et qui nuper id egit ut ad vitam romanam accommodata in Theophrasto latino dicta indagaret Rob. Bloch, *de Ps.-Luc. Am.* p. 302 adn., is nihil invenit, nisi quod in sententia p. 314 B *vocanda domina* (*uxor*) ut indigna Theophrasto et omnino Graecorum vita offendit. quam observationem Blochii, cuius tamen ratio dubia est (cf. Hermann-Blümner, *Lehrb. d. gr. Privatalt.*[3] 1882 p. 67 adn. 2), utrum probemus necne, id nostra nil interest. sive enim ex Theophrasto ipso phrasis illa ortum ducit, poetas potissimum hoc loco spectavit Theophrastus, quorum Homerus uxorem dominam dixit Ὀδ. γ 403 *τῷ δ' ἄλοχος δέσποινα λέχος πόρσυνε καὶ εὐνήν*; sive addita est ab interprete latino, utique melius quadrat ad Hieronymum quam ad Senecam. nam uxorem apud Romanos *dominam* a marito appellari, nulli testes sunt liberae rei publicae scriptores aut tituli latini, cf. Marquardt-Mau, *D. Privatl. d. Römer* (1886) p. 59 adn. 3, Blümner, *D. röm. Privatalt.* (1911) p. 364 adn. 9. si poetas excipis, quorum de locis ut Verg. *Aen.* VI 397, Hor. *epist.* I 2, 25, Ov. *trist.* IV 3, 9 hic longum esse non licet, agmen ducit testimoniorum morem illum firmantium ipsum Senecae, quod fertur esse, verbum ex dialogo de matrimonio. sollemnis igitur videtur factus esse mos ille primo demum saeculo vergente christiano.[1])

1) vix opus est adnotare, nullum morem Romanorum peculiarem, nedum Annaeanae aetatis, respici sententia Hieronymi p. 313 D *ego in conventu feminarum misella despicior.* quo loco Hier. ne cogitavisse quidem videtur *matronarum senatum*, quem dicit *epist.* 43, 3, 3, quod testimonium accedit aliis testimoniis *senatus* sive *conventus matronarum* collectis Thes. IV 848, 76. perperam igitur adhibuit hanc Hieronymi sententiam disserens de instituto romano *conventus matronarum* Ioh. Teufer, *Zur Gesch. der Frauenemanzipation i. a. Rom* (Lps. 1913) p. 26. nec maiore iure usurpavit Blümner, *Privataltert.* p. 366 adn. 3 verba p. 314 B *procurator calamistratus* eqs. ad describendam vitam aetatis Annaeanae. quo loco si romanae vitae colores in Hieronymo apparent, ipsi ecclesiastico hos colores deberi vel copia verborum abunde ostendit (v. p. 6). ceterum Theophrastus vix aliter vitam graecam teste Hieronymo castigavisse fertur, atque castigaverunt eam reapse Menander et alii comoediarum scriptores, quin cf. Aristotelem ἠθ. Νικ. VIII 12 p. 1161 a 1 *ἐνίοτε δὲ ἄρχουσιν αἱ γυναῖκες ἐπίκληροι οὖσαι*; v. Hermann-Blümner, *Gr. Privatalt.*[3] p. 267 adn. 1. — morem graecum filiorum a nomine avi, non a nomine patris appellandorum spectant verba Theophrasti latini p. 315 C *cum et filius non statim patris vocabulum referat.* quae verba recte explicarunt E. v. Lasaulx, qui totam Theophrasti eclogam vernacule vertit, *Zur Gesch. u. Phil. d. Ehe bei den Gr., Abh. d. philos.-philol. Klasse d. bayer. Ak. d. Wiss.* VII (1855) p. 122 adn. 343, atque etiam Bloch *Liber sec. yconom. Arist., Archiv f. Gesch. d. Philos.* XXI (1908) p. 441 adn. 29. quamquam paullo obscurius Hieronymum hoc loco locutum esse sentio vereorque ne ecclesiasticus morem graecum verbaque Theophrasti non ab omni parte

deinde genere dicendi et coloribus omnino nihil differre Athenodori eclogam a reliqua scriptura Senecae Hense l. l. p. 30 coarguit; contra de sermone eclogae Theophrasteae mere Hieronymiano mihi affatim actum est. atque adeo manifestissima sermonis Annaeani vestigia ex ecloga Theophrastea is promat oportet, qui eam compositurus est cum sermocinatione Senecae Athenodorea, talibus genuinis sermocinationibus Senecae. nam quo maiore cum licentia latine redditos Seneca locos Graecorum longiores apposuit, eo promptius evasurus erat ex Theophrasto latino Annaeanus sermo versatus ultro in insectandis vitiis romanis et carpendo saeculo Senecae.

Sed satis persecutus sum et mores Senecae in citandis fragmentis Graecorum et eius memoriam Theophrasteam, quae nulla fere in ethicis est. curro ad tempora propius ad Hieronymum accedentia eorumque memoriam Theophrasti. atque apparent circa Hieronymum sospitatores gravissimi Theophrasti, quibus fragmenta eius permulta eaque amplissima debentur, philosophi neoplatonici et commentatores Aristotelis. quorum Simplicius nobilis est servatis eclogis operis Theophrastei *φυσικῶν δοξῶν*, ex quo opere Theophrasti aut integro aut in epitomam redacto omnis fere fluxit notitia priscorum physicorum, quantacumque propagabatur etiam antiquitate cadente. ex integro autem volumine operis Theophrastei visa sunt Dielsio *doxogr. gr.* p. 104 petita esse Simpliciana excerpta librorum *φυσ. δοξ.*, sive Simplicius ea excerpserit ipse, sive ab Alexandro Aphrodisiensi excerpta transtulerit. item ethica scripta Theophrasti etiam infimo aevo multum tractata esse intellegitur vel ex opera philologica opusculo *ἠθικῶν χαρακτήρων* seris temporibus dicata; qui liber qua forma ad nos pervenit prooemio et epilogis aucta, eam accepit circiter saeculum sextum, ut statuit Diels, ed. Oxon. (1909) praef. p. VII. ante Hieronymum autem inter neoplatonicos floruit librorum Theophrasti compilandorum scriptor apprime studiosus Porphyrius Tyrius, neoplatonicorum omnium erudi-

recte assecutus sit. fortasse Hieronymus romanae nomenclationis rationem potius quam graecam rationem spectans *statim* ambigue hoc loco posuit, i. q. *in perpetuum* (i. e. *ständig*) valere voluit; qui usus particulae *statim* ex Plauto et Terentio notus (cf. Dziatzko-Hauler ad Ter. *Phorm.* 790, Non. p. 393) inferiore aevo redintegratus est. fere i. q. *utique* valet *statim* Hier. *adv. Iovin.* II 6 p. 331 B *et quomodo bos ad arandum, ad sedendum equi ... oves ad lanitia conditae sunt, ita sues et cervos ... non statim ad comedendum creata esse, sed in alios usus hominum.*

tissimus plurimumque versatus in litteris vetustis. cuius ex libris περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων qua sagacitate restauraverit operis Theophrastei περὶ εὐσεβείας eclogas ampliores quinque Iacobus Bernays libro *Theophrastos' Schrift über Frömmigkeit* (Berol. 1866), conclamata res est. praeterea in Theophrasti opus περὶ καταφάσεως καὶ ἀποφάσεως commentarios edidisse Porphyrium Boethius refert *herm. sec.* 1, 1 p. 17 Meiser. atque Porphyrio debetur etiam longissimum fragmentum de re musica Theophrasti (frg. 89 Wimmer) servatum in commentario Porphyrii εἰς τὰ ἁρμονικὰ Πτολεμαίου (cf. *Opera mathematica* ed. Wallis, Oxon. 1690 t. III p. 241—244). iam vero accidit, ut qui excerptoris Theophrastei nomen habet Porphyrius, idem Porphyrius singularis probatus sit Hieronymi auctor christiani scriptoris, quamvis ethnicus Porphyrius infestissimus christianis fuerit κατὰ χριστιανῶν voluminum peste conscripta, et inde celaverit eum auctorem Hieronymus quantum potuit. atque de usu Porphyriano per varia scripta Hieronymi patente cf. interim Aemilium Luebeck l. l. p. 64 seqq.; ipse autem de Porphyrio ab Hieronymo exscripto in opere *adv. Iovin.* passim loquar capitibus III—V, in praesentia breviter tantum mentionem inicio unius inventi priorum et Bernaysii l. l. p. 134 seq. et 159 seqq., qui viderunt in condendo libro II *adv. Iovin.* Hieronymum Porphyrii scrinia compilavisse, reticuisse tamen nomen eius callide, locos longiores ex opere περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων etiam nobis servato in sermonem suum transferentem. quid multa? de matrimonio eclogam Theophrasti, quam in sermonem latinum convertisse ipsum Hieronymum eclogae elocutio clamat, eam non ex latina Senecae oratione transcriptam esse, sed ex deperdito aliquo opere Porphyrii translatam esse ab Hieronymo suspicio gravissima fit.

Annaeana fragmenta investigaturi eramus, incurrimus in Porphyriana. nimirum egregie favent sumenti mihi, Porphyrii opus aliquod manibus trivisse Hieronymum in Theophrasto transferendo, colores rhetorici verborum, quibus intulit ecclesiasticus Theophrastum: p. 313B . . . *ut quae christianae pudicitiae despiciunt fidem, discant saltem ab ethnicis castitatem.* quibus coloribus consimiles colores perorationi illiti sunt ei, quam addidit Hieronymus furtis Porphyrianis alterius libri *adv. Iovin.*, et quidem ultimo loco eorum, quos abstulit occulte a neoplatonico; c. 14 p. 346 A . . . *qui paupertatem apostolorum et crucis duritiam aut nesciunt aut contemnunt, imitentur saltem gentilium parcita-*

tem. nonne hic item atque illic Hieronymum sentis longe deflectere a rationibus, quibus Senecam laudavit c. 41 p. 307 B, c. 49 p. 318 B et D, 319 B auctorem adhibitum? cur non aliis locis, quibus citavit Theophrastum Hieronymus (cf. Luebeck, l. l. p. 91 seqq.), similibus dictionibus quasi excusationem dedit ethnici scriptoris Theophrasti a se advocati? nullus nego equidem, saepe nimis paratum videri Hieronymum ad excusandum, quod gentiles citaverit — qualibus excusationibus e. g. tota referta est *epistula* 70 *ad Magnum oratorem urbis Romae*; quin iisdem fere verbis, quibus intulit Theophrastum de matrimonio, Hieronymus veniam petiit etiam loci cuiusdam Vergiliani a se laudati *Aen.* I 539—541 *epist.* 17, 2, 1 p. 71 Hilb.: *quae idcirco de gentili poeta sumpsimus, ut qui Christi pacem non servat, pacem saltim discat ab ethnico.* nihilominus aegre a me impetro, ut Hieronymus Theophrastea si hausisset ex Seneca, quem paene inter christianos numeravit c. 49 p. 318 B *nostrum* vocatum quemque in catalogum sanctorum recepit *vir. ill.* 12, usurus fuerit istis coloribus. immo occurrebat Hieronymus ei rei, ne in moralibus ad Porphyrium christianos relegantem se retecturi adversarii compilatorem aliquando lacerarent conviciis acerbissimis. praesagiebat futura: qui postmodo cum ebullivisset, doctrina logica Porphyrii se imbutum esse *epist.* 50, 1, 3 gloriatus in haec verba: *frustra ego Alexandri verti commentarios: nequiquam me doctus magister per εἰσαγωγὴν Porphyrii introduxit ad logicam,* statim passus est acerrimam Rufini presbyteri Aquileiensis invectivam *apol.* II 6 *hic est qui Christo dixit, te negavi, si vel habuero gentilium codices, vel legero. si nihil aliud, vel de Porphyrio silere debuerat, qui specialis hostis Christi est, qui religionem christianam quantum in se fuit, penitus subvertere conatus est scriptis suis: quem iste nunc introductorem et instructorem ad logicam habere gloriatur.*

fac igitur insinues te in familiaritatem Hieronymi, scriptorem christianis detestandum simul adhibentis, simul aversantis ut ethnicum, confides plusculum, incidisse Hieronymum in Theophrastum non in codice Senecae, sed in Porphyrii. tamen ultro fateor inauguratam potius esse interim quam profligatam quaestionem de Porphyrio eclogam Theophrasti περὶ γάμου Hieronymo suggerente. praecipue illud hoc loco nondum indicare valeo, quo ex opere Theophrasti Porphyrius eclogam petiverit ab Hieronymo transscriptam. sed vereor ne porro nihil expediat diutius immorari in ecloga Theo-

2*

phrasti sola neglectis reliquis copiis, quas ab auctoribus saecularibus Hieronymus mutuatus est. immo in totum locum Hieronymi de matrimonio atque etiam de virginitate inquirendum erit, qualis legitur ex litteris saecularibus petitus inde a c. 41 p. 306 B usque ad c. 49 p. 320 C, et inibi disceptandum de Hieronymo pendente a Porphyrio. atque spem haud exilem foveo, posse etiam alias res praeter Theophrastum in priore libro *adv. Iovin.* referri ad neoplatonicorum doctrinam et ad Porphyrium. quibus rebus in unum congestis tum denique dici poterit, num in priore libro *adv. Iovin.* conficiendo deperditum aliquod opus Porphyrii de matrimonio et de virginitate similem locum habuerit loco illi, quem habent in alterius libri *adv. Iovin.* sermone de abstinentia ciborum libri Porphyriani nobis servati **περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων.**

tanto autem proclivius erit operam prosperam navare expiscandis frustis Porphyrianis ex priore libro *adv. Iovin.*, quanto diligentius ex altero libro eiusdem operis cognita erit ratio universa, quam secutus est Hieronymus in compilando Porphyrio. nimirum ne in ecloga quidem Theophrasti quae auctoritas singulis dictis Theophrasteis Hieronymi insit, aliter perfecte ad liquidum perduci poterit, nisi moribus Hieronymi in adhibendo Porphyrio illustratis. contra animus non est quaerere, qua fide, quibus modis rursus Theophrastea ipse Porphyrius intulerit; de hac re cf. Bernays, *Theophrastos'* eqs. p. 3 et 24 seqq.

II DE HVGONIS DE FOLIETO LIBRIS NVPTIALIBVS

Verum una res obstat eaque haud contemnenda, ne extemplo incumbamus definiendae rationi, quam adhibuerit Hieronymus in Porphyrio compilando, vestigia plura insectati doctrinae neoplatonicae in priore libro *adv. Iovin.*: sibi visus est evicisse argumentis certissimis Felix Bock, *Arist. Theophr. Sen. de matr.* p. 7 seqq., omnem plane sapientiam saecularem de nuptiis et de virginitate Hieronymi manasse ex vetustioris ecclesiastici latini libro deperdito quodam; velut appellavit Tertulliani *ad amicum philosophum* de angustiis nuptiarum librum, quem condidisse Tertullianum adulescentem ipse Hieronymus testis est *adv. Iovin.* I 13 p. 260 B et *epist.* 22, 22, 3. atque fortiter res gesta est a Bockio; vendidit nobis etiam alterum auctorem haurièntem et ipsum ex deperdito illo Tertulliani libro, Hugonem de S. Victore, medio aevo saec. XII libros duos conficientem *de nuptiis* patrol. lat. t. 176 p. 1201 seqq. Migne. quin ausus est Bockius ex his fontibus duobus, Hugone et Hieronymo, multas et amplissimas lectiones communes habentibus, restauratum et consarcinatum *Scriptoris christiani librum nuptialem* ex sua recensione lectoribus l. l. p. 51 seqq. proponere.

Hunc librum Bockianum Tertulliani ab inferis citatum equidem mox non deero, si fas est dicere, quin remittam inferis. tamen antea vel id commemorari oportet, receptam esse etiam Theophrasti eclogam a Bockio p. 60 seqq. in opus istud Tertulliani, quod temptavit restituere. quodsi disquisitiones Bockianae in fontes ecclesiasticos Hieronymi stabunt, patet fore, ut invicem omnis noster de Porphyrio, Hieronymi auctore sermo, qualem adhuc evigilavimus, cadat misere.

siquidem igitur Tertulliani liber de nuptiis Bockiana coniectura petitus nullo modo quadrat ad originem eclogae Theophrasteae nobis placentem propter causas graves, qui adnuebant iis, quae nos effecimus adhuc de origine eclogae illius, diffident a primo quam maxime toti libro isti Bockiano de nuptiis. tamen opus erit singulas adire rationes

Bockii, quibus fulserit opinionem Hieronymi eundem cum Hugone auctorem latinum excerpentis, singulasque rationes illas subvertere; et id quidem non solum Bockii causa, verum etiam aliorum causa, qui in re contorta ducem pravum Bockium secuti sunt. iam enim gaudent consensu plurimorum opiniones Bockii; sicut etiam is, qui post Bockium symbolam eamque in summa sane saluberrimam ad locum περὶ γάμου condidit Carolus Praechter in appendice libri *Hierokles der Stoiker* (Lips. 1901), textum illum Bockianum de nuptiis christiani scriptoris commendare maluit p. 129 adn. 2 quam castigare. unicus nuper inventus est qui denegaret fidem Bockio Gualth. Grossgerge, *de Sen. et Theophr. libris de matr.* (diss. Regimont. 1911) p. 5/18, quo tirone equidem uti gaudeo socio improbante coniecturas Bockianas. attamen Grossgerge verum sentiebat tantum in universum, sed parum valebat retegere causas errorum singulorum Bockii. igitur onere refutandi Bockii me levavit minimum. quod onus nunc subibo, neque praetermittam, quin suis locis infra p. 41 et p. 51 indicem, quomodo minus feliciter Grossgerge pugnaverit adversus Bockium.

1

Primum autem in eo Bockius reprehendendus est, quod mira licentia latinitatem libri christiani nuptialis sibi restituendi curare supersedit. ne temptavit quidem Tertulliano, quem tamen praecipue libri scriptorem cogitavit, genus dicendi istud vindicare; neque examinavit, quantum textus a se datus aequaret consuetudinem Hieronymi. attamen ab iis saltem libri Bockiani partibus, ubi cum Hugone Hieronymus ad litteram congruit, praesertim in ecloga Theophrastea, Hieronymiani stili vestigia omnia absint oportet, si credituri sumus pendere utrumque, Hieronymum et Hugonem, ab auctore antiquiore. sed reapse unusquisque versus eclogae Theophrasteae unius Hieronymi spirat consuetudinem. — atque etiam contra omnem sermonem ecclesiasticum latinum in libri christiani istius textu parando Bockius passim peccavit, quae peccata hoc loco supputare minus attinet, praesertim cum illam partem operis Hieronymiani *adv. Iovin.*, quam Bockius recensuit, ipse quoque infra daturus sim subiunctam his disquisitionibus, ut comparare possis.

mitto igitur in singulis exprobrare Bockio sermonis ecclesiastici

inscitiam. multo vero graviorem etiam errorem Bockius admisit in eo, quod futtilissimis indulsit opinionibus de moribus Hieronymi in adhibendis auctoribus latinis. nam Bockius, cum consensum illum amplissimum, qui inter textum Hugonianum et Hieronymianum intercedit, ex utriusque scriptoris usu Tertulliani repetat, eo adducitur, ut Hieronymo rhetori disertissimo unctoque omnibus loquendi artibus plurimum detrahat et scribam reddat paene ex scriptore. atque temperare mihi non possum, quin statim quam diligentissime hoc expediam, qua ratione inter latinos auctores Tertullianum potissimum Hieronymus Bockio visus sit adhibuisse, qua ratione Tertullianum reapse Hieronymus adhibuerit. nempe Hieronymus, quae erant eius studia ardentissima in Tertullianum, usurpavit in christianis partibus librorum *adv. Iovin.* eorum Tertulliani operum, quae vetustatem tulerunt, ut alii ante me pridem statuerunt, minimum duo *de monogamia* et *de ieiunio*, cf. Fr. Schultzen, *Die Benutzung der Schriften Tertullians de mon. u. de iei. bei Hier. adv. Iovin.* (*Neue Jahrb. f. deutsche Theologie* t. III. 1894 p. 485 seqq.). inde facile est cognitu, quis verus fuerit usus Hieronymianus Tertulliani, atque hac re cognita parabitur nobis norma, qua corrigantur somnia Bockii.

Substerno igitur oculis legentium primum lectiones illas, quae Hieronymo cum Hugone communes sunt. ex quibus apparebit, quam arte se applicavisse Hieronymum in verbis ad Tertullianum Bockius voluerit. neglego autem eclogam Theophrasti, a qua incipit Hugonis liber p. 1203 A—1204 C, quamquam conspirantem et ipsam ad verbum fere cum Hieronymo. ea enim parum apta est, qua utar inculcans Bockio, quam leviter sumpserit, Hieronymum auctores suos latinos descripsisse per paginas verbum reddentem de verbo. ipse enim fateor, per se facilius fieri potuisse, ut Hieronymus supersederet invertere et fucare de more rhetorum eam lectionem auctoris sui latini, quam rursus apud illum repperisset fideliter expressam ex alio auctore antiquiore. de eclogis, nomine auctoris citato, propagatis spreta lege paraphrasis apud antiquos cf. Ed. Stemplinger, *Das Plagiat in der gr. Literatur* (Lps. 1912) p. 180 seqq. itaque me detestantem a me, qualem Bockius inter Hieronymum et Tertullianum interfuisse vult concordiam textus, decebit interim Theophrastum seponere. ceterum etiam infra p. 43 seqq. occasio erit, ut memoria Hugoniana Theophrasti cum codicibus Hieronymi conferatur singulaeque varietates scripturae examinentur. ergo

modo accipe reliquos locos Hieronymi praeter Theophrastum apud Hugonem recurrentes:

Hugo p. 1204 D Migne:

Cicero enim rogatus ab Hircio, ut post repudium Terentiae sororem eius duceret, non acquievit, dicens non se posse et uxori et philosophiae pariter operam dare.

Hier. p. 316 A Vall.:

Cicero rogatus ab Hirtio ut post repudium Terrentiae sororem eius duceret, omnino facere supersedit, dicens, non posse se et uxori et philosophiae pariter operam dare.

p. 1204 D seq.:

fertur et Socrates duas uxores habuisse, Xantippen et Mironem neptem Aristidis. quae cum eum crebro conviciis aggrederentur, novissime verterunt impetum in eum et male multatum tandemque fugientem diu persecutae sunt.

p. 316 B:

Socrates Xanthippen et Miro neptem Aristidis, duas habebat uxores. quae cum crebro inter se iurgarent et ille eas inridere esset solitus, quod propter se foedissimum hominem simis naribus, recalva fronte . . . disceptarent, novissime verterunt in eum impetum et male mulcatum fugientemque diu persecutae sunt.

p. 1205 A:

sed forsitan putet aliquis concordiae providisse, si pauperem ducat uxorem. Marcus Cato Censorius habuit uxorem Paulam, humili loco natam, vinolentam, impotentem et quod credere facile posset nemo, Catoni superbam. Philippum regem Macedonum, contra quem Demosthenis Philippicae, introeuntem ex more cubiculum uxor exclusit irata.

p. 316 D:

Marcus Cato Censorius habuit uxorem Artoriam Paulam humili loco natam, violentam, inpotentem et quod nemo posset credere Catoni superbam. hoc ideo, ne quis putet, si pauperem duxerit, satis se concordiae providisse. Philippum regem Macedonum, contra quem Demosthenis Philippicae tonant, introeuntem ex more cubiculum uxor exclusit irata: qui exclusus tacuit et iniuriam suam versu tragico consolatus est.

ibid.:

totae Euripidis tragoediae in mulierum maledicta sunt, unde et Hermione loquitur: malarum me mulierum decepere consilia.

p. 317 A:

totae Euripidis tragoediae in mulieres maledicta sunt. unde et Hermione loquitur: malarum me mulierum decepere consilia.

ibid.:

scribit Herodotus quod mulier cum veste deponat verecundiam.

p. 317 B:

scribit Herodotus quod mulier cum veste deponat et verecundiam.

p. 1205 B seq.:

scripserunt, sicut legisse recolo, Aristoteles et Seneca de matrimonio libros, in quibus amorem formae uter-

p. 318 B seq.:

scripserunt Aristoteles et Plutarchus et noster Seneca de matrimonio libros, ex quibus et superiora nonnulla sunt

que accusat. amor, inquiunt, formae rationis oblivio est et insaniae proximius philtrium, foedum minimeque conveniens animo sapientium. turbat consilia ...

et ista quae subiecimus. amor formae rationis oblivio est et insaniae proximus, foedum minimeque conveniens animo sospiti vitium. turbat consilia ...

quae deinceps leguntur usque ad vis ardentis affectus erumpebat *Hugo p. 1205 D Migne = Hier. p. 318 D Vall., versus Vallarsiani XXIV, inter se consentiunt ad verbum, praeter quod varietates scripturae sunt: Hugo 1205 C* inutiles, etiam ipsi *Hier. 318 C* inutiles, ipsi *Hugo ibid.* plurima *Hier. ibid.* plura *Hugo ibid.* explicavit ut qui non iudicio *Hier. ibid.* explicat quod non iudicio *Hugo ibid.* cognovisse *Hier. 318 D* cognovisse se *Hugo 1205 D* tractam labiis *Hier. ibid.* tactam labris.

p. 1205 D seq.:

de hoc eodem exemplo dicit Hieronymus contra Iovinianum: origo quidem amoris honesta erat, sed ...

p. 318 D seq.:

origo quidem amoris honesta erat, sed ...

rursus ad verbum consentiunt quae secuntur usque ad nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos *Hugo p. 1206 A = p. 319 B Vall., versus Vallarsiani XVIII, neque sunt variae lectiones praeter hasce: Hugo 1205 D* ex qua honesta *Hier. 318 E* quam ex honesta *Hugo ibid.* turpis *Hier. 319 A* turpis est *Hugo ibid.* ut regat *Hier. ibid.* regit *Hugo ibid.* ne praeceps feratur *Hier. ibid.* nec praeceps fertur *Hugo ibid.* nihil enim foedius est *Hier. ibid.* nihil est foedius *Hugo ibid.* perinde atque *Hier. ibid.* quasi *Hugo ibid.* rei familiaris *Hier. ibid.* rei publicae *Hugo ibid.* colere *Hier. ibid.* tollere.

p. 1206 A:

ducuntur plerumque uxores non causa fornicationis vitandae, sed causa luxuriae explendae; nec causa prolis, sed causa pecuniae. unde Martia, Catonis filia minor, cum quaereretur ab ea, cur post amissum virum denuo non nuberet, respondit se non invenire virum, qui se magis vellet quam sua. quo dicto eleganter ostendit divitias magis in uxoribus eligi solere, quam pudicitiam, et multos non oculis, sed digitis uxores ducere. optima est uxor quam non avaritia conciliat, nec luxuria copulat.

p. 312 C:

Marcia Catonis filia minor, cum quaereretur ab ea, cur post amissum maritum denuo non nuberet, respondit non se invenire virum, qui se magis vellet quam sua. quo dicto eleganter ostendit divitias magis in uxoribus elegi solere, quam pudicitiam, et multos non oculis, sed digitis uxores ducere. optima sane res quam avaritia conciliat.

Exhibui universos locos Hugoni cum Hieronymo communes praeter eclogam Theophrasti. quamquam de his locis unus est, ubi Hieronymus diserte laudatur ab Hugone p. 1205 D seq. = p. 318 D seq.; quo

loco sane ne Bockius quidem consensum utriusque scriptoris e fonte communi Tertulliano repetivit. ad eum igitur locum infra recurrendum est. at reliquas lectiones omnes consentientes, quamvis ex parte amplissimas, ex Tertulliano Bockius ratum habet ab Hieronymo esse desumptas.

quae sententia Bockii de usu Tertullianeo Hieronymi non ideo solum displicet, quia ars rhetoris et scriptoris Hieronymi Bockium plane praeteriit. immo nunc artem mitto. sed rectius est, opinor, ut ex libris servatis Tertulliani, usurpatis ab Hieronymo imaginem compilatoris Tertullianei Hieronymi recuperemus, quam ut in deperdito opere *ad amicum philosophum* de angustiis nuptiarum istiusque auctoritate apud Hieronymum sola versemur. monui autem iam supra p. 23, quam commode nobis evenerit, ut opera Tertulliani *de monogamia* et *ieiunio* in Hieronymo *adv. Iovin.* usurparentur tractata a Schultzeno, *Neue Jahrb. f. d. Theol.* III 485 seqq. is igitur vir doctus quid enucleaverit curiosa investigatione de rationibus Hieronymi Tertullianum adhibentis instituta, nunc accipe.

Vix autem potuit Hieronymus ad exemplar auctoris vetustioris, si rem spectas, non verba, artius se applicare quam applicavit se ad Tertullianum in partibus christianis operis *adv. Iovin.*, in libro priore ad Tertulliani *de monog.*, in altero *de ieiunio.* quodsi Schultzenum audis l. l. p. 486 seq. et 491 seq. al. disserentem luculenter de rationibus, quibus hic accommodatus sit Hieronymus ad Tertullianum, lectiones ad verbum conspirantes Tertullianeae cum Hieronymo deprehenduntur in tanto rerum consensu paucissimae tantum eaedemque brevissimae. atque Schultzenus etiam multos locos tabulatim composuit, ubi pendere visus sit sibi Hieronymus a Tertulliano. quorum locorum gravissimos quosdam delibantem me non piget hoc loco tibi ipsos dare, ut palam sit, quantum distet versus usus Tertulliani Hieronymianus a Bockiano.

Tert. monog. 3:	*Hier. adv. Iovin. I 9 p. 250 C seq.* [1]*:*
denique cum dicit, 'melius est nubere quam uri', quale id bonum intellegendum, quod melius est poena?	'melius est enim nubere quam uri'. ideo melius est nubere, quia peius est uri. tolle ardorem libidinis et non di-

1) in textu operis *adv. Iovin.* hic et variis locis infra scito me codicibus usum passim recessisse tacitum a Vallarsio et editoribus prioribus. ubicumque enim varietas lectionis traditaque lectio a me reposita nullum plane momentum habet ad quaestiones meas, ibi licuit mihi cartis parcere apparatu critico suppresso, quem propediem Vindobonenses publicabunt.

quod non potest videri melius nisi pessimo comparatum? bonum illud est quod per se hoc nomen tenet, sine comparatione, non dico mali, sed etiam boni alterius, ut et si alio bono comparatum adumbretur, remaneat nihilominus in boni nomine. ceterum si per mali collationem cogitur bonum dici, non tam bonum est quam genus mali inferioris quod ab altiore malo obscuratum ad nomen boni impellitur. aufer denique condicionem, ut non dicas, melius est nubere quam uri, et quaero an dicere audeas, melius nubere, non adiciens quo melius sit? fit ergo iam non melius, et dum non melius, nec bonum, sublata condicione, quae dum melius illud facit alio, ita bonum haberi cogit. melius est unum oculum amittere quam duos. si tamen discedas a comparatione mali utriusque, non erit melius unum oculum habere, quia nec bonum.

cet, melius est nubere. melius semper ad comparationem deterioris respicit, non ad simplicitatem incomparabilis per se boni. (velut ...)

Hier. I 7 p. 246 D: bonum illut est naturaliter, quod conparationem non habet mali, quod praelatione alterius non obumbratur.

Hier. I 9 p. 251 A seq.: si per se nuptiae bonae sunt, noli illas incendio conparare, sed dic simpliciter: bonum est nubere. suspecta est mihi bonitas eius rei, quam magnitudo alterius mali malum esse cogit inferius. ego autem non levius malum, sed simplex per se bonum volo.

Hier. I 9 p. 250 D: velut si diceret: melius est unum oculum habere quam nullum. melius est uno inniti pede et alteram corporis partem baculo sustentare quam fractis cruribus repere.

Tert. ieiun. 6:

nam et Helias hoc primum, quod famem fuerat imprecatus, satis iam se ieiuniis voverat. 'vivit', inquit, 'dominus cui adsisto in conspectu eius, si erit ros istis annis et imber'. dehinc minantem Iezabel fugiens post unicum pabulum et potum, quem ab angelo expergefactus invenerat, et ipse quadraginta diebus et noctibus vacuo ventre, arido ore pervenit in montem Choreb, ubi cum in speluncam devertisset, quam familiari congressu dei exceptus est 'quid tu Helia hic?' multo amicior ista vox quam 'Adam ubi es?' illa enim pasto homini minabatur, ista ieiuno blandiebatur.

Hier. II 15 p. 348 E seq.:

Helias quadraginta dierum ieiunio praeparatus deum vidit in monte Coreb et audit ab eo: 'quid tu hic Helia?' multo familiarior ista vox quam illa in Genesi 'Adam ubi es?' illa enim pastum terrebat et perditum, haec ieiunanti famulo blandiebatur.

Vel his locis abunde intellegitur, cuius generis vera imitatio Tertullianea fuerit Hieronymi. nam proposui primum Pauli apostoli verbum illud *I Cor.* 7, 9 *melius est enim nubere quam uri,* consimili ratione tractatum ab Hieronymo atque a Tertulliano; ubi Schultzeno l. l. p. 493 Hieronymus in transferendo ad verbum textu Tertullianeo videtur pro-

gressus esse longissime. nihilominus hic quoque arduum est, concordantem utriusque scriptoris textum in tabella dispicere; atque insuper corradendus est unus idemque locus Tertulliani ex diversis capitibus, septimo et nono, Hieronymi. tamen si locum in utroque scriptore perlegisti, nulla dubitatio relinquitur, quin Hieronymus argumentationem dialecticam in Pauli verbum secundum Tertullianum praecipue exercuerit.[1]) evincitur igitur utrumque hoc loco, et illud, quam totum in rebus quidem rapuerit Hieronymum Tertulliani mens, perdocti hominis et vigilis, et illud, quantum polleat contra virtute propria in verbis Hieronymus spreto Tertulliano. — deinde similiter atque hic res se habet in loco de ieiunio Heliae prophetae, quem alterum tabella suggerit, quem etiam Schultzen p. 496 ex plurimis eius generis locis alterius libri *adv. Iovin.* dignissimum habuit, ut plenum exscriberet. ubi decurtata admodum est Tertulliani narratio ab Hieronymo, uso singulis quidem verbis Tertulliani permultis, sed nequaquam conspirante tali lectionis concordia cum Tertulliano, quali conspirant inter se Hugo atque Hieronymus, compilantes utrique de sententia Bockii communem auctorem Tertullianum. — maxime autem iuvat scire, ad libros manu scriptos Tertulliani operum *de monogamia* et *de ieiunio* emendandos nulli fere usui esse testimonia Hieronymi; qua de re conferenda est Schultzeni accurata disquisitio p. 498 seqq.; etenim ea re evidentissime segregatur verus usus Hieronymianus Tertulliani, deprehensus in libris *de monogamia* et *de ieiunio*, a coniecturis Bockii ad deperditum opus 'de angustiis nuptiarum' spectantibus. reminiscere modo, codicis fidelissimi instar Ter-

1) quamquam non nego, ut mihi succurrit legenti hos locos Hieronymianos, sic aliis quoque facile succurrere sermonem de nuptiis Didymi Alexandrini, praeceptoris Hieronymi; qui continetur capitibus VIII et IX libri *κατὰ Μανιχαίων* patrol. gr. t. 39 p. 1095/6 seqq. Migne: *καὶ ἑτέρως δὲ φυσικώτερον λεχθήσεται· ἡ παρθενία θεῖον τι χρῆμα τυγχάνει, καὶ ὡς ἐν ἀρεταῖς ὑπάρχει. εἴ τις οὖν συγκρίνων ταύτῃ τὸν γάμον, λέγοι αὐτὸν ἁμαρτίαν εἶναι, οὐκ ἀπολελυμένως ἁμαρτία ἐστίν. τὸ γὰρ κακὸν οὐ συγκρίσει τοῦ ἀγαθοῦ κακόν ἐστι, καθ' ἑαυτὸ ὂν τοιοῦτο. εἴ ποτε γοῦν ὡς πρὸς ἀγαθὸν λέγοιτό τι κακὸν καὶ αὐτὸ ἀγαθὸν εἴη, ὑποδεέστερον τοῦ προκρινομένου αὐτοῦ ἀγαθοῦ.* hic igitur habes idem dialecticum genus disputandi easdemque spinas rationales in vi et usu gradus comparativi versantes, quas legimus apud Hieronymum et Tertullianum tractantes apostoli verbum *melius est enim nubere quam uri.* sed discrepat sane Didymus in eo, quod nuptias defendit quamvis caute, cum nuptiis detrahant quam plurimum Tertullianus et Hieronymus.

tullianei operis 'de angustiis nuptiarum' haberi a Bockio Hieronymum *adv. Iovin.*

Atque haec quae ex servatis libris Tertulliani cum Hieronymo comparatis efficiuntur de rationibus, quibus adhibere assueverit Hieronymus Tertullianum, etiam per se splendent probabilitate magna. nam lectitatus erat aevo Hieronymi Tertullianus prae ceteris ecclesiasticis apud clericos neque omnino ante Augustinum in catalogum haereticorum abiit. commode autem de universa Tertulliani auctoritate in litteris christianis vetustioribus erudient studia Adolfi Harnack, *Tert. in der Lit. d. alten Kirche* (*Sitzungsb. d. Ak. z. Berlin* 1895 p. 545 seqq.). unde credes libenter, Hieronymo notitiam Tertulliani aevo illo vigentem inter christianos vacantes litteris debuisse inicere pudorem haud mediocrem, ne aliter orationis Tertullianeae libamenta reciperet scriptione sua ac qualiter recepisse ea eum ex operibus *de monog.* et *de ieiun.* intellegitur. accedit quod diversa fata fuerunt singulorum librorum Tertulliani, cum libri sincerae fidei ecclesiae repugnantes rariores fierent quam alii (cf. Harnack l. l. p. 555). latebant autem inter haeretica opera ipsa illa *de monog.* et *de ieiunio.* itaque vel hac ratione ductus aegerrime tibi persuadebis, in compilando Tertulliano Hieronymum umquam ultra eos fines progressum esse, citra quos se tenuit in adhibendis libris *de monog.* et *de ieiunio.* denique quae malum est amentia, qua quis suspicetur, ab Hieronymo in parte christiana libri prioris *adv. Iovin.* c. 13 p. 260 B commemoratum et commendatum lectoribus opus 'de angustiis nuptiarum', descriptum ab Hieronymo ad verbum continuo per paginas multas replere partem posteriorem libri eiusdem auctore dissimulato? atque bilem hoc mihi, ne prave intellegar, nequaquam movet, quod omnino posuit usum Tertulliani *ad amicum philos.* Bockius in priore libro *adv. Iovin.* (cf. c. VI), sed illud, qualem et quantum usum posuerit.

Relinquitur ut eis, quae de pudore sobrio Hieronymi in recipiendis lectionibus auctorum latinorum et quidem Tertulliani exposui, addam pauca de impudentia Hieronymi in compilandis graecis. sed dubito an impudentiae Hieronymum in hac re arcessam nimia cum acrimonia. nam mores Hieronymi, graecos auctores multo maiore cum audacia exhaurientis quam latinos, revera alte haerent tam in licentia illa, qua omnino antiquitus Romani compilarunt Graecos, quam in propria indole, quin virtute ipsa ingenii Hieronymiani. et cum Hieronymi

verbis, sententiis, lectionibus nudum Tertullianum *ad am. phil.* nobis offerri qui perstent credere futuros non esse sperem, rursus idem in eo sum, ut cursu huius disputationis tibi etiam penitus persuadeam, graecos auctores ad verbum vertentem Hieronymum furta commisisse amplissima. atque Plutarchi narrationes nuptiales complures latine redditas recepisse integras Hieronymum in opus *adv. Iovin.* aperta res est infra c. III mihi quoque uberius tractanda; itemque Theophrasti eclogam ipse supra repetebam ex oratione graeca Porphyrii.

quam vero diverse se habeat etiam priscorum Romanorum imitatio graeca ab imitatione latina, nolo pluribus exsequi, unam rem sufficiet tetigisse. non enim aliena ab his curis in Hieronymum impensis, fontes graecos et latinos diverse adhibentem putaverim ne ea quidem, quae de imitatione summi inter Romanos poetae, Vergilii, in latinis modesta et contenta certis finibus, in graecis multo effusiore circumspecte statuit F. Leo, *Hermae* t. XXXVII (1912) p. 50 seqq. nimirum ipsa ars interpretandi dedit interpretantibus latinis Graecos tam scriptoribus quam poetis receptae orationis alienae etiam plurimae excusationem idoneam. atque Hieronymus totus spirabat in arte interpretis, ita ut hac eius ingenii indole mores eius in libris componendis, sive in commentariis ad Scripturam sacram, sive in aliis libris, maxime conformati esse videantur. et quandoquidem supra propter Theophrastum inieci Porphyrii mentionem auctoris Hieronymiani, nec non etiam alia via ad Porphyrium ducturus sum, graecum Hieronymi fontem, advocantis adversus Iovinianum philosophos ethnicos, hoc loco mihi deesse nolo, quin paullisper universam vim et auctoritatem interpretis Hieronymi recolam. nescio equidem an hoc exspectandum sit, ut inhiarit interpretandi studiis in omni scriptione sua is scriptor, qui quodcumque ei felicissime cessit opus, id sibi cessisse viderit interpretis opera. qui mirum quantum hominibus philologis praestitit et cupidis antiquitatis pernoscendae *chronico* Eusebiano latine reddito; qui de Christo ac de deo Iudaeo unice meritus christianorum et Iudaeorum bibliis sacris aut interpretatis aut retractatis ab aevo nomen quaesivit, quo maius nullum interpretis nomen factum est, ex quo condidit Pallas gentibus commercium litterarum.

2

Ad litteras latinas ditiores factas ab Hieronymo, linguarum peregrinarum interprete, delapsus sum, cum et eclogam Theophrasti ad Porphyrium probabilius referri quam ad Tertullianum moneam et omnino totum Tertulliani librum Bockianum illum ex Hugone et Hieronymo instauratum respuam. atque dudum satis opinor planum factum est, quantis difficultatibus obstringantur ii, qui consensum textus inter Hugonem et Hieronymum obvium Bockii ratione declarare moliuntur. contra qui sumunt Hugonem, serum hominem medio aevo exscripsisse Hieronymum, ne ii angantur ulla querimonia aut dubitatione a Bockio impacta, statim cavebo.

ac primum quidem evinci putat Bockius p. 9 seq., Hugoni saec. XII praeter Hieronymum etiam Tertullianum Hieronymi fontem suppetivisse, ex hoc loco Hugonis p. 1205 D: *de hoc eodem exemplo dicit Hieronymus contra Iovinianum: origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis.* id vero de quo loquitur Hugo hoc loco, exemplum narratio Senecae est, quae apud Hugonem antecedit, de marito stimulato uxoris amore nimio et ineptissimo. quam narrationem iisdem prorsus verbis referri ab Hieronymo et Hugone tabella docet, qua concordantem utriusque scriptoris textum exhibui p. 25. iam vero Hugo quod demum post Senecae exemplum ab Hieronymo traditum citavit nominatim Hieronymum, Bockius id aliter explicari non patitur nisi eo modo, ut Senecae exemplum petitum sit ex fonte Hieronymi, epimythium tantum Hieronymi ex hoc.

sed quam lubrica haec huius loci Hugoniani explicatio Bockii sit, probabo retectis rationibus, quibus aliis locis Hugo auctores a se compilatos introduxit. atque in citandis auctoribus suis Hugo id potissimum egit, ut plures priscorum scriptorum evolvisse ipse videretur, quam quot reapse evolvit. sic equidem explico, quod Hugo primo Senecae exemplum tractum ex Hieronymo protulit verbis Hieronymianis p. 1205 C: *refert praeterea Seneca* eqs., deinde ut novum auctorem induxit ipsum Hieronymum tali usus flosculo, quali furtum dudum coeptum tandemque finiendum quodammodo reconderet: *de hoc eodem exemplo dicit Hieronymns contra Iovinianum* eqs.

plane autem eodem modo, quo Hugo ex Hieronymo duos auctores sibi comparavit, Senecam et Hieronymum, sic paullo inferius etiam ex

Columella auctores duos fecit, Xenophontem et Columellam. primo enim capite Hugo libri prioris sui post copias sibi cum Hieronymo communes intulit Xenophontei *οἰκονομ.* locum p. 1206 A: *refert oeconomicus Xenophontis liber pulcherrimus* eqs., cum demum post absolutum Xenophontis locum ad eum auctorem accedat, qui Xenophontem ei subministravit, ad Columellam p. 1206 B: *unde Columella cum de luxu mulierum loqueretur, inquit* eqs. etenim Columellae debere omnem Xenophontis memoriam Hugonem, quamquam Bockius non vidit, certe non dixit ubi debuit p. 8 aut p. 70, verissime monuit Grossgerge, *de Sen. et Theophr. libris de matr.* p. 13, atque perspicitur hisce:

Hugo p. 1206 A seq.:	*Colum. XII praef.:*
refert oeconomicus Xenophontis liber pulcherrimus, in quo de civili loquitur coniugio, quod pari labore vir et mulier desudarent in opere. ille foris victus et cultus humanos quaereret, illa vero domi curam ageret, ovium ceterarumque pecudum fetus et fructus custodiret.	*§ 1:* Xenophon Atheniensis eo libro ... qui oeconomicus inscribitur, prodidit maritale coniugium ... *§ 6:* foris ... victum quaerentibus ... *§ 2:* victus et cultus humanus *§ 3:* ovium ceterarumque pecudum fetus atque fructus ... custodiendi erant ...

Exscripsi eas phrases tantummodo, quibus Xenophon latinus Hugonis et Columella evidenter congruunt, simul moneo, sensum omnem loci Hugoniani nec non et singula verba eius loci paene omnia reperiri in Colum. XII. praef. 1—8. atque de universa sententia Hugonis a Columella pendente confer etiamnunc Colum. l. l. 4: *natura comparata est mulieris ad domesticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forensem et extraneam*, et ibid. 8: *in commune conspirabatur ab utroque* (marito et femina), *ut cum forensibus negotiis matronalis industria rationem parem faceret.* is vero locus Columellae, quem Hugo nomen Columellae professus loco Xenophontis subnexuit p. 1206 B inde a *luxu et inertia defluunt* ... usque ad *sordidissimum negotium paucis diebus in villa morari dicunt* legitur Colum. l. l. 9.

luculento igitur exemplo probatum est, quibus auxerit astutiis Hugo testium priscorum suorum numerum. quo exemplo praestito etiam cassa facta est spes, si modo fuit aliqua, fore ut Hugo praeberet *oeconomici* Xenophontei a M. Cicerone adulescentulo traditi latinae consuetudini fragmenta nova. nam Ciceroni sane debetur Xenophontis memoria, quae ad Hugonem pervenit, sed auctor huius memoriae unus relinquitur Columella.

Accedit alter locus, ubi mores Hugonis contigit mihi in citandis fontibus amplius revelare. qui locus gravissimus obviam est in ea parte operis Hugoniani, qua testimoniis Scripturae et doctrina mystica nuptiae spirituales commendantur, carnales reiciuntur. atque Hugo cum altero alterius libri capite eam rem susceperit tractandam, quomodo uxor iam ducta esset habenda, aut si displicuisset, repudianda, usus est Vulgatae loco *deut.* 24, 1 seqq. exscripto in haec verba p. 1215 A seq.: *per Moysen etenim scriptum est: si acceperit homo uxorem et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii et dabit in manu eius et dimittet eam de domo sua. cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam dederitque libellum repudii et dimiserit eam de domo sua vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est et abominabilis facta est coram domino.* deinde huic loco Vulgatae Hugo consimiliter atque Senecae vel potius Hieronymi narrationi de marito illepide amasio subiunxit Hieronymum p. 1205 D verbis usus: *de hoc eodem exemplo dicit Hieronymus* eqs., huic inquam loco Vulgatae subiunxit Hugo Gregorium p. 1215 B his verbis: *audi carissime, quid de adducto exemplo beatus Gregorius dicat: homo, inquit, uxorem accipit, cum actionis terrenae suscipit curam.* eqs. quid ergo? Hugonem putas memorem Moysis in *deut.* loquentis de uxore dimittenda propter aliquam foeditatem, amplum quem exscripsi locum, ipsum ex Vulgata petivisse? immo ne in Vulgata quidem perscrutanda, ut inde exempla idonea congereret, desudavit nimis Hugo iste; *deuteronomii* locus et Gregoriana huius loci interpretatio mystica moralisque ad unum eundemque fontem redeunt. quem fontem quisquis puto sponte nuncupabit Gregorium Magnum papam medio aevo lectitatum maxime. frustra tamen in Gregorii operibus verba ab Hugone ei addicta quaerebam et haud scio an alii quaesituri sint. verum tamen repperi omnem Hugonis sermonem inde a verbis p. 1215 A *per Moysen etenim scriptum est* ... usque ad verba p. 1215 C *quia pollutam esse cognovit* patentem per versus Mignei fere XXXIV in Paterii opere *de expositione veteris ac novi testamenti* e diversis libris Gregorii Magni concinnato, v. patrol. lat. t. 79 p. 780 A Migne *hinc est enim quod per Moysen dicitur* eqs. usque ad p. 780 B *quia pollutam esse cognovit.* ubi etiam ordinis S. Benedicti monachi editores quam Gregorii tam Paterii adnotant, sibi hanc eclogam Gregorii nequaquam oc-

currisse in libris Gregorii. itaque ego quoque quaerendo fatigatus quaerere desii, non ideo quod noluerim immodice oleum perdere in exploranda sede primaria eclogae Gregorianae; sed movit me similium rerum peritia: ut etiam in Eugippii *excerptis ex operibus S. Augustini*, similis generis opere cum Pateriano factum est, ut desiderarentur eclogae tres in Augustini operibus, quotcumque prostant in praesentia (cf. P. Knoell ed. Eugipp. I p. 1149 Vind.). sive igitur Gregorii discipulus Paterius praeter opera Gregorii nobis nota etiam scripta magistri hodie deperdita aut latitantia in bibliothecis excerpsit, sive sedes eclogae in operibus Gregorii ut priores ita me fugit, tamen praesertim cum eodem ambitu concludantur locus Gregorianus Hugonis et Paterii ecloga, dicendum est maxima cum probabilitate, traxisse Hugonem Gregorii memoriam non ex ipso Gregorio, sed ex compendio Paterii. pono ante oculos variam lectionem textus Hugoniani et Pateriani, etiamsi uterque horum scriptorum editus sit minus accurate, ut rationem capias, quae inter Hugonem et Paterium intersit: Pater. p. 780 A *hinc est enim quod per Moysen dicitur*: Hugo p. 1215 A *per Moysen etenim scriptum est* Pater. *deteritque ei*: Hugo *dederitque*

Pater. *accipere*: Hugo p. 1215 B *recipere* Pater. *quia polluta est. ubi videlicet patet, quia vis praecepti ratione iuxta litteram caret. cum enim veritas dicat, excepta fornicationis causa uxorem dimitti non posse, non sine culpa est, hanc propter foeditatem dimitti. sed homo uxorem accepit*: Hugo *quia polluta est et abominabilis facta est coram domino. audi carissime, quid de adducto exemplo beatus Gregorius dicat: homo, inquit, uxorem accipit* Pater. *si foeditatem cognoverit*: Hugo *cuius cum cognoverit foeditatem* Pater. p. 780 B *priusquam*: Hugo *quae priusquam*

Pater. *cuius sit*: Hugo *eius* Pater. *cum esse polluta per peccata videtur*: Hugo *cum scilicet esse per peccatum polluta videtur* Pater. *et ipsi*: Hugo *etiam ipsi* Pater. *dimiserit*: Hugo p. 1215 C *dimiserit eam* Pater. *ea*: Hugo *eam* Pater. *non poterit eam in uxorem accipere*: Hugo *eam in uxorem non poterit recipere* Pater. *curam terrenam*: Hugo *terrenam curam* Pater. *se iam suo iudicio*: Hugo *iam suo iudicio se.*

hac igitur varia lectione secernuntur Hugo et Paterius. quae varia lectio nihil obstat, quin omnis repetatur ex arbitrio Hugonis Paterium cum licentia describentis, nisi forte ex parte nata est scribarum editorumque incuria. denique si dicas Hugonem Vulgatae locum,

posteaquam accepisset a Paterio, et ipsum evolvisse, equidem non repugno.

quodsi patet, pro Gregorio Magno anthologium secundarium adiisse Hugonem, substituentem in flosculo illo p. 1215 B *audi ... quid de adducto exemplo beatus Gregorius dicat* illustrius et vetustius Gregorii nomen in locum vilioris et recentioris Paterii, tantum abest, ut locutio p. 1205 D *de hoc eodem exemplo dicit Hieronymus* mihi cum Bockio indicio sit Tertulliani usurpati ab Hugone, fontis Hieronymi, ut Hugoni hoc loco nullum auctorem ad manum fuisse dicam nisi excerptorem Hieronymi recentiorem aliquem, cuius nomen Hugo siluerit. quidni credam in adhibendis auctoribus Hugonem moribus sui saeculi totum fuisse obnoxium? sic inter contemporaneos Hugonis Petrus Lombardus *in sententiis* Gregorium Magnum, Ambrosium atque etiam ipsum Hieronymum substituebat in locum Bedarum, Alcuinorum, auctorum a se vere exscriptorum, cf. O. Baltzer, *Die Sent. d. Petrus Lomb., ihre Quellen* eqs., *Studien z. Gesch. d. Theol. u. d. Kirche* VIII 3 (1902) p. 5 et 8 al. — ceterum minus attinet, unamquamque indagare semitam, qua accesserit Hugo ad fontes summos doctrinae suae, Gregorium et Hieronymum. plurimos certe scriptores medio aevo sapientiam saecularem de matrimonio, ab Hieronymo in opus *adv. Iovin.* collectam, excerpsisse, iam supra p. 3 de Theophrasti ecloga locutus monui. illud utique evictum est, rationem qua Bockius verba *de hoc eodem exemplo dixit Hieronymus* interpretatus est, improbari natura reliqua operis Hugoniani.

Huius de operis Hugoniani natura universa pauca etiamnunc addere mihi visum est, quo melius scias, num tributurus sis Hugoni Tertulliani notitiam. ac primum quidem te tam diu versatum in opusculo isto *de nuptiis* eius rei gnarum esse velim, profectum id opus esse minime ab Hugone de S. Victore, nobilissimo scriptore mystico saeculi XII. nec vero aut id necesse est hoc loco me fusius demonstrare, quantum abhorruerint veri Hugonis de S. Victore opiniones de nuptiis ab effrenata infestatione nuptiarum falsi Hugonis, aut adumbrare pluribus genus dicendi male tumidum falsi Hugonis idque alienum ab Hugone de S. Victore. nam comprobavit B. Hauréau, *Les oeuvres de Hugues de Saint-Victor* (nov. edit. Paris. 1886) p. 158 et 167 seq., tractatum *de nuptiis*, quem edunt in appendice operum dogmaticorum Hugonis de S. Victore, ab Hugone de Folieto, priore canonicorum S. Laurentii

in pago Ambianensi scriptum esse, qui aetate paullo inferior Hugone de S. Victore defuncto a. 1141 p. Chr. n. eodem saeculo quo ille circa annum 1153 claruit. libri enim manu scripti satis spectabiles huic Hugoni tractatum diserte tribuunt, cum scriptum librum nullum noverit Hauréau Hugoni de S. Victore tractatum addicentem. atque ad Haureavi iudicium licet mihi etiam te relegare de stilo et de dogmatis nuptialibus scriptoris diversis ab Hugone de S. Victore plura scire cupientem.[1])

Etiamsi vero Hugo de Folieto longe superetur ab Hugone de S. Victore arte dicendi et facunda rerum explicatione, tamen hic consentit cum illo quam in philosophia mystica tam in ecclesiae auctoritate strenue observata. etenim magni aestimo commonere, in Hugonis de Folieto opusculo toto nullum christianum laudari scriptorem, nisi eos quos summa auctoritate exornaverat ecclesia, ne leviter Tertulliani haeretici usum cum Bockio in eo ponas. adhibet autem Hugo praeter Hieronymum et Gregorium Magnum etiam p. 1209 C Augustinum, cuius locum *serm.* 86, 6, 6 *de verbis evang. Matth. 19, 21* tractat. deinde ad Augustini studia atque auctoritatem redire ut ad fontem primarium Hugonis doctrinam magna ex parte, aliis modis intellegitur; verbi causa quibus locis Scripturae consutum est caput II libri I Hugoniani, cui inscriptus est index *muliebris commercii et carnalis coniugii detestatio adductis sacrae Scripturae testimoniis,* tales loci permulti inveniuntur in unum congesti in Ps. Aug. *speculo* 45 *non fornicandum* p. 495 seqq. Weihrich et ibid. 53 *mulieris malitiam esse vitandam* p. 529 seqq.

ceterae autem res theologiae christianae et mysticae, in quibuscumque Hugo versatus est, imprimis notae sunt operibus Gregorii Magni et litteris mysticis saeculi XII, editis in corpore operum Hugonis de S. Victore patrol. lat. tt. 175—177 Migne.[2]) velut caput III l. I, cui titulus est: *invitatur amicus ad compunctionem cordis et fontem lacrymarum ut devitet illecebras carnis,* completur rebus quam philoso-

1) in transcursu corrigo Haureavi errorem, qui in tractando opere Hugonis de Folieto *de nuptiis Lysim* dialogum Platonicum confudit p. 168 cum *Lysia Φαίδρον* Platonici.

2) de litteris mysticis saeculi XII ex magna parte ascendentibus ad Ambrosium et auctores Ambrosii ut Philonem Iudaeum cf. in universum A. Ebert, *Allg. Gesch. d Lit. des Mittelalters* t. I^2 p. 147 seq. — Hugo de Folieto Ambrosium ipse non videtur adhibuisse.

phis mysticis saec. XII tam Gregorio perquam usitatis. de compunctione cordis agentem cf. Gregorium *in Ezech.* 2, 10, 20 t. 76 p. 1070 A seqq. Migne et passim in *Moralibus.* de eadem re in appendice ad Hugonis opera dogmatica tractatus est *miscell.* 6, 75 *de duplici compunctione* t. 177 p. 847 C seqq. Migne. — item imagines, quibus orationis nitorem captabat Hugo de Folieto e. g. p. 1209 D *oliveta misericordiae, roseta martyrii, castitatis lilia, inviolatae virginitatis violas,* familiarissimae sunt iis, qui in legendo Gregorio aut Paterio, excerptore Gregorii, otium consumunt, cf. e. g. Pater. t. 79 p. 712 B Migne *aliter* (*olet*) *flos olivae, quia suave est opus misericordiae ... aliter flos rosae ... ex cruore martyrum. aliter flos lilii, quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis. aliter flos violae* eqs. — deinde p. 1211 C seq. Hugo, quemadmodum totum caput de compunctione longe digreditur ab argumento proprio nuptiarum, immoratur effuse in septem fontibus Israel i. e. septem donis spiritus sancti, quos fontes defluentes facit ad fontem compunctionis, quem vocat. retractat igitur res ab Hugone de S. Victore peculiari peractas opere *de quinque septenis seu septenariis* t. 175 p. 405 seqq. Migne; doctrinam catholicam utriusque Hugonis illustrent sententiae inter se concordantes Hugonis de Fol. p. 1211 C *septem sunt sancti spiritus dona, quae sunt spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et spiritus timoris domini,* et Hugonis de S. Vict. p. 405 C *septem dona spiritus sancti. primum spiritus timoris domini; secundum spiritus pietatis; tertium spiritus scientiae; quartum spiritus fortitudinis; quintum spiritus consilii; sextum spiritus intellectus; septimum spiritus sapientiae.*

posterioris deinceps libri capite I cui inscribitur *de duplici uxore et duplici vita,* Hugo de Folieto a compunctione cordis ad nuptias reversus declamatione gaudet verbosa de patriarchae Iacob uxoribus Lia et Rachel, quarum Lia vitam activam, Rachel contemplativam designet. cui non in mentem venit Gregorii Magni papae, Rachelis amantissimi, sed tamen in nocte coniuncti Liae, ut ipse narrat *epist.* 1, 5 *Mon. Germ. epist.* I p. 6? atque moralem illam interpretationem Liae et Rachelis, cum saepius etiam in corpore Mignei operum Hugonis de S. Victore obviam sit (cf. e. g. t. 175 p. 650 C), tamen maxime agitavit Gregorius; quae interpretatio etiam pertractatur in excerptis Paterii t. 79 p. 714 C seq. M.

capite vero II l. II Hugo post excerptum illud ex Paterio de-

sumptum longissimum, de quo supra actum est, p. 1216 A locum *cantici canticorum* Salomonis profert 1, 3 *in odore unguentorum tuorum currimus,* adnectitque ad hunc *cantici* locum sermonem moralem de christianis recte currentibus i. e. deum sequentibus. cui sermoni similis sermo est in Ps. Gregorii *super cantica canticorum expos.* 1, 10 seq. t. 79 p. 482 D seq. M.

capite denique III l. II instructo inscriptione: *de nuptiis spiritualibus et earum ferculis, ornamentis, ministris ac consummatione* tractatus Hugonianus in laudes desinit immodicas nuptiarum spiritualium, quales laudes in theologia mystica crebrae sunt, ex quo inter se opponuntur spirituales nuptiae et carnales, cf. e. g. append. ad Hug. de S. Vict. opp. dogm. *miscell.* 5, 110 *de tribus nuptiis* eqs. t. 177 p. 805 C seq. M., Greg. M. *dial.* 4, 13 t. 77 p. 340 B M., Hier. *epist.* 107, 7, 1 et 12, 2, Greg. Nyss. *περὶ παρϑ.* 19 patr. gr. t. 46 p. 397 A Migne; praeterea in universum de nuptiis spiritualibus vide encyclopaediam catholicam, *Wetzer u. Welte's Kirchenlexikon*[2] t. II p. 508 seq. s. v. *Beschauung.*

3

Longiore sermone te fatigavi persecutus, quales christiani scriptores quaque praediti auctoritate ecclesiae Hugoni de Folieto ad manum fuissent. nimirum nolui de auctore Hugonis a Bockio ficto Tertulliano iudicium perficere nisi exploratis omnibus Hugonis auctoribus simulque inspecta natura universa opusculi Hugoniani. ad summam corruit plane impedimentum illud a Bockio paratum ex loco Hugonis p. 1205 D, quod obiecerat existimantibus, pendere Hugonem ex Hieronymo solo. sed quamquam rumore splendido protracti ex tenebris bibliothecarum Tertulliani Hugonem orbavi, tamen non ex omni parte accidit, ut Hugo iste de Folieto indignus factus sit philologorum cura. nam quam rem supra tetigi, ad eam nunc revertor, usurpatum dico ab Hugone medio aevo, cum latuisset maxime, profanum scriptorem Columellam. nec vero ullo modo mirum videri poterit, si quis scriptor christianus inter auctores ecclesiasticos nullos propagavit exscribendo nisi probatos ecclesiae et tritos manibus clericorum, idemque scriptor christianus de profani alicuius illoque aevo rarissime descripti auctoris memoria multum meruit.

nimirum cavetur gravissima re, ne ex Columella usurpato ab Hu-

gone de Folieto prava efficiantur de ambitu et prolixitate studiorum Hugonis. nam qua ratione Columellae codicem arripere licuerit Hugoni, eadem ratione potuisse eum Tertulliani codicem elicere ex occulto, nemo dicet nisi qui tam Tertullianeae memoriae quam Columellanae historiam nimis spreverit. Tertullianus medio aevo apud Hispanos studiis fotus est, Isidori, Agobardi, omnino Hispanorum sedulitate opera eius a situ retracta sunt (cf. Harnack, *Sitz.-Ber. d. Akad. z. Berlin* 1895 p. 560 seq.); posterior memoria gallica Tertulliani Cluniacensis imprimis videtur fuisse (cf. E. Kroymann, *mus. Rhen.* LXVIII 1913 p. 135 seqq.). Columellae memoria pendet potissimum a codice Corbeiensi saeculi IX/X, qui postea Sangermanensis et deinde Petropolitanus factus est: Corbeiensis autem fuit Hugo de Folieto; si minus fuit Sancti Petri Corbeiensis monachus, ut narrant chronica aliqua (cf. Hauréau l. l. p. 159), at certe degebat aetatem in pago Ambianensi subditusque erat ut prior canonicorum Sancti Laurentii imperio temporali abbatis Corbeiensis; v. supra p. 35. lucrum igitur duplex capit, qui retinet memori animo, in tractatu *de nuptiis* qui citetur Columellam nobis praecipue servari codice Corbeiensi. qua re et firmatur Haureavi iudicium de auctore tractatus homine Ambianensi; et quomodo factum sit, id explicatum habes, ut in ecclesiastico opusculo vilissimo medii aevi reconditus tunc scriptor antiquus de re rustica adhiberetur. omnem autem Columellae memoriam medio aevo apparentem indicant M. Manitius, *Gesch. d. l. Lit. d. Mitt.* I (Monaci 1911) p. 309 seq. (cf. etiam *Philol.* t. XLVIII 1889 p. 566 et *mus. Rhen.* t. XLVII 1892 *suppl.* p. 50 seq.), M. Ihm *mus. Rhen.* XLVIII (1893) p. 479, R. Reitzenstein *Philol.* LVII (1898) p. 317. quorum doctorum ex adnotationibus facile cognoscitur, quam exilem locum occupaverit medio aevo in Columella vulgando codex ille, qui praeter Corbeiensem Columellam nobis servavit, codex Ambrosianus saec. IX/X, quam gravem locum contra tutatus sit is liber, qui ex testimoniis vetustorum catalogorum apud Gallos saec. XII in bibliotheca Corbeiensi exstitit. velut quod etiam Richardus de Fournival saec. XIII Columellae notitiam praestitit in *biblionomia* sua, Richardus ille perinde atque Hugo de Folieto pagi Ambianensis scriptor erat, et is quidem traditur fuisse in pagi capite Samarobriva ecclesiae cancellarius.[1])

---

1) eo errore obstringitur Manitius, *Gesch.* eqs. I p. 310 adn. 1, ut Hugonem de S. Victore auctorem tractatus *de nuptiis* dicat, Hugonem de Folieto ne-

Quodsi ad bibliothecam Corbeiensem aditum patuisse Hugoni de Folieto Columella ab eo excerptus prodit, haec res magno usui erit etiam ad eam difficultatem removendam, qua porro periculum est ne graventur, qui refectum a Bockio librum Tertulliani de nuptiis spernunt. neque enim tantummodo ausus est Bockius efficere ex verbis Hugonis Hieronymum introducentibus p. 1205 D, praesto fuisse etiam fontem Hieronymi Hugoni, sed altera praeterea ratiocinatione usus est l. l. p. 9, qua moveret tumultum Tertulliani arcessendi. additamento monuit eclogam Theophrasti Hieronymianam, quae apud Hugonem recurrit p. 1203 A—1204 C, splendere in Hugone, eoque additamento, quod procul dubio ab ipso Theophrasto ortum traheret. genuinum igitur Tertullianum hoc loco nos prendere contendit Bockius in Hugone, Tertullianum futtiliter excerptum misereque mutilatum in Hieronymo. quo de additamento Hugoniano quid rei sit, ut ipse videas, proximum est, ut utramque eius loci recensionem et Hieronymianam et Hugonianam proponam.

Hier. p. 314 C seq.:

verum quid prodest etiam diligens custodia, cum uxor servari inpudica (impudica servari *M Burl.*) non possit, pudica non debeat? [1]) infida enim custos est castitatis (*𝔖AMBC Vall. Abael. Saresb. Burl.:* caritatis *ES*) necessitas, et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare, si voluit (*ESMBC Vall. Abael., Saresb. codd. Webbii:* si noluit *𝔖A:* sed noluit *Saresb. ed. Mignei, Vinc. Bell. sp. h., Burlaeus*). pulcra cito adamatur, foeda facile (facile *codd. Vall. Burl.: om. Abael.:* facillime *Saresb.*) concupiscit.

Hugo p. 1203 D seq.:

verum quid prodest diligens custodia, cum uxor impudica servari non possit, pudica non debeat? infida enim custos est castitatis necessitas, et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare, sed noluit. s i t p u l c h r a a u t d e f o r m i s u x o r; u t r i n q u e u r g e t u r i n c o m m o d o q u i e a m d u c i t. pulchra enim cito adamatur, foeda cito concupiscit.

quaquam curet neque ea quae de hoc expedivit Hauréau feliciter. habet igitur Manitius scriptorem P a r i s i a c u m pro excerptore Columellae, non A m b i a n e n s e m. quo errore factum est, ut memoriam Columellanam tractatus *de nuptiis* Manitius mallet repetere ex codice Sangermanensi, quem differt a codice Corbeiensi. sed de Sangermanensi Columellae certi nil exploratum est, nisi si idem fuit atque Corbeiensis, qui nunc Petropolitanus est (cf. I. Häußner, *Die handschr. Überl. d. Col.*, *Beilage z. d. Progr. d. Gymn. z. Karlsruhe* 1889 p. 17 seq.). de bibliotheca monasterii Sancti Germani a Pratis prope Parisios aucta codicibus Corbeïensibus saeculo XVII v. L. Delisle, *Le cabinet des manuscrits de la bibl. nat.* t. II (Par. 1874) p. 141. — Manitium errantem sequitur Großgerge, *de Sen. et Theophr.* eqs. p. 13 adn. 1.

1) cum hac sententia cf. Eurip. frg. 1061 N.² (Stob. IV 23, 10 p. 574 H.)

quibus verbis litteris diductis in dextra columna huius tabulae expressis auctus est Theophrasti locus apud Hugonem *sit pulchra . . . ducit*, haec verba syllogismum aliquem efficiunt de re uxoria. quem syllogismum apto loco insertum esse orationi Hieronymianae infitias non eo. atque item apte sententia, quae syllogismum excipit, particula *enim* post vocem *pulchra* adiecta, cum prioribus apud Hugonem cohaeret. nihilominus sermo Theophrasteus, quem Hieronymus offert, a syllogismo illo vacuus et ipse bene procedit. eatenus autem cum Bockio facio, ut splendidam illam, quam vocavit emendationem textus Theophrastei Hugoni vindicandam, abnuam ortam esse ex Hugonis ingenio, hominis medii aevi. quamquam id ipsum factum esse nuper nobis persuadere conatus est adversus Bockium obortus Gualth. Grossgerge *de Sen.* eqs. p. 10; qui nil nisi spumam rhetoricam esse additamentum illud a Bockio indicatum opinatus est, indignam plane, cuius quis originem explicaret. immo Bockio concedo, hunc syllogismum sapere antiquitatem.

inquirenti autem mihi in originem antiquam syllogismi illius succurrit A. Gellius, ut qui scriptor Hugoni de Folieto praesto fuerit; Gellii enim exemplar aliquod saeculo XII in bibliotheca Corbeiensi fuisse diligentissima Hertzii investigatione exploratum est ed. Gell. t. II praef. p. XXXVI. atque Wibaldus abbas Corbeiensis inde ab anno 1146 p. Chr. in epistulis usus est Gellii XI 11, 1—3. nec non alia sunt vestigia certa lectionis Gellianae apud Corbeienses, de quibus vestigiis v. Manitium *Philol.* t. XLVIII (1889) p. 565 et *mus. Rhen.* t. XLVII (1892) *suppl.* p. 3 et 72. ex Gellio igitur traxit Hugo de Folieto ipsam illam splendidam Bockii emendationem Theophrasti, quam reapse accipe esse *Biantis de re uxoria syllogismum* tractatum a Gellio *noct. Att.* V 11, 1 seqq. atque de Hugone ad verbum cum Gellio conspirante vide Gellium l. l. 5 *non esse ducendam uxorem propter alterutrum incommodum, quod necessario patiendum erit ei, qui duxerit.* de vocabulis *pulchra* et *deformis* ab Hugone usurpatis v. Gell. ibid. 11 *pulcherrimam feminam et deformissimam.*[1])

μοχθοῦμεν ἄλλως θῆλυ φρουροῦντες γένος· ἥτις γὰρ αὐτὴ μὴ πέφυκεν† ενδος (*ἔνδικος* Nauck), *τί δεῖ φυλάσσειν κἀξαμαρτάνειν πλέον;*

1) quam tritus fuerit ipsa Gellii aetate syllogismus ille Biantis (vel Pittaci, cf. Stob. *ἀνθ.* IV 22, 17 p. 497 H.), docet papyrus aliqua et ipsa Gellii aetate exarata Argentoratensis gr. 92 (v. Reitzenstein *Hellen. Wundererz.* Lps. 1906 p. 147):

sic succidit haec quoque Bockii ratiocinatio, qua textum Hugonis ad Tertullianum reverti probaturus erat. ceterum non praeterii, quin omnes varias lectiones textus Hugonis et Hieronymi atque etiam orationem omnino omnem, qua auctum est c. I libri I Hugonis prae Hieronymo, meo Marte examinarem, ne quis locus me fugeret, ubi praeter Hieronymum alium scriptorem antiquum Hugo adhibuisset. verum Gellio et Columella exceptis admodum pauca eaque valde lubrica vestigia lectionis veterum scriptorum apud Hugonem repperi; quae ad unum omnia tibi exacta fide propono. velut in legendo Hugone p. 1205 A *num doctior es Catone? num Philippo rege potentior?* Senecae venit mihi in mentem *de ira* III 24, 1 *numquid potentior sum Philippo?* [1]), item in Hugone p. 1205 B *si quis autem testis adfuerit, ipsa tamen artificio linguae fateri cogit eum non vidisse quod viderit* Senecae *apocol.* 1, 3 *iuravit se Drusillam vidisse caelum ascendentem et illi pro tam bono nuntio nemo credidit quod viderit.* quibus locis tu reputa tecum, num casui consensus Hugonis cum scriptis Senecae nobis servatis tribuendus sit. praeterea vox ab Hugone usurpata p. 1205 B *philtrium* excitat memoriam versus Iuvenaliani *sat.* 6, 611 *philtra quibus valeat mentem vexare mariti.* porro quod ebulliit Hugo p. 1206 C probrum in mulieres *videre et videri summum bonum existimant*, id

---

τὸν δὲ κολοφῶ[να ἐκεῖνον μάλιστα τού]τοις ἐπῆγεν, ὅτι εἰ θέλει [τις γυναῖκα εἰς τὴν οἰ]κίαν ἀγαγεῖν, ἐν μὲν ταῖς α[ἰσχραῖς ἀηδία· καὶ πῶς]οὐκ ἀβίωτον οὕτως ἐστί[ν; ἐν δὲ ταῖς καλαῖς φόβος μὴ] μοιχεία γίνηται· — ceterum verus auctor syllogismi illius Bio Borysthenita videtur fuisse (cf. Hense *Teletis reliquiae*² p. C), cuius antiquissima recensio ea erat, quam Stobaeus et Gellius ll. ll. tradunt (*ἐὰν μὲν καλὴν γήμω, ἕξω κοινήν, ἐὰν δὲ αἰσχράν, ἕξω ποινήν*) sive paullulum variatam Laertius Diogenes IV 48. quam recensionem commendat agnominatio per vocabula *κοινήν* et *ποινήν* instituta. apparet autem, quomodo adulterata forma syllogismi apud Hugonem medio aevo obvia exorta sit, ubi pro apodosi *ἕξω ποινήν* legitur sententia *foeda cito concupiscit.* retinuit nimirum Hugo quantum potuit verba, quae apud Hieronymum invenerat *foeda facile concupiscit.* — alia de Biantis syllogismo habet Osann *de Sen. scr. deperd.* I p. 6 adn. 6, qui tamen Hugonem de Folieto non curavit.

1) tales appellationes christiani adamant, cf. Aug. *de bono coni.* 27 p. 222, 7 V. *tu ergo melior quam Abraham.* ibid. p. 221, 18 *tu ergo melior quam Sarra* (*retract.* II 22, 1 p. 157). — quamquam cum locutione illa Hugonis cf. etiam locum de Alexandro rege et Diogene philosopho cynico apud Hieronymum et Senecam: Hier. *adv. Iovin.* II 14 p. 344 D seq. *Diogenes . . . potentior rege Alexandro.* Sen. *de benef.* V 4, 4 *(Diogenes) multo potentior, multo locupletior fuit omnia tunc possidente Alexandro.* F. Leo, *D. gr.-r. Biogr.* (Lps. 1901) p. 120 adn. 3 hanc similitudinem inter imitationes Annaeanas Hieronymi habet.

antiquae originis esse locum communem nemo nescit, cf. e. g. Stob. IV 23, 42 p. 582. Aelian. ποικ. ἱστ. VII 10. al. quem locum communem quia ante Hugonem etiam Tertullianus exhibet *de cult. fem.* 2, 11 *propter istos enim conventus et multum videre ac videri omnes pompae in publicum proferuntur* (cf. etiam *de virg. vel.* 2), idcirco lectionem Tertullianeam Hugonis ponere hariolantis est.

ad summam id exploratum habere mihi videor, praeter Gellii syllogismum eam tantum doctrinam antiquam capiti I Hugonis subesse, quae ex Hieronymo aut Columella orta sit, reliquam capitis orationem Hugonis meditationem potius esse tetricam, cohortationem ecclesiasticam saeculi XII quam sermonem eruditione gravidum ex antiqua origine repetendum. itaque adnotationibus meis de libris nuptialibus Hugonis nihil reliquum est nisi ut addam corollarium, quo lectiones Hugonis et Hieronymi communes curis criticis aggrediar, persecutus per singulos locos labores excerptoris quomodo cesserint Hugoni. simul his curis criticis patebit, a quo codice nostrorum codicum Hieronymi Hugonis exemplar Hieronymianum proxime afuerit.

Primum igitur Theophrasti eclogae memoria Hugoniana tractanda est, ubi praecipue percipe, quo infortunio Hugo p. 1204 C textum Hieronymi exitu fraudaverit. nam cum excerpsisset Hugo p. 1204 B seq. *liberorum causa uxorem ducere ... ut certis utamur haeredibus stolidissimum est*, postea neglexit futtiliter huius sententiae causas referre, verbis Hieronymi contentas p. 315 D *heredes ... relinquere.*[1]) — ceterum scatet textus eclogae Hugonianus lectionibus vitiosis, quae ex parte in codice *A* saec. X/XI Hieronymi vel in alia recentiore stirpe memoriae Hieronymianae recurrunt. velut illo ipso loco quo Biantis syllogismum insertum reperiebamus p. 40 in orationem Hieronymi p. 314 D, dissentit Hugo p. 1203 D etiam in sententia: *illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare, sed noluit* a codicibus Hieronymianis vetustissimis *E* et *S*, quibus accedit pars recentiorum codicum et testimonium Abaelardi, pro *sed noluit* habentibus *si voluit.* quam lectionem Hugonis *cui licuit peccare, sed noluit* concedo speciosiorem esse quam illam: *cui licuit peccare, si voluit*; nihilo minus valde dubito

---

1) eadem verba *heredes ... relinquere* absunt a Vincentio Bellovacensi *spec. hist.* VI 5. fortasse Vincentius et Hugo ad eundem fontem medii aevi redeunt.

an genuina non sit. nam apodosis *sed noluit* flagitat protasin, quae ad mulierem spectet moechi illecebris temptatam. at quae traduntur verba ab Hugone quoque *cui licuit peccare,* ea verba dicta sunt de muliere incustodita potius quam de temptata. itaque acrius intuenti Hugonis recensio ansam dat haesitationis, cum vetustissimorum codicum *E* et *S* lectio: *cui licuit peccare, si voluit* ab offensione undique tuta sit. ceterum utracumque scriptura tibi probabitur, utique evadet vel hoc loco Hugonis textus Theophrasteus memoriae pars Hieronymianae, quoniam praeter Hugonem etiam Vincentius Bell. *sp. h.* et Burlaeus ab Hieronymo pendentes *sed noluit* exhibent. quomodo autem abierit vera scriptura *si voluit* codicum saeculi VII in insitivam scripturam apud Hugonem saec. XII obviam *sed noluit,* egregie intellegitur codicum *ßA* saec. X/XI exaratorum scriptione sensu carente *si noluit.*[1])

atque cum codice *A* Hieronymi memoriam Hugonianam Theophrasti latini necessitudine iungi, iam supra p. 5 statui, cum versatus in eclogae Theophrasteae sermone ecclesiastico illustrando, deducerem verborum Hieronymi p. 313 D *et esseda deaurata* absentium ab Hugone p. 1203 B causam ex turbata memoria horum verborum in codice *A*: *et ēē iam de aurata.*[2]) item alii loci pariter deperditi circumferuntur in codice *A* et in Hugone, quamvis ne his quidem locis corruptelae status plane idem sit in Hugone et in *A*. ut p. 315 B *rara avis est* codicum *EßBC* vera lectio est, cum Hugo p. 1204 B *rara aut nulla est,* codex *A rara*^{a}*uisa ẽ* praebeant; et hoc quoque loco corruptela gravior facta est saeculis vertentibus; praeter Hugonianam et libri *A* lectiones cf. codicis *S*: *rara*^{a}*uis ẽ,* qua memoria saec. VII ortus primus corruptionis declaratur, codicis *M*: *rara uix ẽ* (*uix* in ras.), Abaelardi p. 1200 A *rara aut vix est,* Burlaei p. 288 *raro aut vix est.* — praeterea p. 314 D in sententia *nihil tutum est in quod totius populi vota suspirant* pro *quod* codicum *ES* Hugo p. 1204 A *quo* testatur, codicibus

1) ad hunc locum Theophrasteum Hieronymi, quem pro Annaeano habebat, similitudines Annaeanas adscripsit C. Preisendanz *Philol.* t. LXVII (1908) *de Senecae rhetoris apud filium auctoritate* p. 109. quibus similitudinibus (si esse eas concesseris) Theophrastus et Seneca nequaquam proprie cohaerent, nedum valeant quidquam loci Preisendanzii ad firmandam lectionem *sed noluit.*

2) reliqui libri *ESßBMC* sani sunt, praeter quod pro *esseda* habet *M*: *exedra, C*: *exhedra,* deinde *C* omittit *et.*

𝔰*AMBC* adsentientibus. ubi defenditur auctoritas codicum *ES* usu Hieronymiano, cf. *epist.* 1, 6, 2 *suspirabat in gemitum.*

aliis deinceps locis textus Hugonis vitiosus est, cum codex *A* immunis sit ab labe, corruptelae Hugonianae vestigia recurrant in aliis codicibus aut excerptoribus medii aevi. primum noto proprium consensum Hugonis cum codice *M* et Burlaeo in collocatione verborum *inpudica servari* pro *servari inpudica* memoriae reliquae. deinde in sententia p. 314 B *quoscumque illa dilexerit, ingratis amandi* pro *ingratis* codicum Hieronymi *ES*𝔰*AM* Hugo p. 1203 C *ii gratis* habet; *sint grati, sint amandi* pro *ingratis amandi* offert *B*; nec vacant mala lectione aut Abaelardus p. 1199 B codexque *C gratis,* aut Ioannes Saresberiensis p. 750 C *ingrati* pro *ingratis* proferentes. nimirum adverbium *ingratis* plane positum est ex usu Hieronymiano; cf. *epist.* 48, 19, 3 *ingratis* (*ingrati* pars codd.) *suscipient*; *adv. Helv.* 10 p. 216 B *ingratis obtinebimus.* — deinde p. 315 A in sententia *illa quae nobis imputet lacrimas suas et hereditatis spe vendat inluviem et sollicitudinem iactans languentis animum desperatione conturbet* prava memoria utuntur et Hugo p. 1204 B pro *inluviem* testatus *illas cum*, additis *et curam* post *iactans,* et Burlaeus p. 288, qui ne ipse quidem vocabulum rarum quod est *inluviem* recte reddit, perverse pro verbis *spe vendat inluviem* habet *sue periculum.* peccabant autem sollemniter fere scribae medii aevi in voce *illuvies,* nec piget in transcursu adnotare Valerii Flacci locum VI 356, ubi corruptae lectioni traditae *ille dies* Hauptius praeclaram medelam adhibuit *illuvies* reposito. iam vero quid valeat dictio (*uxor*) *hereditatis spe vendat inluviem* codicum Hieronymi, Abaelardi p. 1199 D, Ioannis Saresb. p. 751 A, propero narrare praesertim ob miram vocis *illuvies* interpretationem Georgesii in lexico s. v. *illuvies* contendentis i. q. 'instrumentum domesticum usu detritum' hoc loco *illuviem* significare.[1]) immo vero tu cf. e. g. Hier. *epist.* 50, 3, 2 *pudicitiam et ieiunia et inluviem corporis,* ibid. 79, 2, 4 *nihil prodest aliis vile palliolum, furva tunica, corporis inluvies et simulata paupertas, c. Vigil.* 15 p. 399 C *pannos et illuviem corporis,* et intellege verba (*uxor*) *hereditatis spe vendat inluviem* dicta esse de uxore, quae, dum animam agat

1) item fallitur Lasaulx l. l. (cf. p. 16 adn.), cum sic vertat hanc sententiam: . . *jene, die uns ihre Thränen aufrechnet, und für die Hoffnung auf Erbschaft ihren Ausspülig verkauft, und ihre Bekümmernis zur Schau tragend des Kranken Seele noch kränker macht.*

maritus, cultum tam tristem ostentet faciemque tam inmundam litura lacrimarum, ut maritus vel moribundus, miserationi obnoxius eam heredem scripserit. — postrema macula quae textui Hugonis exprobranda est, legitur p. 1203 B in enuntiato *alterius amorem uxor sui odium suspicatur,* ubi pro *sui* Hugonis libri Hieronymi p. 313 E, Abaelardus p. 1199 A, Ioannes Saresb. p. 750 B, Burlaeus p. 286 *suum* praebent. et id quidem verum est; nam Latini quemadmodum genetivum subiectivum ponentes pro pronomine possessivo, ferebant loquelam, qualis est *carm. epigr.* 252, 3 seq. Buecheler *fascibus . . . nostri* pro *fascibus nostris* vel ibid. 960, 2 *nostri . . . inferieis* pro *nostris inferiis,* sic e contrario etiam omni aevo pronomen possessivum pro genetivo ponebant obiectivo, cf. e. g. Ter. *Phorm.* 1016 *odio . . . tuo* i. e. *odio in te*; Hier. *epist.* 112, 2 p. 738 B *reprehensionem meam* (*mei* Vall.).

Theophrasti latini textum Hugonis castigavi; de textu reliquorum Hugonis excerptorum, quae in tabellam supra p. 24 seq. congessi, brevem esse mihi licet. deprehenditur enim in his excerptis idem Hugonis consensus cum recentioribus codicibus Hieronymi eademque discrepantia a vetustissimis libris *E* et *S,* quae insignis memoriae Hugonianae in ecloga Theophrastea est. — ut p. 318 D in sententia *fascea uxoris pectus alligabat* libri *ES𝔖C alligabat* exhibent pro *colligabat* codicum *AMB* et Vallarsii neque id immerito me iudice, v. infra c. VII 5; sed Hugo p. 1205 C facit cum recentioribus. — deinde p. 319 A dictio *liberos tollere* codicibus *ES𝔖MBC* tradita, cuius dictionis vis propria e ritu prisco civium romanorum ortum trahit, obscura facile remanebat medii aevi hominibus; unde pro *tollere* habet *A tolerare,* Hugo p. 1205 D *colere.* — praeterea cum ed. Vall. p. 316 D proprie conspirat Hugo p. 1205 A *uxorem . . . vinolentam* testatus pro *uxorem . . . violentam* codicum *ESAMBC* (*violentem* 𝔖), quorum librorum unanimo testimonio sane plurimum tribuendum est. ubi insuper adnoto, cum Hieronymus hoc loco in uxore Catonis Censorii adversus ipsum superba versetur, a Plutarcho *M. Κάτ.* 20 et 24 itemque *Ἀριστ. κ. Κάτ. συγκρ.* 6 multa referri de Catonis coniugiis et primo et secundo eiusque indulgentia adversus mulieres, at in Plutarcho quidem nec volam nec vestigium exstare de muliere *vinolenta.* — denique p. 319 A consentit Hugo p. 1205 D proprie cum codice *M* lectionibus *ut regat* et *feratur* pro *regit* codicum *S𝔖C* (*reget*: *EAB*) et *fertur S𝔖ABC* (*feretur E*).

Idem igitur quod ecloga Theophrastea etiam reliqua excerpta Hugonis docent de ratione, quae inter textum Hieronymi et Hugonis interest. nec non similiter atque eclogam Theophrasteam misere detruncavit Hugo, sic etiam reliqui loci Hieronymiani Hugonis manum produnt excerptoris, exemplar suum truncantis hic illic ineptissime. qua de re si singulas observationes colligere tibi cordi est, inspice modo tabellam p. 24 seq. lectionum concordantium Hugonis et Hieronymi. ut autem ipse unum exemplum afferam, nonne narratio Hieronymi p. 316 B de Socratis uxoribus duabus ab Hugone p. 1204 D seq., quippe qui in hac narratione transferenda siluerit plane simultatem inter Xanthippen et Myrto, omni lumine orba facta est infelicissime? ceterum eo animo contraxit in brevius Hugo sapientiam saecularem Hieronymi, ut locum sibi pararet ad excutiendam saeculi XII doctrinam ecclesiasticam. velut quod unicum sermonis Hieronymiani ordine non servato Hugo p. 1206 A protulit apopthegma *Marciae*, electum ex multis illis apopthegmatis matronarum apud Hieronymum c. 46 p. 312 A seqq. obviis, id Hugo noluit afferre nisi instructum introductione aliqua theologica: *ducuntur plerumque uxores non causa fornicationis vitandae, sed causa luxuriae explendae; nec causa prolis, sed causa pecuniae.* qua introductione decantat Hugo doctrinam de matrimonio, qualis legitur corporis Hugoniani Mignei in tractatu *de sacramento coniugii* 1 (t. 176 p. 154 D seq.) *demonstrandum est ... propter quas causas soleat fieri coniugium. est ergo coniugii causa principalis spes prolis; ... secunda est ... vitatio fornicationis* eqs. item sub calce apopthegmatis Marciae ecclesiasticam cohortationem medio aevo maxime accommodatam praebet Hugo p. 1206 A *optima est uxor quam non avaritia conciliat nec luxuria copulat.* quam in cohortationem plumbeam detorsit verba illa salsa Hieronymi p. 312 C *optima sane res quam avaritia conciliat.*

Denique id de rationibus excerptoris Hugonis adnoto, nomina propria parum adsueta eum brevi manu suppressisse. sic dedit p. 1205 A (p. 316 D) *Paulam* pro *Artoriam Paulam* (sic *E*$\mathfrak{S}$*BC*: pro *Artoriam* habet *martoriam S*: *hartoriam A*: *arthoriam M*: *Actoriam* Vall.). praeterea sic factum est, ut in transcribendo eo loco Hieronymi, quo de fontibus suis locutus ille est p. 318 B *scripserunt Aristoteles et Plutarchus et noster Seneca de matrimonio libros,* Hugo Plutarchi nomen sum-

moveret p. 1205 B *scripserunt, sicut legisse recolo, Aristoteles et Seneca de matrimonio libros.*[1])

---

1) notior quam Hugoni de Folieto Plutarchus sane erat eorundem fere temporum scriptori Ioanni Saresberiensi, qui nomen Plutarchi aliquotiens in ore habet (cf. Wyttenbach *Plut. mor.* praef. p. 69 Oxon.) et praecipue quidem nobis rettulit libellum illum subditivum Plutarchi *institutionem Traiani,* de quo dicam infra c. III 4 (cf. C. I. Webb ed. Ioann. Saresb. *policrat*, Oxon. 1909, t. I proleg. p. XXVII et p. 280). sed singularis est eruditio scriptorum Carnotensium Theodorici atque Ioannis Saresb., neque impertienda ea eruditio mysticis scriptoribus eiusdem saeculi. quam exigua omnino in occidente fuerit medio aevo notitia Plutarchi apud clericos, docet Rud. Hirzel, *Plutarch* (Lips. 1912) c. X *das Mittelalter* p. 91 seqq.

III DE PLVTARCHI APVD HIERONYMVM MEMORIA

Etsi nominis Plutarchei ab Hugone p. 1205 B suppressi explicationem sobriam in promptu habeo, tamen exstitit qui rationem aliam absentis ab Hugone Plutarchi sibi excogitaret; et eam quidem rationem, quae mihi necessitatem imponat immorandi diutius in Hugonis de Folieto opusculo vili admodum. invitus equidem ad extremum cogor redire ad Hugonem fictum a Bockio libri Tertullianei compilatorem. nam ad priores argumentationes Bockii, ex quibus efficiebat, usum esse Tertulliano Hugonem, accessit tertia argumentatio ipsa quoque iam mihi subruenda. quae tertia argumentatio Bockii p. 8 seq. exordium sumit ex nomine Plutarchi ab Hugone p. 1205 B absente. simul locorum Plutarcheorum *γαμικῶν παραγγελμάτων* ab Hieronymo adhibitorum conspectum aliquem paravit Bockius p. 6 seq., a quo tamen conspectu sedulo arcuit ea Plutarchea, quae Hugoni cum Hieronymo communia sunt, indicanda, quam primum fieri poterit, a me duo. modo percipe interea, qua tertia ratione rursus Bockius in somnia aberraverit. qui falsa tabula sua Plutarcheorum proposita clamavit, non posse id casu factum esse, ut loci Plutarchei Hieronymi universi apud Hugonem desiderarentur, simul nomen Plutarchi abesset ab Hugonis catalogo fontium. immo eam rem aliter explanari non posse nisi sic, ut Hugo penderet ex Tertulliano, auctore carente Plutarcheis, Hieronymus insereret Plutarchum Tertullianeis.

apparet autem, hanc ultimam argumentationem Bockii de Tertulliano Hugonis auctore omnem vim suam petere ex locis Plutarcheis Hieronymi absentibus ab Hugone. atque agitur de his locis duobus Hugoni cum Hieronymo communibus, quos Bockius negat ex Plutarcho repetendos esse, equidem aio:

Hier. p. 317 A = Hugo p. 1205 A:	*Plut. γαμ. παραγγ. c. 40 p. 143 E seq.:*
totae Euripidis tragoediae in mulieres (mulierum *Hugo*) maledicta sunt.	ἡ Ἑρμιόνη δοκεῖ τι λέγειν ἀληθές,

unde et Hermione loquitur: malarum me mulierum decepere consilia.

λέγουσα· 'κακῶν γυναικῶν εἴσοδοί μ' ἀπώλεσαν'.

Hier. p. 317 B = *Hugo ibid.*:
scribit Herodotus quod mulier cum veste deponat et (et *om. Hugo*) verecundiam.

Plut. ibid. 10 p. 139 C:
οὐκ ὀρθῶς Ἡρόδοτος εἶπεν, ὅτι ἡ γυνὴ ἅμα τῷ χιτῶνι ἐκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ.

Causas, cur in tanto consensu singulorum verborum Hieronymi et Plutarchi a se impetrare non potuerit, ut Plutarchum agnosceret auctorem Hieronymi his locis duobus item ut agnovit aliis locis Hieronymianis infra proponendis, ubi nulla controversia est de origine Plutarchea textus Hieronymiani, Bockius exposuit p. 23 seqq. — nam p. 6 seqq., i. e. ea parte libri sui, qua probaturus erat, locos Plutarcheos Hieronymi abesse omnes ab Hugone, maluit Bockius versum Hermionae et apopthegma Herodoti, locos male quadrantes ad Hugonem immunem a Plutarcheis, neglegere tacite quam ingenue de re dubia monere lectorem aut saltem breviter relegare in p. 23 seqq.[1]) quamquam ne p. 23 seqq. quidem contra apopthegmatis Herodotei originem Plutarcheam argumentum gravius afferebat dicens verba οὐκ ὀρθῶς aliena ab Hieronymo reliqua Plutarchea fere ad verbum vertente, vetare nos referre Hieronymum ad Plutarchum. verum nimis exaggeravit Bockius diligentiam interpretis Hieronymi, neque impediverunt adverbia οὐκ ὀρθῶς omissa ab Hieronymo Aem. Luebeckium, qui ante Bockium ipse quoque conspectum dederat locorum Plutarcheorum ab Hieronymo adhibitorum *Hier.* eqs. p. 51 seq., ne reciperet apopthegma Herodoti in suam tabulam. ceterum disquisitione omnium Plutarcheorum in opere *adv. Iovin.* occurrentium infra mihi danda insuper ab omni parte munietur origo Plutarchea apopthegmatis Herodotei in Hieronymo.

iam vero graviora multo sunt aut certe videntur esse ea, quae contra Hermionae versum (Eurip. Ἀνδρ. 930) ex Plutarcho repetendum Bockius exhibuit. nam cum huic versui apud Hieronymum antecedant verba p. 317 A *totae Euripidis tragoediae in mulieres maledicta sunt*, Euripidis mentio desideratur omnino apud Plutarchum l. l. c. 40. incertum igitur, unde Hieronymo Hermionae versum laudanti notitia

1) puto si relegavisset, non tam facile persuasisset iis, qui argumentationem Bockii acceperunt, Praechtero l. l., Dyroffio, *Berl. Phil. Woch.* XIX (1899) p. 391, Schanzio, *R. Litt.* III² p. 343, aliis.

originis Euripideae eius versus venerit.[1]) nam in hac re minime possum astipulari Luebeckio, cui et ipsi l. l. p. 17 adnot. 3 haesitatio nata est, quomodo incidisset Hieronymus in nomen Euripidis: qui nimirum putavit, cum Plutarchus nominatim produxisset *γαμ. παρ.* c. 38 Euripidem in alio argumento: *ὀρθῶς ὁ Εὐριπίδης αἰτιᾶται τοὺς τῇ λύρᾳ χρωμένους παρ' οἶνον κτλ.*, ex divinatione quadam tribuisse Hieronymum c. 40 versum Hermionae Plutarcheum Euripidi. qua in coniectura ratione firma carente acquiescere parum decet; neque movet me, quod Grossgerge *de Sen. et Theophr. libris de matr.* p. 9 seq. ipse quoque in ea coniectura acquievit. quin ne illud quidem curo, quod quondam Wyttenbachius *animadvers. in Plut. mor.* p. 895 Oxon. praeteriens scrupulum a Luebeckio et Bockio post Wyttenbachium indicatum, versum illum Euripideum Hieronymi deduxit ex Plutarcho. denique nullum fundamentum est iustum opinionis, quam facile sane quis inierit, invenisse in codice aliquo Plutarcheo adscriptum a scholiasta nomen Euripidis auctoris ad versum Hermionae Hieronymum.

Quae cum ita sint, aliter nequit a scrupulis omnibus immuniter cognosci origo Plutarchea versus Hermionae in Hieronymo nisi funditus explorato toto usu Hieronymiano Plutarchi in opere *adv. Iovin.*; huic igitur labori nunc accingor, revertor tandem a digressione in Hugonem de Folieto et in medium aevum facta, ad antiqua tempora et ad dispiciendos fontes vetustos Hieronymi, et graecos et latinos. nam patet ultimam quoque argumentationem Bockii de Hugone sospitatore priscae eruditionis deletam fore, si unius aut alterius lectionis earum, quae Hugoni cum Hieronymo communes sunt, originem Plutarcheam demonstravero.

1

Ut autem aperte dicam, quid sentiam de quaestione in Plutarchum Hieronymi fontem instituenda, Euripides auctor versus Hermionae non indicatus a Plutarcho *γαμ. παρ.* c. 40, ab Hieronymo appellatus nominatim p. 317 A, aliis difficultatem paravit et causam errorum pessimo-

1) nullum scrupulum mihi excitasset Hieronymus, si Plutarchus ei nomen Euripidis suppeditavisset, cui ipse addidit fucum *totae Euripidis tragoediae in mulieres maledicta sunt.* nam Euripidis mulieres exosi notitia rhetorica (v. Gell. XV 20. Luebeck l. l. p. 17 adn. 1. *Realenc.* VI 1278) aegre Hieronymo denegatur, etiamsi rarissime tantum citavit Euripidem (v. infra p. 76 adn.).

rum, at mihi inicit spem optimam, ut notitiam Hieronymi Plutarchum adhibentis singulariter augeat. atque poterat sane factum esse, ut Hieronymus infestaturus Iovinianum accersitis ethnicis scriptoribus de matrimonio, sponte adiisset Plutarchum sibi notum scriptorem γαμ. παρ. nobilissimum. sed si Hieronymus versum Hermionae trahens ex Plutarcho plus praebet quam Plutarchus, auctorem prodens versus eius oppressum silentio a Plutarcho, meo iure suspicor, Hieronymo non nisi tertio scriptore intercedente erudito aliquo in litteris graecis innotuisse γαμ. παρ. Plutarchi. quin audaciori facile id quoque in mentem venerit, non integrum opus, sed eclogas tantummodo operis γαμ. παρ. adhibuisse Hieronymum, sibi suppeditatas ab alio scriptore, aut philosopho platonico recenti aut graeco scriptore ecclesiastico, qui quae excerpsisset ipse ex γαμ. παρ. Plutarchi, ea auxisset additamentis doctis. alterutrum igitur censeo, aut Hieronymum omnino non evolvisse ipsum Plutarchi opus coniugale, aut saltem evoluturum id non fuisse, nisi provocatus fuisset ad Plutarchi lectionem ab alio quodam auctore et aetate et scriptura propinquiore, studiosissimo Plutarchi.

Quid? si modo excipis interim libros *adv. Iovin.* atque Plutarchi γαμ. παρ., ullum alterum arbitraris opus Plutarcheum aut biographiam aut scriptum morale ante oculos venisse Hieronymo, tantae scripturae ethicae auctori totque rerum historicarum nuntio? immo nominis Plutarchei nulla mentio est in toto Hieronymo excepto priore libro *adv. Iovin.* et excepto *chronico.* neque locus ullus mihi innotuit, quo exscripsit Plutarchum Hieronymus celato Plutarchi nomine.

Quamquam fatendum est, uno loco Luebeckium *Hier.* eqs. p. 50 praeeunte Vallarsio etiam praeter opus *adv. Iovin.* imitationem Plutarcheam Hieronymi posuisse; ad praefationem commentarii *in Ioel* Vallarsius t. VI p. 167/8 adnotavit, Psylli mentionem illic obviam excantantis morsus venenatos serpentium ex recordatione Plutarchi factam esse, qui *Κάτ.* 56 Psyllos laudavit sanantes serpentium morsus. at hoc loco errare Luebeckium et Vallarsium disputatione quamvis excrescente in excursum efficiam.

Excursu igitur dicam de similitudine Plutarchea Hieronymi in praefatione commentarii *in Ioel.*; atque inter se comparatis locis Plutarchi et Hieronymi concedes esse sane, quae excitent speciem usus Plutarchei Hieronymi:

Hier. in Ioel praef. p. 167/8:

nuper de Aegypto egressi sumus, et in Osee Pharaone submerso, Rubrum transivimus mare: nunc post latam eremi vastitatem multo nobis labore sudandum est, ut ad septuaginta palmas et fontes apostolicos pervenire valeamus. insurgat licet scorpio et arcuato vulnere ferire conetur: tu (*Pammachi*) comes itineris et excantator venenatorum morsuum, spiritualem nobis Ψυλλέα exhibe.

Plut. Κάτ. 56:

ἐξώρμησε (ὁ Κάτων) πεζῇ χειμῶνος ὥρᾳ ... τοὺς καλουμένους Ψύλλους ἐπαγόμενος, οἳ τά τε δήγματα τῶν θηρίων ἰῶνται, τοῖς στόμασιν ἕλκοντες τὸν ἰόν, αὐτά τε τὰ θηρία κατεπᾴδοντες ἀμβλύνουσι καὶ κηλοῦσιν.

Deliberanti spectaveritne hoc loco Hieronymus Plutarchum, haec facile succurrent: primum certum videtur graeci auctoris meminisse Hieronymum Psylli virtutem in serpentes celebrantem, quoniam graece vocabulum scripsit. praeterea demonstrari potest, Catonis meminisse Hieronymum, etsi miscuit eccleciasticus imagines, Catonem per deserta Libyae proficiscentem confudit cum Iudaeis exodum ex Aegypto per deserta facientibus; de verbis *ad septuaginta* eqs. v. Vulg. *exod.* 15, 27. sic vero tibi persuaseris, ab Hieronymo spectari Catonem, ut locum propositum commentarii *in Ioel* conferas cum praefatione libri II commentarii *in Os.* t. VI p. 51/2 seqq. Vall. nimirum prophetae duo Osea et Ioel sese excipiunt tractati ab Hieronymo (cf. Gruetzmacher *Hier.* I p. 71 et 101. III p. 102 seq.), atque variis rationibus inter se cohaerent praefationes *in Ioel* et *in Oseam.* memoravit diserte in praefatione *in Ioel* Hieronymus labores antea Oseae dicatos; deinde similiter locutus est in praefatione *in Os.* atque in praefatione *in Ioel* de *scorpionis* ictu, cuius sub bestiae vocabulo Rufinum inimicum ex amico factum intellegit; nec non utrobique Pammachium, senatorem romanum advocat in defensionem suam contra invidiam adversarii. cf. *in Os. lib. 2 praef.* p. 51/2 seq.: *tu autem Pammachi ... hydramque et scorpium . . . aduras cauterio, solea conteras.* obversabatur igitur Hieronymo praefationem *in Ioel* dictanti praefatio libri II commentarii *in Os.*, quo fit ut alterius praefationis ope altera facilius intellegatur. in praefatione autem *in Os.* Cato Uticensis tuetur locum insignem p. 53/4: *tamen magis optarem illud mihi contingere, quod Titus Livius scribit de Catone, cuius gloriae neque profuit quisquam laudando nec vituperando nocuit.* sic Cato appellatus in praefatione *in Os.* fidem facit, Hieronymum etiam in praefatione *in Ioel* cum Catone se compa-

rasse, defendendum a scorpio ope Pammachii, i. e. Psylli cuiusdam spiritualis.

Verum etiamsi Catonem respexerit Hieronymus nomenque *Ψυλλέα* graece scriptum graecum auctorem indicet, tamen ad Plutarchum plane ex arbitrio traxerunt Vallarsius et Luebeckius hoc verbum commentarii *in Ioel.* primum temerarium est, differentiam formarum *Ψυλλέα* Hieronymi, *Ψύλλους* Plutarchi praeterire, praesertim cum Psyllorum nomen creberrimum in litteris graecis fuerit scriptoresque multi vel nobis de Psyllis narrent ut Strabo XIII 588, XVII 814, Pausanias IX 28, 1, Aelianus *π. ζώων* XVI 27 seq., alii, inter quos variam formam *Ψυλλαεῖς* praebet Sextus Empiricus *Πυρρ. ὑποτυπ.* I 82 p. 22, 33 Mutschmann.

deinde eadem comparatio commentarii *in Ioel* cum commentario *in Os.*, quae omnino Catonis meminisse Hieronymum docet, si quid video suadet, ut Titi Livii Cato *in Os.* citati etiam *in Ioel* partes occupet. certe ratum habeo, Livium in deperdito libro CXII totius operis sui, i. e. in libro IV civilis belli ipsum quoque Psyllos commemorasse, quandoquidem eorum virtutem Catonem tuentium versibus multis exaggeravit Lucanus, qui poeta passim a Livio pendet. cf. Lucanum IX 911 seqq. *Psyllus adest populis. qui tunc Romana secutus signa . . . harenas expurgat cantu verbisque fugantibus angues . . . saepe quidem pestis nigris inserta medullis excantata fugit.* dubito igitur an Psylli mentio in praefatione *in Ioel* inserenda sit fragmentis Livianis collectis a Weissenbornio et Muellero ed. Liv. t. X 2[2] (Berol. 1881) p. 177 post fragmentum 52; ibid p. 178 iam receptum est verbum de Catone commentarii *in Oseam.* ne vero pugnare videar mecum ipso contendente, vocabulo *Ψυλλέα* graece scripto ab Hieronymo prodi fontem graecum, in Psyllos incurrisse Hieronymum in litteris graecis etiamnunc opinor. sed contaminatam agnosco esse orationem Hieronymi reminiscentis uno loco simul lectionis variae; qualem contaminationem sive mixtionem fontium ab Hieronymo compilatorum et auctorum imitando ab eo expressorum curiose infra etiam multis locis tractabo. modo autem unum tantum locum profero, ubi imitationem Persianam adulteravit Hieronymus vocabulo quamvis latine scripto tamen peregrino et graeco *epist.* 102, 2, 1 p. 236 Hilb. *sed illa est vera inter amicos reprehensio, si nostram peram non videntes, aliorum iuxta Persium, manticam consideremus.* quo loco vox *pera* ab Hieronymo usurpata neque in Persio legitur 4, 24 *sed praecedenti spectatur*

mantica tergo neque in scholiasta eius, qui Aesopi apologum enarrat, quem poeta respexerit, nobis a Babrio μυθ. 66 et Phaedro IV 10 traditum. cum vero Phaedrum, fabularum Aesopiarum scriptorem, apud quem vox *pera* l. l. v. 1 est, Hieronymus non noverit, haud alienum est cum Luebeckio *Hier.* eqs. p. 101 sumere, Hieronymum apologum, propter quem Persium citat, etiam ex litteris graecis cognitum habuisse. atque Luebeckio fortasse merito visus est Hieronymus Persium imitatus simul meminisse Galeni, scriptoris a se lectitati et compilati locis compluribus, voce πήρα usurpata apologum exhibentis π. ψυχ. παθ. 2 p. 4, 11 seqq. Marq. (t. V p. 6 Kuehn).

Vix igitur ullum momentum habet Psyllus in commentario *in Ioel* commemoratus ad probandam lectionem Plutarcheam Hieronymi. quodsi nullo in scripto cum Plutarcho quicquam fuit Hieronymo nisi in uno opere *adv. Iovin.*, ne ad hoc quidem opus condendum sponte arcessivisse Plutarchum Hieronymus facile putandus erit. immo avidissime apprehendes indicium supra a me nuncupatum scriptoris alicuius propius absentis ab Hieronymo atque ut eruditi in litteris graecis eum provocantis ad Plutarchum, Euripidis nomen versui Hermionae p. 317 A additum. remanet is finis inquirentibus nobis in usum Plutarcheum Hieronymi, ut exploretur auctor, qui adduxerit Hieronymum ad γαμ. παρ. Plutarchi.

Verum antequam ad eum finem quaestionis recta via pergam, demonstratione longiore firmandum mihi est, quod edixi nec demonstravi adhuc, aliud opus Plutarchi praeter γαμ. παρ. ne in libro quidem I *adv. Iovin.* adhibitum esse. qua de re expresse agere me eo magis decet, quia p. 318 B Hieronymus, ubi nomen Plutarchi prodit, titulum γαμ. παρ. clare vertere supersedit. proximum igitur est, ut solitarium esse usum unius libri γαμ. παρ. Plutarchei coarguam in l. I *adv. Iovin.*, iis locis, ubi eaedem res historicae sive morales tangantur ab Hieronymo et Plutarcho, neglegi prorsus hunc ostendens ab illo, vitarum parallelarum atque operum moralium auctorem uberrimum. qua re perducta ad liquidum multo maiore cum confidentia recurri ad illud poterit, ut fons nominetur medius inter Plutarchum et Hieronymum, qui inculcaverit γαμ. παρ. homini ecclesiastico et latino Hieronymo.

quamquam autem praecipua ratio quaestionum iam mihi instituendarum in similitudines utique omnes Plutarcheas libri I *adv. Iovin.*

in praesentia ea est, ut caveam, ne extra usum *γαμικῶν παραγγελμάτων* Plutarchus aut ipse exscriptus esse aut intercedente alio scriptore usurpatus esse ab Hieronymo videatur, tamen iisdem quaestionibus strenue expeditis ea quoque utilitas ad summum finem harum disquisitionum affertur, ut Plutarcho excluso iam proclivis locis multis via futura sit posteriorum capitum ad appellandos auctores veros Hieronymi, imprimis ad Senecam.

Primum inter Hieronymi exempla uxorum malarum sunt quae tradant res ex vitis Romanorum illustrium, quarum praeter Hieronymum in litteris antiquis unicus auctor est aut saltem praecipuus Plutarchus vitarum parallelarum scriptor. sic narrat Hieronymus de Sulla Athenas oppugnante et ab Atheniensibus irriso propter uxorem impudicam haec c. 48 p. 316 C: *Lucii Syllae, felicis si non habuisset uxorem, Metella coniux palam erat impudica; et quia novissimi mala nostra discimus, id Athenis cantabatur et Sylla ignorabat secretaque domus suae primum hostium convicio didicit.* consimilia autem refert de Sulla Sullaeque uxore et Atheniensibus Plutarchus *Σύλλ.* 6 *ἐδόκει δὲ καὶ (ὁ Σύλλας) τοῖς Ἀθηναίοις ἑλὼν τὸ ἄστυ προσενεχθῆναι τραχύτερον, ὅτι τὴν Μετέλλαν ἀπὸ τοῦ τείχους γεφυρίζοντες ἐλοιδόρησαν* et 13 *δεινὸς γάρ τις ἄρα καὶ ἀπαραίτητος εἶχεν αὐτὸν (τὸν Σύλλαν) ἔρως ἑλεῖν τὰς Ἀθήνας . . . θυμῷ τὰ σκώμματα φέροντα καὶ τὰς βωμολοχίας, αἷς αὐτόν τε καὶ τὴν Μετέλλαν ἀπὸ τῶν τειχῶν ἑκάστοτε γεφυρίζων καὶ κατορχούμενος ἐξηρέθιζεν ὁ τύραννος Ἀριστίων κτλ.* (cf. etiam *περὶ ἀδολεσχ.* 7 p. 505 B). exscripsi vero locos Plutarchi ideo ad verbum, quia haec narratiuncula inter omnes narrationes coniugales Hieronymi, quae quidem valeant afferre aliquam recordationem vitarum Plutarchi, ad eum proxime accedit. etenim unica est, quam totam repetere possis ex Plutarcho et quam nullus scriptor praeter Hieronymum et Plutarchum habeat, cf. Muenzer *Realencycl.* III p. 1235 s. v. *Caecilia Metella* 134. tamen ne haec quidem narratiuncula descendit ex Plutarcho in Hieronymum. primum enim consuetudinis et ingenii Senecae vestigium ei inest, de quo cf. c. VII 4. praeterea in definienda narratiunculae origine respiciendae sunt etiam eae narrationes coniugales, quae cum illa coniunctae eadem pagina Hieronymi leguntur, divortium Ciceronis cum Terentia factum, Muciae Pompei adulteria, Cato Censorius superbe tractatus ab uxore paupere et humili loco nata. quibus

ab exemplis ad eandem provinciam rerum et litterarum pertinentibus, ad quam pertinet exemplum Sullanum, hoc aegre separatur.

periclitabitur autem is, qui speraverit exempla cum Sullano coniuncta Ciceronis Pompei Catonis integra trahi posse ex Plutarcho, etiamsi is est inter testes praecipuos rerum domesticarum horum Romanorum nobilium. nam Muciae Pompei impudicitiam et libidines in Pontica expeditione communicatas cum Pompeio esse fusius exponit Hieronymus p. 316 C seq.; at Plutarchus *Πομπ.* 42 nil nisi repudium missum esse Muciae a Pompeio reversuro Romam refert, cuius repudii insuper alii testes sunt ut Cicero *ad Att.* I 12, 3 et Suetonius *Iul.* 50 (cf. Drumann-Groebe, *Gesch. Roms* eqs. t. IV p. 487 et 561). nulla igitur ratio peculiaris est inter Hieronymum et Plutarchum. — deinde quod de Catone Censorio Hieronymus testis est p. 316 D male accepto ab uxore humili loco nata, quis non adierit de indulgentia Catonis erga mulieres testimonia collecturus Plutarchum, carpentem Catonem *Ἀριστ. καὶ Κάτ. συγκρ.* 6 propter hanc ipsam rem, quia senex duxerit clientis sui filiam virginem in matrimonium secundum? neque tamen huius mulierculae mores et petulantiam perstringit Plutarchus, qui tantummodo ipsum Catonem vexat, coniugi Catonis parcit. ceterum propriam condicionem memoriae Hieronymianae de coniugio secundo Catonis Censorii accuratius tractabo c. VII 4. — denique de Ciceronis Terentia eiusque indole et vita etsi Plutarchus multa narravit *Κικέρ.* 20, deinde 29 et 41, tamen tacet cum secundas nuptias Terentiae tum tertias, quarum utrarumque nuptiarum Hieronymus p. 316 A unicus testis remanet (v. c. VII 4).

Atque item ut malarum uxorum romanarum exempla in Hieronymo c. 48 p. 316 A seqq. obvia etiam exempla b o n a r u m u x o r u m romanarum c. 46 p. 312 A seqq. apposita saepius te memorem facient Plutarchi, attamen acrius intuens intelleges, nullam propriam rationem intercedere inter hunc et Hieronymum. velut p. 312 C seqq. et 313 A res est Hieronymo cum f i l i a b u s e t u x o r e C a t o n i s U t i c e n s i s, cum Catonis *γυναικωνῖτιν* quam dicit Plutarchus abunde tractaverit *Κάτ.* 24 seq., alibi. duas Porcias, Catonis filias inducit Hieronymus, priorem, Bruti uxorem p. 312 D, alteram, Porciam minorem p. 313 A, quam etiam superiore quodam loco in mente habuisse videtur p. 312 C incidens in nomenclationem perversam *Marcia Catonis filia minor*; ubi in scriptis libris aeque ut in editis *Marcia* pro *Porcia* legitur, memoria lapsus est

ipse Hieronymus, siquidem *Marcia Catonis filia* nil est. atque hac de Porcia minore, femina in nullis litteris antiquis nisi in uno Hieronymo celebrata ne plane incertus sis, Plutarchus cavet, cuius cf. testimonia de filiabus pluribus Catonis ex Marcia natis — Porcia Bruti ex Atilia erat — *Κάτ.* 52: *τῆς δὲ οἰκίας καὶ τῶν θυγατέρων κηδεμόνος δεομένων ἀνέλαβε* (*ὁ Κάτων*) *πάλιν τὴν Μαρκίαν χηρεύουσαν ἐπὶ χρήμασιν πολλοῖς· κτλ.* et ibid.: *ἐγγυησάμενος γὰρ τὴν Μαρκίαν ὁ Κάτων καὶ τὸν οἶκον ἐπιτρέψας ἐκείνῃ καὶ τὰς θυγατέρας αὐτὸς ἐδίωκε Πομπήιον* (cf. Drumann-Groebe, *Gesch. Roms* eqs. t. V p. 209 adn. 3 et 213 adn. 5). verum etiamsi Plutarchus animos faciat, ut fidem habeamus Hieronymo de Porcia minore narranti, dicta eius servanti, tamen in his rebus consensus proprius Hieronymi cum Plutarcho statui nequit.[1])

1) Drumann-Groebe l. l. p. 213 adn. 4 Hieronymi de Porcia minore filia Catonis memoriam prorsus contemnunt, quamvis nullo nixi testimonio antiquo. nec vero assequor, quomodo sibi Drumann persuaserit, narratiunculas Hieronymi de hac Porcia secundas nuptias constanter repudiante, reapse spectare ad Porciam maiorem Catonis filiam. quae quidem narratiunculae ad hanc parum quadrant, utpote quae vidua Bruto nupserit post mortem Bibuli mariti prioris (v. infra). quod vero error est infra mihi castigandus Hieronymi de Porcia virgine loquentis a Bruto in matrimonium ducta, Hieronymus rursus p. 312 E Porciam sine Bruto vivere noluisse perhibet. ergo ne ad eam quidem imaginem Porciae maioris filiae Catonis eiusque vitae, quam falsam ex parte Hieronymus sive auctor eius in animo habuit, accommodata sunt apopthegmata illa mulieris viduatae *non se invenire virum qui se magis vellet quam sua*, reliqua duo sententiae similis. — obiter noto Groebei neglegentiam l. l p. 212 adn. 3 verba Hieronymi p. 313 A *felix et pudica matrona* spectantia ad *nubit* trahentis ad *respondit.* deinde quod Groebe p. 210 adn. 6 in verbis Drumanno additis Hieronymi apopthegma p. 313 A *felix et pudica matrona numquam praeter semel nubit* ad Porciam maiorem filiam Catonis refert, etiamsi ab Hieronymo hoc apopthegma diserte *Porciae minori* tribuitur, in eum errorem Groebe confusione pessima inde incidit, quia ex suo decreto, ne porrecto quidem a Drumanno, *Porciam die Ältere* solitus est appellare sororem Catonis Uticensis (p. 213 nr. 28), *Porciam die Jüngere* Catonis filiam maiorem. antiqui tamen testes hoc modo sororem Uticensis a Bruti uxore nequaquam distinguunt. tria autem illa apopthegmata apud Hieronymum, quorum duo priora p. 312 C seq. *Marciae Catonis filiae minori* Hieronymus tribuit, tertium apopthegma ab his prioribus separatum nonnullis exemplis aliis p. 313 A simpliciter *Porciae minori* Hieronymus adscribit, unius vitae muliebris documenta sunt atque condicione propria unius eiusdemque matronae secum coniunguntur. ergo etiamsi tertium apopthegma diremptum legitur a duobus prioribus atque etiamsi *Marcia* pro *Porcia* ex errore Hieronymus scripsit, tamen ars sic exercenda est, ut apopthegmatum coetus Porciae Catonis filiae minoris recuperetur compilatus ab Hieronymo vel potius ab auctore eius (v. c. VII 1).

neque in ceteris rebus, quae ad uxorem et filias Catonis spectant, proprie consentiunt Plutarchus et Hieronymus. nam quod aeque ut Hieronymus p. 312 D Marciam Catonis coniugem discurrisse inter ipsum et Hortensium Plutarchus tradit *Κάτ.* 25 et 52, hic consensus cernitur in ea re, quae abiit in communem locum rhetorum. quem locum Hieronymus etiam *adv. Iovin.* II 7 p. 335 B tetigit; Quintilianus *inst.* X 5, 13 thesin fuisse narrat *Cato Marciam honestene tradiderit Hortensio*, ecclesiasticorum latinorum praeter Hieronymum Tertullianus *apol.* 39, Augustinus *fid. et op.* 7, 10 p. 46 Vind. et *bon. coniug.* 18, 21 p. 215 Vind., Salvianus *gub.* 7, 23 p. 189 Vind. notitiam tenent Marciae Hortensio traditae, omnino scriptores plurimi hanc rem commemorant, cf. Oehler ed. Tertull. t. I p. 264 et C. Weyman, *Berl. Philol. Wochenschr.* t. XXIX (1909) p. 1154. — nec vero mors Porciae Bruti, quam sibi conscivisse Porciam ex amore coniugali Hieronymus p. 312 E et Plutarchus *Βρούτ.* 53 concordantes tradunt (cf. Drumann-Groebe l. l. p. 211), momentum ullum habet ad Hieronymi usum Plutarcheum efficiendum. cuius mortis testem vetustiorem praeter Nicolaum Damascenum Plutarchus advocat Valerium Maximum, qui de ea loquens IV 6, 5 docet, hanc quoque rem receptam esse antiquitus inter exempla rhetorica.

hactenus de consensu Hieronymi cum Plutarcho quamvis manifesto, tamen nihil valente ad definiendam originem memoriae Hieronymianae de Marcia et Porciis. superest ut moneam discrepare Hieronymum una sententiola a Plutarcho graviter p. 312 D *Brutus Porciam virginem duxit uxorem; Marciam Cato non virginem.* quamquam hac sententia non tam a Plutarcho abhorret Hieronymus, quam a veritate rerum errori duplici obnoxius. nam Marciam virginem reapse duxisse Catonem testes antiqui duo sunt superantes longe Hieronymum auctoritate, Lucanus II 329 *quondam virgo toris melioris iuncta mariti* et Appianus *ἐμφ.* II 99 p. 783 seq. Mendels. *Μαρκίᾳ γέ τοι τῇ Φιλίππου συνὼν ἐκ παρθένου (ὁ Κάτων) καὶ ἀρεσκόμενος αὐτῇ μάλιστα καὶ παῖδας ἔχων ἐξ ἐκείνης, ἔδωκεν ὅμως αὐτὴν Ὁρτησίῳ κτλ.* quibus testibus de Marcia virgine nubente Catoni Plutarchus assentitur potius quam obloquitur haec exhibens de nuptiis Marciae *Κάτ.* 25 *εἶτα ἔγημε (ὁ Κάτων) θυγατέρα Φιλίππου Μαρκίαν, ἐπιεικῆ δοκοῦσαν εἶναι γυναῖκα, περὶ ἧς ὁ πλεῖστος λόγος.* rursus Porcia, quam Hieronymus virginem Bruto nupsisse autumat quamque ob id ipsum p. 312 E pro exemplo habet feminarum unicis viris maxime se applicantium,

cum Bruto reapse secundas nuptias fecit experta antea coniugium Bibuli; cuius rei auctorem cf. Plutarchum *Βρούτ.* 13 *ἡ δὲ Πορκία θυγάτηρ μέν, ὥσπερ εἴρηται, Κάτωνος ἦν, εἶχε δ' αὐτὴν ὁ Βροῦτος ἀνεψιὸς ὢν οὐκ ἐκ παρθενίας, ἀλλὰ τοῦ προτέρου τελευτήσαντος ἀνδρὸς ἔλαβε κόρην οὖσαν ἔτι καὶ παιδίον ἔχουσαν ἐξ ἐκείνου μικρόν, ᾧ Βύβλος ἦν ὄνομα.* v. etiam *Κάτ.* 25 (cf. Drumann-Groebe l. l. p. 209 adn. 1 et 2, p. 210 adn. 6). utrum autem duplex ille error Hieronymi de Marciae et Porciae nuptiis ex fonte vetustiore ad Hieronymum descenderit necne, c. VII 1 existimabo, ubi memoriam Hieronymianam de Marcia et Porciis ad Senecam revocabo. interim hoc erratum Hieronymi accedit ad reliquas observationes impedientes, ne quis tranquille repetat Hieronymum de Marcia et Porciis narrantem ex Plutarcho.

Restat inter bonarum matronarum exempla Hieronymiana in quandam Plutarchi memoriam nos adducentia narratiuncula p. 312 A seqq. *de putida mariti anima*, quae quamquam in diversis hominibus ab Hieronymo et Plutarcho producitur, tamen apud eos phrasibus tam similibus exornata legitur, ut cognatae traditionis ratio utique declarari debeat. et Plutarchus quidem adhibuit hanc narratiunculam in opere morali *πῶς ἄν τις ἀπ' ἐχθρ. ὠφ.* 7 p. 90 B, recurrit eadem in libro pseudoplutarcheo *Ἀποφθ. βασιλ. καὶ στρατ.* p. 175 B seq.:

Hier. p. 312 B:	*Plut. πῶς κτλ. 7 p. 90 B:*	*Ἀποφθ. κτλ. p. 175 B/C:*
is (*Duillius*) iam senex et trementi corpore in quodam iurgio audivit exprobrari sibi os foetidum, et tristis se domum contulit cumque uxore questus est, quare numquam se monuisset, ut huic vitio mederetur. 'fecissem', inquit illa, 'nisi putassem omnibus viris sic os olere'.	ὁ Ἱέρων ὑπό τινος τῶν ἐχθρῶν εἰς τὴν δυσωδίαν ἐλοιδορήθη τοῦ στόματος. ἐλθὼν οὖν οἴκαδε πρὸς τὴν γυναῖκα 'τί λέγεις;' εἶπεν, 'οὐδὲ σύ μοι τοῦτ' ἔφρασας;' ἡ δ' οὖσα σώφρων καὶ ἄκακος 'ᾤμην' εἶπεν 'ὅτι τοιοῦτο πάντες ὄζουσιν οἱ ἄνδρες'.	(ὁ Ἱέρων) λοιδορηθεὶς δὲ ὑπό τινος εἰς τὴν δυσωδίαν τοῦ στόματος, ᾐτιᾶτο τὴν αὑτοῦ γυναῖκα μηδέποτε περὶ τούτου φράσασαν· ἡ δὲ εἶπεν 'ᾤμην γὰρ τοιοῦτον ἅπαντας τοὺς ἄνδρας ὄζειν.'

tantopere locutiones nonnullae consentiunt, ut latinae Hieronymi possint videri conversae esse ex graecis Plutarchi. atque maxime tunc consensus dictionum elucet, si cum coloribus ab Hieronymo et Plutarcho narrationi inditis comparantur colores, quos adhibuerunt alii auctores eiusdem narrationis congesti a Wyttenbachio *animadv. in*

Plut. op. mor. p. 628 Oxon.[1]); qui colores plane diversi sunt. et praecipue quidem ex Luciano Ἑρμοτ. 34 p. 775 seq. eandem narratiunculam proferente intellegitur, colores Hieronymi et Plutarchi inter se cognatos esse. audi modo Lucianum: *τῷ γὰρ Συρακουσίῳ Γέλωνί φασι δυσῶδες εἶναι τὸ στόμα καὶ τοῦτο ἐπὶ πολὺ διαλαθεῖν αὐτόν, οὐδενὸς τολμῶντος ἐλέγχειν τύραννον ἄνδρα, μέχρι δή τινα γυναῖκα ξένην συνενεχθεῖσαν αὐτῷ τολμῆσαι καὶ εἰπεῖν ὅπως ἔχοι· τὸν δὲ παρὰ τὴν γυναῖκα ἐλθόντα τὴν ἑαυτοῦ ὀργίζεσθαι, ὅτι οὐκ ἐμήνυσε πρὸς αὐτὸν εἰδυῖα μάλιστα τὴν δυσωδίαν, τὴν δὲ παραιτεῖσθαι συγγνώμην ἔχειν αὐτῇ· ὑπὲρ γὰρ τοῦ μὴ πεπειρᾶσθαι ἄλλου ἀνδρὸς μηδὲ ὁμιλῆσαι πλησίον οἰηθῆναι ἅπασι τοῖς ἀνδράσι τοιοῦτό τι ἀποπνεῖν τοῦ στόματος.*

illud igitur unum obstat, ne traxisse putetur Hieronymus narratiunculam de putida mariti anima ex Plutarcho ipso, quod ea de diversis hominibus ab hoc et illo narratur, ab Hieronymo de Duillio, duce romano, a Plutarcho de Hierone, tyranno Syracusano. nec vero probo, ex Plutarcho haurientem ante aetatem Hieronymi alium scriptorem ecclesiasticum latinum transtulisse demum eam narratiunculam in res romanas. immo Duillii nomen priscum et celebratum ab historicis romanis et oratoribus liberae rei publicae aetatisque Augusteae favet opinioni, Plutarcho antiquiorem esse translationem fabellae in Duillium. sic igitur explico similitudinem dictionum Hieronymianarum et Plutarchearum, ut memoria aeque bona et vetusta narrationis de putida mariti anima atque Plutarchea ab Hieronymo adhibita sit. nimirum totam partem eruditionis saecularis Hieronymianae, in qua Duillii exemplum occurrit, infra c. VII 1 Senecae tribuam. — consensus Senecae insignis cum Plutarcho in narratiunculis passim deprehenditur: in exemplis de mansuetudine regis Antigoni *de ira* III 22, 2 et 4, cf. Plut. *περὶ ἀοργ.* 9 p. 457 E (*Ἀποφθ. βασ. κτλ.* 182 C seq.) et ibid. 10 p. 458 F; in exemplo cynici talentum petentis ab eodem rege Antigono Sen. *de benef.* II 17, 1, cf. Plut. *περὶ δυσωπ.* 7 p. 531 F (*Ἀποφθ. β.* 182 E); in memoria de unguento a Lacedaemoniis ex urbe sublato *nat. quaest.* IV b 13, 8, cf. *Ἀποφθ. Λακ.* p. 228 B; in narratiuncula de Telesphoro

1) praeteriit Wyttenbachium Gregorius Nazianzenus carm. *περὶ ἀρετῆς* 808 seqq. p. 454 seq. Maur. hanc fabulam versibus X persecutus. ubi non pendere Gregorium a Plutarcho obiter moneo, quamvis alioquin de imitatione plurima Plutarchea Gregorii constet (cf. infra); Plutarchus enim de Hierone, Gregorius de Dione fabulam narrat.

a Lysimacho rege undique decurtato et in cavea pasto *de ira* III 17, 3 seq., cf. περὶ φυγῆς 16 p. 606 B; in apopthegmate Antisthenis *de const.* (d. II) 18, 5, cf. ibid. 17 p. 607 B; in narratiuncula de Alexandro Magno vulnere se esse hominem probante *epist.* 59, 12, cf. Ἀλεξ. 28 (περὶ τ. Ἀλ. τύχ. 9 p. 341 B; Ἀποφϑ. β. p. 180 E); in narratiuncula de puero Spartano in servitio mortem praeferente contumelioso ministerio *epist.* 77, 14, cf. Ἀποφϑ. Λακ. p. 234 B. praeterea de Aristide ponit Seneca narratiunculam *ad Helv.* (dial. XII) 13, 7, quam de Phocione habet Plutarchus Φωκ. 36.

Denique sunt etiam inter virginum castarum exempla Hieronymiana c. 41 p. 308 seq. duo quidem, quibus lectis statim Plutarchum evolves, subinde sepositurus Plutarchum. et primum quidem Scedasi fabula Scedasique filiarum in Leuctris Boeotiae vim passarum ab hospitibus Lacedaemoniis atque diem suum obeuntium p. 308 D afferet recordationem Plutarchi. nam in opusculo pseudoplutarcheo ἐρωτ. διηγ. p. 773 B/774 D haec fabula luculentissime traditur atque etiam Plutarchus Πελοπ. 20 breviter eam tetigit. diverse tamen narratur interitus puellarum in Pseudoplutarcho, quin etiam Plutarcho, atque in Hieronymo. in Pseudoplutarcho dicuntur hospites Lacedaemonii puellas stupratas insuper iugulasse inque puteum abiecisse p. 773 D: ὁρῶντες δ' αὐτὰς καϑ' ὑπερβολὴν τῇ ὕβρει χαλεπαινούσας ἀπέκτειναν, καὶ ἐμβαλόντες ἔς τι φρέαρ ἀπηλλάγησαν. qua cum recensione Pseudoplutarchi Plutarchus Πελοπ. 20 fere consentit, qui perinde ac Pseudoplutarchus p. 774 B Scedasum sibi ipsum mortem conscivisse refert, de Scedasi filiabus nil habet nisi haec: ἐκεῖ γὰρ αὐταῖς ὑπὸ ξένων Σπαρτιατῶν βιασϑείσαις συνέβη ταφῆναι. e contrario Hieronymus acumine novo fabulam exstruit, qui puellas dicit excessisse e vita nece voluntaria p. 308 D: *quae amissae pudicitiae nolentes supervivere mutuis vulneribus conciderunt.* quod acumen in Hieronymo fabulae inditum si quis est qui id ortum dicat ex arbitrio scriptoris seri et ecclesiastici deflectentis a Plutarchi memoria vetere, ut laudes pareret virginitati angelicae quoquo modo, ego dabo quattuor uno ictu testes Xenophontem, Diodorum, Pausaniam, Aelianum, qui ipsi quoque voluntariam fuisse mortem filiarum Scedasi contra Plutarchum auctores spectabilissimi sunt; v. Aelian. ποικ. ἱστ. frg. 77 p. 224 Herch.: αἳ δὲ κατευξάμεναι τὸν χῶρον πάντα ἐκεῖνον Λακωνικῷ αἵματι ἐπικλυσϑῆναι, ἑαυτὰς ἀπέσφαξαν, Xenoph. Ἑλλην. VI 4, 7 αἳ λέγονται διὰ τὸ βιασ-

θῆναι ὑπὸ Λακεδαιμονίων τινῶν ἀποκτεῖναι ἑαυτάς, Diodor. XV 54, 3 *αἱ δὲ ὑβρισθεῖσαι τὴν συμφορὰν οὐκ ἐνέγκασαι, τῇ πατρίδι τῇ πεμψάσῃ τοὺς ὑβριστὰς καταρασάμεναι τὸν βίον αὐτοχειρίᾳ κατέστρεψαν*, Pausan. IX 13, 5 *καὶ αἵ τε παρθένοι παραυτίκα — οὐ γάρ σφισιν ἀνεκτὰ ἐφαίνετο εἶναι τὰ τῆς ὕβρεως — ἀπάγχουσιν αὑτάς.* quibus locis perspicitur, Hieronymum Scedasi fabulam neque transformasse in suum usum ecclesiasticum et pendere ex fonte doctissimo eoque diverso a traditione Plutarchea sive pseudoplutarchea; quo de fonte graeco aliquo in laudibus virginum ab Hieronymo usurpato v. c. V 3.

Sed est etiam altera narratiuncula inter virginum exempla Hieronymiana, quae quamvis obiter tantum, nos memores reddat Plutarchi. in virginem Thebanam incidit p. 309 B sermo Hieronymi, quae post Thebas vi captas ab hoste Macedone vitiata paullisper dissimulaverit dolorem, postea dormientem iugulaverit violatorem virginitatis suae. hanc narratiunculam accipienti cui non succurrit Timoclea, mulier Thebana a Plutarcho celebrata *Ἀλεξ.* 12 et in opusculo ethico *γυν. ἀρετ.* 24 p. 259 D seqq., quae item ut virgo illa apud Hieronymum post eversas Thebas stuprata ab hoste dissimulasse perhibebatur dolorem, ut pararet insidias barbaro? nihilo setius intuentem acrius neminem potest fugere, carituram esse fundamento iusto disputationem de Plutarcho auctore Hieronymi in hac narratione, cum nimius sit dissensus in singulis rebus inter utrumque scriptorem.

2

Peragravi omnem eruditionem saecularem Hieronymi de virginitate et de matrimonio, cupidus eruere librorum Plutarcheorum, cum vitarum parallelarum tum operum moralium, vestigia quam plurima in eo opere ecclesiastico, cui inesse certum est latine conversas partes satis magnas libri Plutarchei *γαμικῶν παραγγελμάτων*. sed praeter hunc librum coniugalem nullus Plutarchi usus nec imitatio in sermone nuptiali Hieronymi est, quem singulariter plane incidisse in *γαμ. παρ.* Plutarchi ab omni tandem parte firmavi. itaque redintegranda est optimo iure mihi quaestio iam supra mota, quomodo innotuerit Plutarchus Hieronymo, ecclesiastico scriptori et latino, tanta inscitia operum Plutarcheorum reliquorum omnium excepto uno insigni. ne multa, quaerendus est is auctor de coniugio scribens, qui saeculis inde a Plutarcho

usque ad Hieronymum decurrentibus tribuendus, eruditione nobilis, pari iure dicatur ab Hieronymo compilatus esse sollemniter, rursusque sollemnis fuisse compilator et propagator Plutarchi. atque hic auctor alia ratione, opinor, erui nequit nisi sic, ut singuli loci libri *γαμικῶν παραγγελμάτων* apud Hieronymum obvii investigatione diligentissima perpendantur. quocirca nunc constituo tabellam eorum locorum libri *γαμ. παρ.*, qui aut versi latine videantur esse ab Hieronymo, aut similitudine saltem iungantur cum latina Hieronymi oratione.

Hier. p. 312 C:

... multos non oculis, sed digitis uxores ducere.

Plut. γαμ. παρ. c. 24 p. 141 C:

δεῖ δὲ μὴ τοῖς ὄμμασι γαμεῖν μηδὲ τοῖς δακτύλοις κτλ.

p. 316 E—317 C:

Gorgia rhetor librum pulcherrimum de concordia Grecis tunc inter se dissidentibus recitavit Olympiae. cui Melantius inimicus eius: 'hic nobis', inquit, 'de concordia praecipit, qui se et uxorem et ancillulam, tris in una domo, concordare non potuit'. aemulabatur quippe uxor eius ancillulae pulcritudini et castissimum virum cotidianis iurgiis exagitabat. — totae Euripidis tragoediae in mulieres maledicta sunt; unde et Hermione loquitur: 'malarum me mulierum decepere consilia'. — in Lepti, urbe semibarbara et posita in solitudine, moris est, ut nurus altera die socrum ollam mutuam postulet. cui illa statim negat, ut sciat illum verum esse Terentii, quod consulte ambigue extulit: 'quid hoc est? omnes socrus oderunt nurus'. — legimus quendam aput Romanos nobilem, cum eum amici arguerent, quare uxorem formonsam et castam et divitem repudiasset, protendisse pedem et dixisse eis: 'et hic soccus quem cernitis, videtur vobis novus et elegans, sed nemo scit praeter me, ubi me premat'. — scribit Herodotus, quod mulier cum veste deponat et verecundiam, et noster comicus fortunatum putat, qui uxorem numquam duxerit. quid referam Pasiphen, Clyte-

c. 43 p. 144 B seq.:

Γοργίου τοῦ ῥήτορος ἀναγνόντος ἐν Ὀλυμπίᾳ λόγον περὶ ὁμονοίας τοῖς Ἕλλησιν, ὁ Μελάνθιος, 'οὗτος ἡμῖν', ἔφη, 'συμβουλεύει περὶ ὁμονοίας, ὃς αὑτὸν καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὴν θεράπαιναν ἰδίᾳ τρεῖς ὄντας ὁμονοεῖν οὐ πέπεικεν.' ἦν γὰρ ὡς ἔοικέ τις ἔρως τοῦ Γοργίου καὶ ζηλοτυπία τῆς γυναικὸς πρὸς τὸ θεραπαινίδιον.

c. 40 p. 143 E seq.: *ἡ Ἑρμιόνη δοκεῖ τι λέγειν ἀληθές, λέγουσα· 'κακῶν γυναικῶν εἴσοδοί μ' ἀπώλεσαν'.* *c. 35 p. 143 A:* *ἐν Λέπτει, τῆς Λιβύης πόλει, πάτρικόν ἐστι τῇ μετὰ τὸν γάμον ἡμέρᾳ τὴν νύμφην πρὸς τὴν τοῦ νυμφίου μητέρα πέμψασαν αἰτεῖσθαι χύτραν. ἡ δ' οὐ δίδωσιν οὐδέ φησιν ἔχειν, ὅπως ἀπ' ἀρχῆς ἐπισταμένη τὸ τῆς ἑκυρᾶς μητρυιῶδες, κτλ.* *c. 22 p. 141 A:* *ὁ Ῥωμαῖος ὑπὸ τῶν φίλων νουθετούμενος, ὅτι σώφρονα γυναῖκα καὶ πλουσίαν καὶ ὡραίαν ἀπεπέμψατο, τὸν κάλτιον αὐτοῖς προτείνας, 'καὶ γὰρ οὗτος', ἔφη, 'καλὸς ἰδεῖν καὶ καινός, ἀλλ' οὐδεὶς οἶδεν ὅπου με θλίβει'.*

c. 10 p. 139 C: *οὐκ ὀρθῶς Ἡρόδοτος εἶπεν, ὅτι ἡ γυνὴ ἅμα τῷ χιτῶνι ἐκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ.*

c. 7 p. 139 B: *τὴν Πασιφάην ἀπι-*

mestras et Eripylas, quarum prima deliciis fluens quippe ut regis uxor, tauri dicitur expetisse concubitus *eqs.*	*στοῦσι βοὸς ἐρασθῆναι βασιλεῖ συνοῦσαν κτλ.*
p. 317 C seq.: et propter unius mulierculae raptum Europae atque Asiae decennalia bella confligunt.	*c. 21 p. 140 F seq.:* *ὁ δ' ἐκείνων (ὁ τῆς Ἑλένης καὶ τοῦ Πάριδος γάμος) Ἰλιάδα κακῶν Ἕλλησι καὶ βαρβάροις ἐποίησεν.*
p. 319 A: nihil est foedius quam uxorem amare quasi adulteram.	*c. 29 p. 142 C:* *οὐ δύναμαι τῇ αὐτῇ καὶ ὡς γαμετῇ καὶ ὡς ἑταίρᾳ συνεῖναι.*
p. 320 B seq.: imitentur ergo nuptae Theanun, Cleobulinam, Gorgun, Timocliam, Claudias atque Cornelias, et cum apostolum *eqs.*	*c. 48 p. 145 E seq.:* *τὰ δὲ Θεανοῦς κόσμια καὶ Κλεοβουλίνης καὶ Γοργοῦς, τῆς Λεωνίδου γυναικὸς, καὶ Τιμοκλείας, τῆς Θεαγένους ἀδελφῆς, καὶ Κλαυδίας τῆς παλαιᾶς καὶ Κορνηλίας τῆς Σκιπίωνος ..., ταῦτα δ' ἔξεστι περικειμένην προῖκα καὶ κοσμουμένην αὐτοῖς, ἐνδόξως ἅμα βιοῦν καὶ μακαρίως.*

Recepi in tabellam omnes locos Hieronymi, qui *γαμικῶν παραγγελμάτων* memoriam aliquam iniciunt. nunc igitur primum id agendum est, ut verus usus Plutarcheus Hieronymi dispiciatur, ab hoc secernantur loci communes ab utroque scriptore adhibiti. de tribus autem locis tabellae sic iudico, ut pendere Hieronymum a Plutarcho denegem.

Quorum locorum primus est is, a quo tabella incipit, Hier. p. 312 C = Plut. c. 24 p. 141 C. ubi commune rhetorum exemplum in censum venire apertum est, quia versatur Plutarchus in Olympiade, matre Alexandri Magni, Hieronymus in Porcia minore. Athenaeus quoque similis acuminis sententiam exhibet XIII 9 p. 609 B *τοῖς ὀφθαλμοῖς γαμεῖς, καὶ οὐ τῷ νῷ.* nihilominus attendas velim, in eo communiter abhorrere Plutarchum et Hieronymum ab Athenaeo, quod is *digitis* ducentes uxores non opponit ducentibus *oculis.* similem rationem in hoc exemplo dico esse inter Hieronymum et Plutarchum rationi ei, quae inter eos intercedit in narratiuncula de putida mariti anima, cf. supra p. 61.

Item similitudinem Hieronymi p. 317 C seq. cum Plutarcho c. 21 p. 140 F seq. repetere nefas est ex usu Plutarcheo Hieronymi. nam ex

coniugio Helenae cum Paride infinita mala redundasse in Graecos et barbaros, tam saepe clamatur in litteris antiquis (cf. P. Wendland, *Philo u. d. kyn.-st. Diatr.* 1895 p. 36 seq.), ut simillimi sint oporteat colores binorum scriptorum eum locum adhibentium, si alterum ex altero suspensum esse putaturi sumus. at diversis coloribus Hieronymus et Plutarchus locum fucarunt. in Plutarcho est dictio proverbialis *Ἰλιὰς κακῶν*. quae quoniam etiam apud Romanos vigebat inque Cicerone legitur *ad Att.* VIII 11, 3 *tanta malorum impendet Ἰλιάς* (cf. Otto, *D. Sprichw. d. Roemer* p. 171), eam Hieronymus quoque usurpavisset, si convertisset Plutarchum. adhibuit autem in loco exornando eas phrases Hieronymus, quae ut alienae sunt a Plutarcho, sic idem acumen sententiae efficiunt, quod indidit huic loco communi tempore non ita multo ante Hieronymum philosophus neoplatonicus Iamblichus *περὶ τοῦ Πυθ. βίου* 8, 42 p. 30 Nauck: *δι' ἑνὸς ἀκρασίαν ταῖς δεινοτάταις περιπεσεῖν συμφοραῖς κτλ. ... δεκετῆ ... τιμωρίαν.* quibuscum cf. Hieronymiana: *propter unius mulierculae raptum ... decennalia bella.*[1])

Tertio loco tabellae, ubi compilationem Plutarcheam Hieronymi agnoscere recuso Hier. p. 319 A = Plut. c. 29 p. 142 C, Hieronymus amorem coniugalem opponit moechae amori, Plutarchus scorti. quod discrimen per se parvum, fit maius comparatione aliorum scriptorum in eodem loco ethico versantium velut Clementis Alexandrini *στρωμ.* II 23 (143, 1) p. 192, 5 Staehl. *μηδ' ὡς ἐρωμέναις χρῆσθαι ταῖς γαμεταῖς (προστάττει τοῖς ἀνδράσιν ὁ τῶν φιλοσοφούντων γάμος)*, et

1) Hieronymum sic constitui: *Europae atque Asiae decennalia bella confligunt.* ubi pro vulgata lectione *decennali bello* accusativum recepi ex libris *ESƨAMBC.* qui casus pendens a verbo *confligendi* defenditur locis Vulg. *I Macc.* 3, 2 *proeliabantur proelium,* Hyg. *fab.* 273 p. 147 Schm. *contendit pammachium* (*pammachio* Schmidt), cf. C. F. W. Mueller *Syntax des Nom. u. Accus.* p. 14. — deinde quod codd. *ESƨAMBC Europae atque Asiae* tradunt, duplex ratio explicandarum terminationum in *-ae* est. aut nomina propria pluraliter dicta sunt ab ecclesiastico ut pluraliter terrae vocantur a Catullo 45, 21 seq. *unam Septumius misellus Acmen mavult quam Syrias Britanniasque.* aut *Europae* forma singularis est per *e* scribenda, quae forma graeca *Europe* apud Latinos etiam in optimae aetatis litteris usitata est (Georges *Lex. d. l. Wortf.* s. v.). quamquam libri mss. mei omnes miro consensu et constantia etiam *Asiae* (*Asie*) habent, quam formam, si spernes pluralis explicationem a me temptatam, natam dicas oportet ex assimilatione mala terminationis antecedentis *Europae.* ionicae enim flexionis *Asie* nullum vestigium in latinis est praeter genetivum *Asies* CIL. X 3720 (Thes. l. l. II 781, 80).

Senecae *de const. sap.* (d. II) 7, 3 *si quis cum uxore sua tamquam cum aliena concumbat, adulter erit.* quibus locis cum Hieronymo et Plutarcho comparatis apparet, ad Senecam praecipue accedere Hieronymum, ad Clementem loquentem de scortis Plutarchum. ergo dummodo fas sit efficere aliquid de fontibus Hieronymi ex usu huius loci communis, ad Senecam potius adducimur Hieronymi auctorem quam ad Plutarchum. ceterum quam tritus fuerit iste locus in litteris veterum, etiam Sextus philosophus indicat laudatus ab Hieronymo paullo ante lectionem, quam contuli cum Plutarcho p. 318 E seq. *adulter est . . . in suam uxorem amator ardentior.* qua de Sexti sententia v. infra c. VII 5. denique cf. etiam Clem. Alex. *παιδαγ.* II 10 (99, 3) p. 216, 17 St. *μοιχεύει γὰρ τὸν ἑαυτοῦ γάμον ὁ ἑταιριζόμενος αὐτόν.*

Eos locos tabellae tres, quibus abnuo pendere Hieronymum a Plutarcho, absolvi. sequitur ut breviter dicam de **Pasiphaa** p. 317 C ex Plutarcho 7 p. 139 B deducenda, quod derivavit exemplum e Plutarcho iam ante me verissime Luebeck *Hier.* eqs. p. 51 et p. 207 adn. 1. ideo autem praesertim opus est quaestione propria ad liquidum perducere huius loci originem Plutarcheam, quia Haase eam obscuravit. qui ex tota periodo, quae continetur moribus damnandis Pasiphaae, Clytaemestrae, Eripylae, fragmentum Senecae 66 fecit. nescio vero an Haase noluerit propterea tantum Pasiphaen Hieronymi ex Plutarcho repetere, quia Hieronymus Clytaemestram et Eripylam a Plutarcho alienas in unam sententiam cum Pasiphaa coniunxit. certe, si sic sensit, Haase errabat de compilandi rationibus Hieronymi saepius plures in singulas sententias auctores cogentis. quamquam ne Haase quidem, opinor, hunc locum tam confidenter Senecae vindicasset, si cognitos habuisset codices vetustissimos Hieronymi, vestigia certa offerentes hoc loco latinitatis inferioris oblitterata in editione Vallarsii. primum enim pro *quippe regis uxor* lectione Vallarsiana praebent codices *ES𝔰AMBC*: *quippe ut regis uxor.* adhibuit autem omnino rarissime *quippe* Seneca philosophus, noviens tantum (cf. K. Lerche, *de quippe particula, Breslauer Philol. Abhandl.* fasc. 41, 1910, p. 55 seq.), neque ullo loco iunxit particulam nomini substantivo, qualis iunctura hic apud Hieronymum obvia passim in litteris latinis deprehenditur inde a Cicerone; cf. e. g. Cic. *de fin.* I, 20 *sol Democrito magnus videtur, quippe homini erudito* (Liv. III 53, 2. Apul. *met.* IX 25). hic igitur usus particulae *quippe* ad nomen accedentis frustra quaeritur in Seneca, apud

5*

quem ubique enuntiata particulam secuntur; variat usus Annaeanus tantum in eo, quod plerumque *quippe* sententiam ducit primo loco positum ut *dial.* XI 18,2 (*marmorea opera*) *non propagant longam diem, quippe et ipsa intereunt,* interdum *quippe* per anastrophen secundo loco ponitur ut *nat. quaest.* III 27, 5 *solutis quippe radicibus arbusta procumbunt.* ergo ne ea quidem lectio, quam in editione Vallarsiana Haase invenerat *quippe regis uxor* ad consuetudinem Annaeanam quadrat nec decet Senecam, nedum Senecam deceat, quae lectio reponenda est in Hieronymo ex codicibus antiquissimis *quippe ut regis uxor.* ubi notanda est talis abundantia particularum *quippe ut,* qualis prorsus aliena est a latinitate argentea, concessa est demum scriptori saec. II p. Chr. Apuleio *flor.* 18 p. 35, 24 seq. Helm: *semper adeo et ubique vos quippe ut parentis ac primos magistros meos celebro.* atque recte intellexit hunc locum Apulei usumque particulae *quippe* coniunctae cum eiusdem significationis particula *ut* Lerche l. l. p. 91 adn. 5, etsi unicum habuit exemplum huius usus hoc Apuleianum, fata persecutus *quippe* particulae non ultra Tertullianum. addenda autem est haec accumulatio particularum *quippe ut* in Hieronymo et Apuleio ad observationes de particulis accumulatis in sermone vulgi et ecclesiastico Einari Loefstedt, *Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität* (1907) p. 31 seqq. et *Spätlateinische Studien* (1908) p. 27 seqq. — deinde est agnoscenda etiam altera proprietas latinitatis inferioris hoc loco, dummodo scripti libri inspiciantur pro editione Vallarsii. quo loco cum heroinae tres ab Hieronymo enumerentur Pasiphaa, Clytaemestra, Eripyla, haec tria nomina ab Hieronymo posita deinceps excipiuntur nominibus numeralibus in ed. Vall. *prima* ... *altera* ... *tertia*; ubi pro scriptura Vallarsiana *altera* libri *ESꝫAMBC* habent *alia.* eorum autem locorum, quibus enumeratio rerum ternarum serie vocabulorum *unus* ... *alius* ... *tertius* sive similibus vocabulis fit i. q. *alter* pronomine *alius* valente, qui loci latinitatis antiquioris sunt ut Caes. *Gall.* I 1, 1, ii loci aliter comparati sunt atque locus Hieronymi. quo loco is usus pronominis *alius* invenitur qui Annaeo recentior est; cf. Thes. I 1650, 35 seqq.[1]) —

---

1) lectio *deliciis fluens* codicum *ESꝫMBC* (*d. fruens*: *A*) pro Vallarsiana *d. diffluens* certum recentioris stili indicium non est, etiamsi *d. diffluens* praecipue phrasis antiqua Ciceronis est (*Lael.* 52); at eadem recurrit apud Augustinum et Macrobium (cf. Thes. l. l. V 1105, 8 seqq.; Macrobius tamen *sat.* II 4, 22 ubi eam habet, pendet ab auctore aetatis Augusteae, v. infra c. VII 2). Seneca *di-*

talibus igitur foedata proprietatibus sermonis recentioris lectio Hieronymi ut cum Haaseo pro Senecae fragmento habeatur, fieri nequit. nulla autem alia res quaestione sermonis seposita nos mittit ad Senecam huius loci auctorem; unde vel deliberare otiosum est de hoc loco, num Senecae fragmentum sit per paraphrasim rhetoricam transpositum in sermonem recentiorem. e contrario nil obstare supra monebam, quominus deduceretur Pasiphaa Hieronymi ex Plutarcho. atque sunt etiam expressa omnia verba Plutarchi ab Hieronymo; qui flosculum *βασιλεῖ συνοῦσαν* vertit flosculo *quippe ut regis uxor*, locutionem *βοὸς ἐρασθῆναι* locutione *tauri . . . expetisse concubitus*, quae quidem locutio mere Hieronymiana est, cf. *adv. Iovin.* I 5 p. 244 A *regis filiae quaesisse concubitus*; *epist.* 54, 1, 2 *secundos nosse concubitus.* — nec non consensus Hieronymi et Plutarchi in exemplo Pasiphaes vel tunc apertus est, si idem exemplum tractantes Philonem *περὶ τῶν ἐν μέρει διαταγμ.* III 8 p. 307 M., Nicostratum *περὶ γάμου* apud Stob. IV 23, 65 p. 598 H., Porphyrium *π. ἀπ. ἐμψ.* III 16 p. 205 N. cum Plutarcho et Hieronymo contuleris.

Venio ad illos locos tabellae duos, quos ego Hieronymum accepisse a Plutarcho aio, quorum tamen locorum de origine Plutarchea controversiam esse supra p. 49 seq. exposui, versum Euripideum de malarum mulierum consiliis noxiis Hier. p. 317 A = Plut. c. 40 p. 143 E seq. et Herodoti dictum de femina cum veste deponente et verecundiam Hier. p. 317 B = Plut. c. 10 p. 139 C. nulla autem res ad dispiciendum, quae similitudines inter binos scriptores obviae ad eruditionem rhetoricam vel communionem remotiorem fontium redeant, quae similitudines ex imitatione primigenia et compilatione vera explicandae sint, maiori usui est, quam caterva testium aliorum eundem locum tractantium. nempe ipsa variorum testium comparatio iudicium de uniuscuiusque similitudinis origine mirum quantum sublevat. quae ratio modo me adiuvabat in eiciendis tribus locis ex tabella locorum Plutarcheorum Hieronymi, eadem nunc mihi utilissima evadet ad asseverandam originem Plutarcheam versus Euripidei et apopthegmatis Herodotei.

---

vitiis diffluis dixit *de prov.* (d. I) 4, 5. — *fluens* i. q. 'mollis' 'solutus' 'effeminatus' valens, in inferiore latinitate imprimis crebrum esse, etiamsi ille quoque usus usque ad Ciceronem ascendat, adnotat Seyffert-Mueller[2] *Cic. Lael.* p. 355.

Omnes autem scriptores, qui in tractando loco περὶ γάμου versum Hermionae Euripideum usurpaverunt, collegit C. Praechter, *Hierokles der Stoiker* p. 133. quibus scriptoribus inspectis apparet, ratione consimili inferri versum apud Hieronymum (*unde et Hermione loquitur*) et apud Plutarchum (ἡ Ἑρμιόνη δοκεῖ τι λέγειν ἀληθές, λέγουσα), distare plurimum ab his duobus testibus alios ut Nicostratum Stob. IV 23, 64 p. 596 Hense: φυλακτέον δὲ καὶ περὶ γυναικῶνα τὰς φιλίας τε καὶ συνηθείας τὸ τοῦ Εὐριπίδου μεμνημένους. ἡ γὰρ δὴ ἐξαρματάνουσα οὐχ αὑτὴν ἔλεγεν αἰτίαν, ἀλλ' ἐκείνας ἃς τραγῳδεῖ· 'κακῶν' κτλ.

Item apopthegma Herodoti de muliere deponente verecundiam cum veste, cuius sedes est apud Herodotum I 8 in fabella Gygis et Candaulis, ubi ex ore Gygis Herodotus loquitur ἅμα δὲ κιθῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή, praeter Plutarchum et Hieronymum etiam alii testes veteres tradunt. quamquam primum moneo, Plutarchum non modo in γαμ. παρ., verum etiam περὶ τοῦ ἀκούειν 1 p. 37 D apopthegma exhibere: καὶ καθάπερ Ἡρόδοτός φησιν ἅμα τῷ χιτῶνι συνεκδύεσθαι τὴν αἰδῶ τὰς γυναῖκας, οὕτως ἔνιοι τῶν νέων ἅμα τῷ τὸ παιδικὸν ἱμάτιον ἀποθέσθαι συναποθέμενοι τὸ αἰδεῖσδαι. deinde ecclesiastici scriptores complures apopthegmate utuntur velut Clemens Alexandrinus duobus locis: παιδαγ. II 10 (100, 2) p. 217, 12 St. μὴ δὴ ἅμα χιτῶνι ἀποδυομένῳ ἀποδυσώμεθα καὶ τὴν αἰδῶ ποτε, ἐπεὶ οὐδέποτε τῷ δικαίῳ σωφροσύνην ἀποδύσασθαι θέμις et ibid. III 5 (33, 1) p. 255, 17 αἳ δὲ ἀποδυσάμεναι ἅμα τῷ χιτῶνι καὶ τὴν αἰδῶ φαίνεσθαι μὲν βούλονται καλαί, ἄκουσαι δ' ὁμοίως ἐλέγχονται κακαί. praeterea Cyprianus verbo Herodoti usus est *hab. virg.* 19 p. 201, 10 Vind. *verecundia illic* (i. e. in balneis promiscuis) *omnis exuitur, simul cum amictu vestis honor corporis ac pudor ponitur, denotanda et contrectanda virginitas revelatur.*[1]) denique Theodoretus apopthegma protulit, qui genuinam formam Herodoteam κιθῶνα tuetur, quamquam ex errore aut suo aut auctoris sui, scriptoris ecclesiastici vetustioris nobis ignoti, pro Gyge uxorem Candaulis verbum de pudore muliebri emittentem facit, Ἑλλην. θεραπ. παθ. IX 41 p. 232 Raeder: ὁ δὲ ταῦτα νομοθετῶν (ὁ Πλάτων) οὐδὲ τῶν τῆς Κανδαύλου γυναικὸς λόγων ἐμνήσθη. ἐκείνη γάρ τοι, τοῦ ἀνδρὸς γυμνόν οἱ δεῖξαι τὸ σῶμα κελεύ-

1) Hartelium Cypriani editorem praeteriit usus sententiae Herodoteae, qui alioquin certe non commemorasset coniecturam quae trahitur ex p. 201, 17, *pudor caeditur* pro *pudor ponitur*.

σαντος, μάλα ἔφη σωφρόνως, ὅτι 'ἀποδυομένη τὸν κιθῶνα ξυναποδύεται καὶ τὴν αἰδῶ ἡ γυνή'. τοιγαροῦν ὁ φιλόσοφος τὰς νυμφευομένας γυμνοῖ τῆς αἰδοῦς καὶ ἀναίδειαν ἐκδιδάσκει.

inter tot testes apopthegmatis si circumspicis, cui Hieronymus proxime accedat, nulla dubitatio poterit esse de Plutarchi libro *γαμικῶν παραγγελμάτων*. nam primum Hieronymus Herodoti nomen a reliquis testibus ecclesiasticis neglectum cum Plutarcho exhibet. quod vero utroque loco Plutarcheo et *περὶ τοῦ ἀκ.* et *γαμ. παρ.* Herodotus appellatur, clarius etiam quam peculiaris ratio inter Hieronymum et *γαμ. παρ.* Plutarchi intercedat, perspicitur collato textu apopthegmatis Hieronymiano cum recensionibus eius in Clemente *παιδαγ.* II 10, Theodoreto, Plutarcho, cum in *περὶ τοῦ ἀκ.* tum in *γαμ. παρ.*: Herodotus enim per figuram rhetoricam *ἐκδυομένῳ συνεκδύεται* sententiam constituit; quam figuram etiam Clemens *παιδαγ.* II 10 servat *ἀποδυομένῳ ἀποδυσώμεθα*, nec non Theodoretus *ἀποδυομένη . . . ξυναποδύεται*, novit Plutarchus quoque *περὶ τοῦ ἀκ.*, ubi cf. *συνεκδύεσθαι . . . ἀποθέσθαι συναποθέμενοι*. at in *γαμ. παρ.* Plutarchi nec vola nec vestigium figurae eius rhetoricae est, ubi ne verbum quidem bis compositum *συνεκδύεται* deprehenditur, pro quo *ἐκδύεται* occurrit. quocirca haesit in lectione tradita editor Plutarchi Bernardakis t. I p. 340, 15, cui restituenda esse videbatur figura *ἐκδυομένῳ συνεκδύεται* aut saltem reponendum verbum *συνεκδύεται* ex altero loco, ubi Plutarchus sententiam Herodoti laudat *περὶ τοῦ ἀκ.* 1. at suo cum damno neglexit Bernardakis Hieronymum, qui et ipse figura illa caret neque ullo modo conatus est vocabuli bis compositi vim *συνεκδύεσθαι* exprimere, immo verbum ex verbo reddit recensionem propriam *γαμικῶν παραγγελμάτων*: *Ἡρόδοτος εἶπεν* (*scribit Herodotus*) *ὅτι* (*quod*) *ἡ γυνὴ* (*mulier*) *ἅμα τῷ χιτῶνι* (*cum veste*) *ἐκδύεται* (*deponat*) *καὶ* (*et*) *τὴν αἰδῶ* (*verecundiam*).

tantum consensum lectionis Hieronymianae et Plutarcheae in tanto numero testimoniorum nemo facile casui tribuet. nihilo minus vereor, ne hoc consensu lectionum scrupulus omnis de origine Plutarchea apopthegmatis Herodotei in Hieronymo exemptus non sit, immo resideat scrupulus talis, qualis residere debet, et ille quidem multo etiam acutior inquirentibus in Euripidis versum Hermionae, cum videant hunc versum inferri ab Hieronymo et Plutarcho locutionibus simillimis, simul stupeant unde nomen Euripidis venerit Hieronymo absens

a Plutarcho. in apopthegmate autem Herodoti una re discrepant Hieronymus et Plutarchus: diverso consilio apopthegma usurpant. quod Hieronymus adhibet ad illustrandam mulieris naturam proclivem ad illecebras assensus Herodoto, Plutarchus item ut Clemens Alexandrinus carpens Herodotum apopthegmate sic utitur, ut neget mulierem exuentem vestem exuere et pudorem. iam vero aeque atque Hieronymus Herodoto astipulati apopthegmate utuntur Cyprianus et Theodoretus, quorum locos supra exscripsi. quo vero latius patet in litteris moralibus approbatio apopthegmatis Herodotei, eo minus fas erit, Hieronymi approbationem eiusque differentiam a Plutarcho ex casu aut ex licentia unius Hieronymi deducere. atque approbat apopthegma Herodoti abhorrens a Plutarcho etiam Theano, mulier Pythagorica, quamvis haec, quae est eius cohortatio peculiaris ethica, rursus differat aliquantum ab apopthegmatis usu ecclesiastico Hieronymi, Cypriani, Theodoreti, cf. Laert. Diog. VIII 43 *τῇ δὲ πρὸς τὸν ἴδιον ἄνδρα μελλούσῃ πορεύεσθαι παρήνει* (*ἡ Θεανώ*) *ἅμα τοῖς ἐνδύμασι καὶ τὴν αἰσχύνην ἀποτίθεσθαι.* quid multa? dubitationem olim aliis, ut supra p. 50 rettuli, natam de Plutarcho Hieronymi auctore in apopthegmate Herodoteo nondum penitus a me profligatam esse ultro fateor.

Sed via, quam ingressus sum arcessitis testimonis quam plurimis singularum similitudinum Plutarchi et Hieronymi, nequaquam unica via est, qua vera compilatio Plutarchea Hieronymi dinoscatur, neque in hac via acquiesco. immo alteram rationem in promptu habeo eamque gravissimam, qua eos locos tabellae, quorum origo Plutarchea sub lite est, versum Euripidis et apopthegma Herodoti, ex Plutarcho ortum ducere eluceat. nimirum res iam in eo est, ut ordo spectetur, quo decurrant ii loci tabellae in Plutarchi *γαμ. παρ.*, qui in tabella restant purgata a tribus locis p. 312 C, 317 C seq., 319 A. age sequere me comparantem tabellae ordinem locorum Plutarcheorum secundum progressum operis Hieronymiani dispositae cum ordine eorundem locorum in Plutarchi *γαμ. παρ.*

Demptis locis tribus illis p. 312 C, 317 C seq., 319 A duae tantum sedes Plutarcheorum restant in Hieronymo. quarum altera est exitus libri *adv. Iovin.*; quem exornavit Hieronymus nominibus sex mulierum virtute insignium iisdem, quibus Plutarchus *γαμ. παρ.*

exitum cumulavit. qua de periodo extrema libri Hieronymiani longissima eaque confecta non modo ex eruditione Plutarchea, verum etiam ex aliis fontibus infra verba fient. altera autem sede Plutarcheorum, paginis 316 E—317 C loci sex Plutarchi decurrunt coniuncti ab Hieronymo in unum contextum, praeter quod insertas invenis duas Terentii lectiones p. 317 A et B. quibus de lectionibus Terentianis locis Plutarcheis immixtis etiam antequam locorum Plutarcheorum ordinem persequar, mihi breviter adnotandum est.

prior igitur lectio Terentiana p. 317 A *quid hoc est? omnes socrus oderunt nurus* in Hieronymo sonat versum senarium, in Terentii *Hecyra* fertur versus inter octonarios iambicos corrupte traditus v. 201 *itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus.* alterum Terentianum paullo inferius p. 317 B occurrens *et noster comicus fortunatum putat qui uxorem numquam duxerit* senarios spectat *Adelph.* 42 seqq. *ego hanc clementem vitam urbanam atque otium secutus sum et, quod fortunatum isti putant, uxorem numquam habui.*[1]) neque dubium est, quin Hieronymus, quae est eius familiaritas cum Terentio maxima (cf. Luebeck *Hier.* eqs. p. 110 seqq.), Terentiana Plutarcheis de suo addiderit. velut verbum de odio mutuo socrus et nurus *Hec.* 201 citavit etiam *in Mich.* 7, 5 t. VI p. 519 D. ac non modo *Hecyrae* notitiam p. 317 A praestat Hieronymus, sed etiam Donati, interpretis Terentiani, cum Terentium sic intulerit: *ut sciat illum verum esse Terentii, quod consulte ambigue extulit: 'quid hoc est'* eqs.; quibus cum verbis conferendum est Donati scholion ad hunc versum p. 227, 10 seq. Wessner: *itaque adeo*] *necessaria sententiae amphibolia ad describendam utramque personam.* nec mirum, quod Donatum grammaticum praeceptorem suum Hieronymus compilaverit; cuius commentariorum in Ter. utilissimam praedicavit esse lectionem *adv. Rufin.* I 16 p. 472 A *puto quod puer legeris . . . commentarios . . . in Terentii comoedias praeceptoris mei Donati* eqs.

1) Hieronymi interpretatio versus 43 fortasse falsa, at certe antiqua est. ambigunt enim et horum temporum et antiquorum interpretes Terentiani, utrum enuntiatum relativum *quod fortunatum isti putant* ad notionem *uxoris* referendum sit, an ad totam sententiam *uxorem numquam habui*, cf. Dziatzko-Kauer ad v. in ed. Lips. 1903 p. 33 seq. — Donatus quidem quinque scholia praebet ad hunc versum, quorum tertium praecipue cum Hieronymo congruit p. 17, 1 seqq. Wessner: *fortunatum isti putant*] *utique uxorem non ducere. dicit autem Romanis id videri, quos spectatores habet.* abhorret ab Hieronymo quartum Donati scholion p. 17, 4 seqq. W.: *quidam putant sic pronuntiandum 'et quod fortunatum isti putant uxorem', et haec bona et concinnata locutio est.*

Verbis igitur poetae sibi maxime tractati auxit Hieronymus locos Plutarchi decurrentes inde a p. 316 E usque ad p. 317 C, nullamque afferunt Terentiana molestiam quaerenti, quas rationes secutus quibusque studiis sublatus Hieronymus orationem suam dictaverit. Plutarchi autem locos sic in contextum novum consuit Hieronymus, ut ab umbilico inciperet opusculi Plutarchei, caput eius XLIII, unum ex ultimis capitibus operis primo loco poneret, tunc ex inverso ordine *γαμ. παρ.* progressus deinceps daret eclogas ex capitibus XL, XXXV, XXII, X, subsisteret demum in capite VII paullulum distante a calce libri. ideo vero hanc viam Hieronymus expedite plane et facile ire potuit in excerpendis *γαμ. παρ.* Plutarchi et in his excerptis consarcinandis in sermonem novum, quia Plutarchi *γαμ. παρ.* ex collectaneis constant, narratiunculis, exemplis, praeceptis tenui tantummodo aut nullo filo sermonis inter se conexis. neque inaudita est haec ratio, quam Hieronymo excerptori Plutarcheo tribuo, colligendi exempla apud aevi illius grammaticos romanos. quorum grammaticorum et Donati quidem disciplinam perpessum esse consuetudinesque hausisse Hieronymum fors fuit, ut modo ipsius verbo *adv. Rufin.* I 16 firmarem, cum auctoritatem omnem Donati in Hieronymo luculenter illustraverit Frid. Lammert *comm. phil. Ien.* IX 2 (1912) *de Hier. Donati discipulo.* atque de grammaticis romanis retroversus cedentibus in exemplis colligendis egit circumspecte Fridericus Marx, *Lucilii carm. reliq.* t. I p. LXXXII seqq. et t. II p. VI. qui in Nonio exempla Horatiana, Tulliana epistularum, Luciliana decurrere monuit eo ordine, ut agmen ducant exempla tracta ex inferioribus partibus singulorum voluminum auctorum adhibitorum, claudant agmen exempla ducta ex initiis. quam rem casui tribuere Marx constanter recusavit, immo sagaciter ac facunde explicavit ex condicione rei librariae antiquae. nec vero egomet a me impetro, ut casui tribuam ordinem ex Hieronymo collectum capitum Plutarcheorum his numeris decurrentem XLIII, XL, XXXV, XXII, X, VII. insuper sic factum est, ut nulli loci Plutarchei, nisi qui extra hanc seriem numerorum sunt, collatione illa aliarum similitudinum locorum singulorum a me supra instituta, expellerentur ex tabella. duplici igitur via ad eundem finem perveni in distinguenda vera compilatione Plutarchea Hieronymi a locis communibus occurrentibus apud utrumque scriptorem. nempe si seriem integram locorum illorum sex in opus suum recepit, Hieronymus simul recepit Hermionae versum et Herodoti

apopthegma, huius seriei secundum, c. XL ac quintum, c. X. sic novissima ratione cogo, quos locos ex Plutarcho descendisse alii abnuunt, eos ex eo tractos esse.

Tanta argumentatione postquam versus Euripidei et apopthegmatis Herodotei originem Plutarcheam firmavi, audeo coniectando assequi, unde Hieronymus Euripidis nomen p. 317 A habeat. nimirum Plutarchum latinum agnosco esse textum Hieronymianum inde a verbis p. 316 A *Gorgia rhetor* usque ad verba p. 317 C *expetisse concubitus,* sed auctum Plutarchum. veluti vide qua sollertia Hieronymus p. 317 A in reddendo Plutarcho morem narrante Leptinum ad socrus nurusque simultates pertinentem, deflexerit ad Terentium intra ambitum unius eiusdemque enuntiati ornaveritque Plutarchum novo lumine versiculi Terentiani. musivi quoddam genus operis textus est Hieronymi, qui scriptor ne in tali quidem parte libri sui, ubi nullo munere functus esse videtur primo obtutu nisi interpretis Plutarchei, contentus fuit auctore suo principali, aut immemor erat reliquae eruditionis ethnicae, quam de nuptiis imbiberat vellicaturus Iovinianum. ea igitur re abhorreo ab omnibus, qui eruditionem saecularem operis Hieronymiani *adv. Iovin.* tetigerunt obiter vel tractaverunt studiose inquirentes in fontes Hieronymi, quod acquiescere nolens singulis locis in singulis auctoribus passim persequar auctoritatem diversorum singulis locis scriptorum coniunctorum ab Hieronymo. cui scriptori ecclesiastico in hac re equidem impertio nullas alias rationes compilandi fontes nisi eas, quas quibusdam ecclesiasticis quamvis graecis potissimum alii docti dudum impertiebant. ut obversatur mihi sententia, quam de Clemente Alexandrino evigilabat complures auctores intra fines singulorum enuntiatorum adhibente Robertus Muenzel, *Zum Paedagogus des Clemens Alex.* (*Beiträge zur Bücherkunde u. Philol. A. Wilmanns z. 25 März 1903 gewidm.* Lps. 1903) p. 294 seq., atque etiam in censura facta de I. Gabrielssonii opere *Über die Quellen des Clemens Al.* t. I (Ups. et Lps. 1906) *Deutsche Literaturzeitung* t. XXX (1909) p. 30 seqq.

Qui autem alter auctor in citando versu Euripideo Hieronymo ad manum fuerit suggesseritque ei sententiolam *totae Euripidis tragoediae in mulieres maledicta sunt* antecedentem versui Hermionae, cui tandem provinciae litterarum is auctor tribuendus sit, ex quibusdam indiciis colligitur, quae nobis se obtulerunt tractantibus singulos locos Plu-

tarcheos Hieronymi. quamquam quae vestigia huius auctoris alterius praeter Plutarchum Hieronymo adstantis nuncupaturus sum, ea tibi placere non poterunt, nisi si placido animo accepisti, quae exponebam primo capite de ecloga Theophrastea Hieronymi ex litteris neoplatonicis oriunda, non ex Senecae dialogo *de matrimonio*. nimirum qui ante me de fontibus Hieronymi *adv. Iovin.* agebant, isti incurrebant excepto Plutarcho in latinos tantummodo scriptores, Senecam et Tertullianum; quos ad auctores Hieronymi omnino minus libenter quam ad neoplatonicos scriptores refugeris dubitans de origine nominis Euripidei additi ab Hieronymo Plutarcho. meo autem iure habeo pro vestigio litterarum neoplatonicarum apparente in media interpretatione Plutarchi p. 317 B approbationem Hieronymianam apopthegmatis Herodotei de muliere cum veste deponente et verecundiam, cuius apopthegmatis pro approbatione Hieronymiana invenitur in ipso Plutarcho c. 10 improbatio (cf. p. 50). quam differentiam Hieronymi a Plutarcho propter Theanun et ipsam discrepantem a Plutarcho in usu apopthegmatis (cf. supra p. 71 seq.) ex litteris neoplatonicis ab Hieronymo inspectis repetere audeo. etenim longe non abest ex Theanone apud Laertium Diogenem VIII 43 apopthegma Herodoti inter praecepta coniugalia recipiente in Theanonem propter mores et cohortationem moralem celebratam in litteris neoplatonicis, Iamblicho et Porphyrio.

atque etiam alterum vestigium auctoris neoplatonici forsitan licebit protrahere ex pagina 317 et quidem ex ea parte, quae excipit Plutarchum ab Hieronymo latine redditum. coniunxit enim cum Pasiphaa ex Plutarcho petita Hieronymus p. 317 C in unam sententiam etiam Clytaemestram et Eripylam, desinitque de tragoediis in adulteriis tumentibus locutus p. 317 D in Helenae et Paridis nuptiis nefandis. cuius postremi exempli rhetorici colores Hieronymiani recurrunt in litteris neoplatonicis, cf. p. 66.

talibus observatiunculis incitatus dubito an obvenerit Hieronymo nomen Euripidis p. 317 A ex eodem fonte, ex quo obvenit ei p. 313 C seqq. ecloga Theophrastea, praeclarissimum eruditionis Hieronymianae documentum, ex Porphyrio philosopho neoplatonico.[1])

1) tribus ad summam locis adhibetur Euripides in Hieronymo (Luebeck, *Hier.* p. 17 seq.), praeter hunc locum etiam l. II *adv. Iovin.* c. 14 p. 344 B, ubi transscriptus est Porphyrius *περὶ ἀπ. ἐμψ.* IV 19 p. 261, 5 Nauck (v. append.).

3

Quae opinio ut rata fiat evadatque sententia ab omni parte munita, amplius etiam mihi nitendum est et curabo pluribus modis. primum eum locum aggrediar, qui relinquitur in tabella similitudinum Plutarchi et Hieronymi nondum a me tractatus isque positus sub calce libri *adv. Iovin.*; ubi Plutarchea textui Hieronymiano subesse certum est, simul una cum Plutarcheis intra circuitum sententiae eiusdem eam rem ethicam ab Hieronymo memorari demonstrabo, quae philosophorum neoplatonicorum attentione dignissima fuerit inque eorum litteris deprehenditur. postea ad servatum opus Porphyrii transibo *περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων*; quo in opere compilari Plutarchum a Porphyrio indicabo exque hoc opere Porphyrii Plutarchea in Hieronymi librum alterum *adv. Iovin.* fluxisse. hoc igitur exemplo maxime explicabitur, quo iure Plutarchea prioris libri *adv. Iovin.* Porphyrianis potissimum aucta esse sumam, quamvis omnem textum Plutarcheum prioris libri ex Porphyrio in Hieronymum transiisse nolim plane tibi persuadere, ut infra etiam palam fiet. ad postremum persequar memoriam Plutarcheam quam plurimorum auctorum ab Hieronymo lectitatorum, ut appareat, nullum auctorem Hieronymi neque ethnicum neque christianum maiore cum probabilitate quam Porphyrium a te nuncupari quaerente, quis scriptor sollemniter ab Hieronymo adhibitus idemque sollemnis compilator Plutarchi provocaverit Hieronymum ad evolvendum Plutarchum, simulque ditaverit eum notitia rerum a Plutarcho absentium ut nomine Euripidis.

Primum igitur accedo ad tabellae Plutarcheorum locum ultimum *γαμ. παρ.* 48 p. 145 E seq.; ubi Plutarchea partem periodi alicuius longissimae efficiunt, et eius quidem, quae librum *adv. Iovin.* claudens mihi videtur esse specimen praeclarum musivi illius generis scribendi ab Hieronymo sollerter exerciti. cuius periodi singulis membris singulos auctores cum in animo sit ascribere, commodum erit totam hoc loco proponere, etsi primum eius membrum dedi iam in tabella lectionum Plutarchearum, p. 320 B seq.: *imitentur ergo nuptae Theanun, Cleobulinam, Gorgun, Timocliam, Claudias atque Cornelias, et cum apostolum*

tertius locus est *in Dan.* 6, 4 t. V p. 658 D Vall., ne is quidem idoneus, ut certiorem notitiam Euripidis in Hieronymo fuisse dicas (cf. p. 51 adn.).

malis mulieribus digamiam viderint ignoscentem, legant, antequam religio nostra fulgeret in mundo, unicubas semper habuisse inter matronas decus, per illas Fortunae muliebri sacra fieri solitum, nullum sacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum; hieropantas quoque Atheniensium usque hodie cicutae sorbitione castrari, et postquam in pontificatum fuerint adlecti, viros esse desinere.

de prima parte huius periodi apparet, quid egerit Hieronymus. qui suum librum ut clauderet peroratione gravissima, perorationem adiit libri coniugalis Plutarchi. occupant nimirum nomina illa sex *Theanun* ... *Cornelias* etiam in Plutarcho locum sub calce libri. religiose autem secutus est auctorem suum Hieronymus, neque detraxit a Plutarcho neque addidit ad eum nomen mulieris clarae cuiuspiam, qualia nomina, romana potissimum occurrunt inter exempla rhetorica. quodsi Hieronymus in prima periodi parte nihil profert, nisi quae suggerebat ei fons eius, vide ne eadem res sit in sequentibus periodi partibus. relinquens autem Plutarchum pudicitiam generaliter celebrantem nominibus illis sex feminarum in philosophia et in civitate excellentium, currit Hieronymus ad monogamiae laudes repetendas ex paganorum cultu deorum et institutis sacris Romanorum. Fortunam muliebrem perstringit nullis matronis nisi unicubis colendam, deinde audis eum contendere, apud Romanos fuisse *nullum sacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum.* quorum quae de Fortuna muliebri Hieronymus dixit, ea dixit ex proba rerum cognitione (cf. W. Otto, *Realencycl.* t. VII p. 20). quae vero de sacerdotibus et flaminibus Romanorum monogamis hariolatus est, ea imprimis redolent flaminem Dialem, qui iure pontificio iubebatur post mortem uxoris decedere flamonio nec dirimebatur matrimonium eius nisi morte (cf. Marquardt-Wissowa, *Röm. Staatsverwalt.* III² p. 328 adn. 8). ceterum Hieronymus debet notitiam horum institutorum sacrorum nequaquam scientiae altiori eorum ab antiquariis romanis passim tractatorum. immo post Plutarchum exscriptum auctorem alterum exscripsit, unum ex christianis Tertullianum. nam cum Tertulliani opus *de monogamia* compilatum esse ab Hieronymo in christiano sermone libri prioris *adv. Iovin.* constet (cf. p. 23), necesse est cum Hieronymo de Fortuna muliebri et de sacerdotum flaminumque nuptiis secundis loquente comparare *de monog.* 17, ubi eaedem res simillimaeve eodem ordine proferuntur: *Fortunae muliebri coronam non imponit nisi univira, sicut nec Matri Ma-*

tutae. pontifex maximus et flaminica nubunt semel. nihilominus sponte concedo dubitari posse, an praeter hunc locum Tertulliani *de monog.* etiam ad alterum exemplar se accommodaverit Hieronymus. velut ipse Tertullianus, scriptor maxime lectitatus ab Hieronymo, etiam *ad uxor.* I 6 et *de exhort. cast.* 13 ex religione pagana argumenta traxit castitatis et monogamiae; quorum locorum altero *de exhort cast.* 13 consimiliter atque *de monog.* 17 flaminicae, flaminis, pontificis maximi monogamia celebratur. quamquam malim, si praeter *de monog.* 17 etiam alterius loci Tertullianei imitationem Hieronymo tribui in cumulo libri I *adv. Iovin.* necessarium sit, equidem opus perditum de angustiis nuptiarum *ad amicum philosophum* citatum ab Hieronymo in christiana parte libri I *adv. Iovin.* c. 13 p. 260 B in censum vocare. nam opus *de exhort. cast.* in christianis partibus libri *adv. Iovin.* Hieronymus neque citavit neque adhibuit; cf. Fr. Schultzen, *Neue Jahrb. für deutsche Theol.* t. III (1894) p. 493. tetigisse autem Tertullianum in opere de angustiis nuptiarum monogamiam superstitiosam Romanorum admodum probabile est, cum eam in servatorum operum nuptialium unoquoque perstrinxerit.[1])

Sed Tertulliano ad Plutarchum addito nondum finivit Hieronymus periodum extremam libri I *adv. Iovinianum.* cum ex Plutarcho petivisset laudes generales pudicitiae, monogamiae laudes ex Tertulliano, restabat virginitas sive castitas, ipsa quoque ethnicorum laudibus sublata exprimendis Hieronymo. atque hierophantam Atheniensium habebat Hieronymus pro vindice castitatis plenae, quae deceret etiam ex gentilium superstitione eos, qui in illorum pontificatum essent adlecti. inspice igitur mecum testimonia veterum de castitate et castratione hierophantarum collecta ab E. Fehrle, *Die kultische Keuschheit im Altertum* (*Religionsgesch. Versuche u. Vorarb.* t. VI a. 1910) p. 104 seqq.;

1) fortasse ideo mutavit Hieronymus verba *de monog.* 17 *pontifex maximus* ... *(nubit) semel,* quia puduit eum sermonem claudere argumento prae ceteris conspicuo eodemque omnium falsissimo, quamvis a Tertulliano tribus locis prolato *de monog.* 17, *ad uxor.* I 7, *de exhort. cast.* 13 (cf. Marquardt-Wissowa l. l. p. 328, 8). nempe ineptum sonare sciebat Hieronymus verbum de pontificis maximi monogamia Romae potissimum, quo misit libros *adv. Iovin.*, ubi pontificis maximi munus priscum Caesaribus sollemniter inde ab Octaviano Augusto susceptum, duraverat usque ad ipsius Hieronymi tempora. quo munere se abdicavit demum Gratianus Caesar anno 382 (cf. Marq.-Wiss. l. l. p. 246), quo anno eodem Hieronymus Romam advenerat post stationem Constantinopolitanam cf. Gruetzmacher, *Hier.* t. I p. 51).

quibus testimoniis perlustratis spero notum fore nomen tertii auctoris ad Tertullianum et Plutarchum adiecti ab Hieronymo in cumulo libri I *adv. Iovin.*

Eos autem testes hierophantae cicuta castrati, qui longius ab Hieronymo recedunt, mitto ut Schol. Pers. 5, 145, Iuncum Stob. IV 115, 27 t. V p. 1028, 2 Hense, Hippolytum *κ. πασ. αἱρ. ἐλέγχ.* V 8 p. 164 Duncker-Schneidewin. diutius mihi morandum est in Origenis testimonio *κατὰ Κέλσ.* VII 48 p. 199, 18 seqq. Koetschau: *καὶ εἷς μέν που παρ' Ἀθηναίοις ἱεροφάντης, οὐδὲ πιστευόμενος ἑαυτοῦ τὰς ἀρσενικὰς ὀρέξεις ὡς κύριος αὐτῶν εἶναι δυνάμενος καὶ κρατεῖν αὐτῶν ἐς ὅσον βούλεται, κωνειασθεὶς τὰ ἄρσενα μέρη καθαρὸς εἶναι νομίζεται πρὸς τὴν νενομισμένην παρ' Ἀθηναίοις ἁγιστείαν.* quem locum si comparaveris cum Hieronymiano, sunt quae consentiant, sunt quae dissentiant. neglegit Hieronymus, cum Origene veram castitatem christianam castitati hierophantae cicuta effectae opponere atque verba utriusque scriptoris parce tantum concordant. tamen argumentum exempli Hieronymiani totum explicari potest ex Origene nonnullisque in rebus proprie conspirare Hieronymum cum Origene sentient qui reliquos testes de hierophanta veteres perlegent. velut sacerdos Cereris Eleusiniae audit in scholio Persiano et fere in Hippolyto castratus ille, qui hierophanta Atheniensium breviter dicitur ab Hieronymo et Origene; cicutam diserte memoratam ab Hieronymo et Origene Iuncus omittit. itaque ad hanc sententiam facile quis adducetur comparatione mutua testimoniorum veterum de hierophanta, ut Hieronymus ab Origene pendeat. accedit quod summa omnino auctoritas Origenis in Hieronymo est, cuius commentarios in Scripturam sacram confertos esse eruditione Origeniana nemo nescit. inde fieri potuisse cogor sane concedere, ut Hieronymus ex recordatione Origenis adnotationem de hierophanta daret. tamen quod fieri potuisse concedo, id factum esse nego. nam ubi semel incurri in nomen Origenis, dedita opera examinavi unamquamque rem sermonis ethnici Hieronymiani de nuptiis et virginitate, ut etiam alia vestigia usus Origeniani detegerem in Hieronymo. quod munus ideo quoque suscipiebam, quia Hieronymo nota erat homilia Origenis *de monogamis* nobis deperdita, ut ipse testis est *epist.* 33, 4, 9 p. 258, 19 Hilberg. scripta autem *de monogamia* omnino idonea habuisse Hieronymum, quae exhauriret disserens adversus Iovinianum, Tertullianus *de monogamia* ab Hieronymo compilatus probat. sed quemcunque

locum libri *adv. Iovin.* ad Origenem referre temptabam, ubique incidi in scrupulos, mireque accidit, ut quae sunt egregia documenta eruditionis antiquae in sermone Hieronymiano, ea aut omnino absint ab Origene, scriptore alias versatissimo in ethnicorum sapientia, aut diverse ab eo narrentur. veluti de Platone ex virgine orto diversa habent Origenes *κ. Κέλσ.* I 37 p. 89, 8 seqq. Koetsch., VI 8 p. 78, 3 seqq. et Hieronymus c. 42 p. 309 C seq., quorum ille Amphictionen vocat matrem Platonis, hic Perictionen, consentiens ut in aliis huius memoriae partibus, ita hac quoque parte cum Laertio Diogene III 2 (cf. infra c. V 1). deinde verbi gratia quod cimelion decorat librum I *adv. Iovin.* fragmentum Theophrasti, quaero quid cum Theophrasto sit Origeni disputanti contra Celsum, philosophum platonicum, totque laudanti philosophos circa Theophrastum, quorum conspectus nullo sudore capitur ex Koetschaui edit. t. II p. 431. ac ne uno quidem loco, ubi Koetschau attulit ad Origenem Theophrastum, hic ab illo inspectus est: *κ. Κέλσ.* IV 93 p. 366, 21 seqq.: *καὶ ὅρα ἐφ' ὅσον εἰσὶν οἱ δαίμονες μιαροί, ὡς καὶ γαλᾶς ὑπό τινων παραλαμβάνεσθαι πρὸς τὸ δηλοῦν τὰ μέλλοντα.* quem locum illustrari voluit Koetschau Theophrasti lectione *χαρακτ.* 16: *καὶ τὴν ὁδὸν ἐὰν ὑπερδράμῃ γαλῆ, μὴ πρότερον πορευθῆναι, ἕως διεξέλθῃ τις ἢ λίθους τρεῖς ὑπὲρ τῆς ὁδοῦ διαβάλῃ.* sed meliore iure quam quo Theophrastum citavit Koetschau, potuit citare Plutarchi frg. *περὶ ψυχῆς* 10 (t. VII p. 30 Bernard.): *ὅτι καὶ ὅσοι γαλῆν φοβοῦνται κτλ.*, cum Plutarchi libri *π. ψυχ.* Origeni noti fuerint (cf. *κ. Κέλσ.* V 57 p. 60, 8 seqq.; infra p. 98).

Nequaquam igitur traxit Hieronymus partem doctrinae suae ethnicae de nuptiis ex Origene, casuque putandus esset Hieronymus incidisse in memoriam loci *κ. Κέλσ.*, si de hierophanta locutus ab Origene penderet. nunc vero facile cogitatur alter aditus Hieronymi ad hierophantam cicuta castratum spreto Origene. multo probabilius videbitur, cumulum sermonis de nuptiis sumpsisse Hieronymum ex litteris ad hunc sermonem constituendum specialiter perlectis, quam eum paravisse ex recordatione fortuita scriptoris alibi in sermone suo non adhibiti. tenuit autem hierophanta Atheniensis aetate Hieronymi peculiarem sedem in scriptis neoplatonicis, quorum vestigia in Hieronymo indagare propositum mihi esse dudum scis.

quo in genere primum moneo, hierophantam alienum remansisse a tritis exemplis moralibus christianorum. quod exemplum quod ipse

Hieronymus item ut in libro *adv. Iovin.* etiam altero loco habet *epist.* 123, 8 p. 905 D seq. *hierophanta apud Athenas eiurat virum et aeterna debilitate fit castus*, epistula 123 scripta est demum post opus *adv. Iovin.*, quod laudatur in ea p. 906 B paulo post hierophantam memoratum, ne dubites, imitatione sui incidisse Hieronymum in hierophantam. ac praeter Hieronymum de hierophanta locuntur inter scriptores christianos nulli quidem latini, graecorum duo illi, qui spirant toti in philosophia antiqua, Hippolytus unus ex doxographis graecis et Origenes. opinor autem a Celso philosopho platonico — platonicum fuisse Celsum assentior Zellero, *D. Phil. d. Griech.* III³. 2 p. 231 seqq. —, adversus quem scripsit, Origenem hierophantam accepisse. sic ipsi christiani diligentius perpensi suadent, ut philosophorum platonicorum exemplum nobile hierophanta fuerit. quae res insuper approbatur Iuliano Caesare hierophantam celebrante orat. 5 (*εἰς τὴν μητέρα τῶν θεῶν*) p. 173 C seq.: *ὥσπερ ἐνταῦθα τὸ τῆς γενέσεως αἴτιον ἀποτέμνεται, οὕτω δὲ καὶ παρὰ Ἀθηναίοις οἱ τῶν ἀρρήτων ἁπτόμενοι παναγεῖς εἰσι, καὶ ὁ τούτων ἐξάρχων ἱεροφάντης ἀπέστραπται πᾶσαν τὴν γένεσιν, ὡς οὐ μετὸν αὐτῷ τῆς ἐπ' ἄπειρον προόδου, τῆς ὡρισμένης δὲ καὶ ἀεὶ μενούσης καὶ ἐν τῷ ἑνὶ συνεχομένης οὐσίας ἀκηράτου τε καὶ καθαρᾶς.*

eam igitur rem, quae locum proprium tuetur in scriptura et doctrina neoplatonica, ratio postulat, ut ad reliquas res neoplatonicas adiungamus, modo eae inventae sint in sermone ethnico Hieronymi. quodsi inter philosophos neoplatonicos Porphyrium supra nuncupavi sospitatorem fragmenti Theophrastei, nec non mox indicabo, Plutarchi memoriam in posteriore libro *adv. Iovin.* obviam ex Porphyrii opere *περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων* transiisse in Hieronymum, hierophantae exempli neoplatonici in cumulo libri I occurrentis cumque Plutarcheis sociati origo in aprico est. quamquam probe scio, ex eo, quod Iulianus Caesar profert hierophantam in oratione *εἰς τὴν μητ. τ. θ.*, omnino nil effici de ipso loco et libro, ubi Porphyrius hierophantam commemoraverit. nam Iulianus tantummodo in libris *κατὰ χριστιανῶν* Porphyrium exscripsit, alioquin atque etiam in oratione *εἰς τὴν μητ.* auctor eius principalis Iamblichus est (cf. I. Geffcken, *N. Jahrb.* t. XXI 1908 p. 161 seqq. et *Kaiser Iulianus*, Lps. 1914, p. 13 seqq., 159. C. Praechter, *Richtungen u. Schulen im Neuplatonismus, Genethliakon C. Robert* eqs., 1910, p. 118). quin se evolvisse Porphyrium in oratione *εἰς τὴν μητ. τ. θ.* Iulianus diserte denegat p. 161 C. atque discrepat reapse Porphyrius *περὶ ἀγαλμ.*

frg. 7 p. 10* Bidez (Euseb. εὐαγγ. προπαρασκ. III 11, 12 p. 110a seq.) in fabula Attidis ab Iuliano. attamen quae est cognatio in argumentis et materia scribendi inter Iamblichum et Porphyrium omninoque inter varios auctores sectae neoplatonicae, res a Celso et Iuliano tractata nequit abiudicari a Porphyrio sectae neoplatonicae auctore uberrimo. denique quominus ex Porphyrii opere quodam definiendo mihi accuratius huius libri c. V, repetam hierophantam Hieronymi, ne illud quidem obstat, quod *usque hodie* castrari hierophantas Atheniensium Hieronymus dicit. certe ratione eadem etiam multo magis prohibereris ponere usum Origenianum Hieronymi. nec vero curo, quomodo ex sermonibus et consuetudine cottidiana doctorum augere potuerit Hieronymus notitiam suam de hierophanta, in quem non nisi commonente Porphyrio incidit.[1])

Absolvi omnes locos prioris libri *adv. Iovin.*, ubi me iudice Porphyrius et Plutarchus intra singulas periodos iuncti occurrunt. devenio ad posteriorem librum *adv. Iovin.*, ubi orationis Hieronymianae de abstinentia ciborum fons gravissimus opus Porphyrianum περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων est, petiturus hinc quoque exemplum musivi illius generis scribendi, quod Hieronymum in priore libro exercuisse suspicor. tractabo autem locum II 13 p. 342 C seqq. pluribus numeris memorabilem meisque rationibus accommodatum. quo loco cum textus Hieronymi quasi Porphyrius latinus sit in epitomam redactus, tamen addidit Hieronymus ad textum Porphyrianum alias res, non sumptas ex hoc. praecipue autem locus ille est, quo Plutarchus a Porphyrio compilatus per hunc descendit in Hieronymum. verum quantum conferat exemplum meum posterioris libri ad illustrandum Hieronymum in

---

1) Romae aetate Hieronymi hierophantam Atheniensium in sermonibus fuisse probabile fit munere hierophantae Hecatae illa ipsa aetate sollemniter occurrentis inter sacra peregrina Romanorum, v. Wissowa, *Rel. u. Kultus d. R.*[2] p. 378. praecipue inspiciendus est titulus sepulcralis Agorii Praetextati et uxoris eius — Praetextatus anno 384 decessit Symmacho amico nobilis —: CIL. VI 1779 (*Carm. epigr.* 111) *Vettius Agorius Praetextatus augur, pontifex Vestae, pontifex Solis, quindecemuir, curialis Herculis, sacratus Libero et Eleusiniis, h i e r o p h a n t a . . . et Aconia Fabia Paulina c(larissima) f(emina) sacrata Cereri et Eleusiniis . . . h i e r o p h a n t r i a* eqs. — de sacerdotiis Praetextati cf. Iohanna Nistler, *Klio* X (1910) p. 472 seq. adn. 8. Hieronymus commemoravit Praetextatum *epist.* 23, 2 seq. p. 212 H. — de Atheniensium hierophanta in universum v. Rohde, *Psyche*[3] I p. 285 adn. 1.

priore libro fontes miscentem utentemque Plutarcho, ut manifestum fiat, necesse est ante omnia coniunctam proponere lectionem Hieronymi cum Porphyriana:

Hier. II 13 p. 342 C—E:

Dicaearchus in libris Antiquitatum et descriptione Graeciae refert sub Saturno, id est in aureo saeculo, cum omnia humus funderet, nullum comedisse carnes, sed universos vixisse frugibus et pomis, quae sponte terra gignebat. Persarum, id est Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat, polenta et cardamo et sale ac pane cibario eos asserens victitare.

Porphyr. περὶ ἀποχῆς ἐμψ. IV 2 p. 228, 24—229, 12 N.:

ὁ περιπατητικὸς Δικαίαρχος, ὃς τὸν ἀρχαῖον βίον τῆς Ἑλλάδος ἀφηγούμενος, τοὺς παλαιοὺς καὶ ἐγγὺς θεῶν φησι γεγονότας, βελτίστους τε ὄντας φύσει καὶ τὸν ἄριστον ἐζηκότας βίον, ὡς χρυσοῦν γένος νομίζεσθαι παραβαλλομένους πρὸς τοὺς νῦν, κιβδήλου καὶ φαυλοτάτης ὑπάρχοντας ὕλης, μηδὲν φονεύειν ἔμψυχον. ὃ δὴ καὶ τοὺς ποιητὰς παριστάντας χρυσοῦν μὲν ἐπονομάζειν γένος, 'ἐσθλὰ δὲ πάντα', λέγειν [*Hes. ἔργ. 116 seqq.*]: 'τοῖσιν ἔην· καρπὸν δ' ἔφερεν ζείδωρος ἄρουρα αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον· οἳ δ' ἐθελημοὶ ἥσυχοι ἔργ' ἐνέμοντο σὺν ἐσθλοῖσιν πολέεσσιν.' ἃ δὴ καὶ ἐξηγούμενος ὁ Δικαίαρχος τὸν ἐπὶ Κρόνου βίον τοιοῦτον εἶναι φησίν.

Lacedaemoniorum mensae frugalitatisque et suprascriptus Xenophon et Theophrastus et omnes paene scriptores Graeciae testes sunt. Chaeremon *eqs.*

Porph. ibid. 4 p. 233, 26—234, 2 N. = *Plutarch. Λυκοῦργ. c. 10 p. 89, 8—11 Sint.*: μέγα μὲν οὖν καὶ τοῦτο ἦν (*sc.* τὸ ἐπιθέσθαι τῇ τρυφῇ, *cf. Porph. ibid. p. 233, 14 seqq.* = *Plutarch. ibid. p. 88, 29 seqq.*: ἔτι δὲ μᾶλλον ἐπιθέσθαι τῇ τρυφῇ καὶ τὸν ζῆλον ἀφελέσθαι τοῦ πλούτου διανοηθεὶς τὸ τρίτον πολίτευμα . . . ἐπῆγεν, τὴν τῶν συσσιτίων κατασκευήν), μεῖζον δὲ τούτου (τούτου *om. Plut.*) τὸ τὸν πλοῦτον ἄζηλον, ὡς φησὶν Θεόφραστος, καὶ ἄπλουτον ἀπεργάσασθαι τῇ κοινότητι τῶν δείπνων καὶ τῇ περὶ τὴν δίαιταν εὐτελείᾳ.

Chaeremon stoicus, vir eloquentissimus, narrat de vita antiquorum Aegypti sacerdotum, quod omnibus mundi negotiis curisque postpositis semper in templo fuerint et rerum naturas causasque ac rationes siderum contemplati sint; *eqs.*

Porph. ibid. 6 p. 236, 11—16 N.: τὰ γοῦν κατὰ τοὺς Αἰγυπτίους ἱερέας Χαιρήμων ὁ στωικὸς ἀφηγούμενος, οὓς καὶ φιλοσόφους ὑπειλῆφθαι φησι παρ' Αἰγυπτίοις, ἐξηγεῖται, ὡς τόπον μὲν ἐξελέξαντο ἐμφιλοσοφῆσαι τὰ ἱερά. πρός τε γὰρ τὴν ὅλην ὄρεξιν τῆς θεωρίας συγγενὲς ἦν παρὰ τοῖς ἐκείνων ἀφιδρύμασι διαιτᾶσθαι, κτλ. — *ibid. p. 236, 24—237, 4*: ἀπειπάμενοι δὲ πᾶσαν τὴν ἄλλην ἐργασίαν καὶ πόνους (πόρους *vel* πορισμοὺς *Nauck*) ἀνθρωπίνους, ἀπέδοσαν ὅλον τὸν βίον τῇ τῶν θείων θεωρίᾳ καὶ θεάσει (θεραπείᾳ *Nauck*), διὰ μὲν ταύτης τό τε τίμιον καὶ ἀσφαλὲς καὶ εὐσεβὲς πορίζόμενοι, διὰ δὲ τῆς θεωρίας τὴν ἐπιστήμην, δι' ἀμφοῖν δὲ ἄσκησιν ἠθῶν κεκρυμμένην τινὰ καὶ ἀρχαιοπρεπῆ. τὸ γὰρ ἀεὶ συνεῖναι τῇ θείᾳ γνώσει καὶ ἐπιπνοίᾳ πάσης μὲν ἔξω τίθησιν πλεονεξίας, κτλ.

Quamquam hoc loco Hieronymus totus se applicat ad cursum operis Porphyriani, cuius libri IV capita 2, 4, 6 deinceps compilat, tamen saepius difficile est dicere, quam quaeque locutio Hieronymi locutionem Porphyrii spectet. nam suum iter progressus velut ex prato carpit Hieronymus flosculos Porphyrianos eosque libere iungit in contextum suae orationis. itaque diductis litteris significabam singulas locutiones vel voces Porphyrii, quas Hieronymus expressisset. qua in re id maxime verebar, ut iusto parcior essem. accidit enim illi, qui ante me in comparandis lectionibus Porphyrii et Hieronymi elaboravit, Luebeckio *Hier.* eqs. p. 27; 31 seq.; 71, ut quibus locis in universum pendere Hieronymum a Porphyrio animadverterat, nihilominus nonnulla praetermitteret. sicut p. 31 neglexit verbis Hieronymi p. 342 E *omnibus mundi negotiis curisque postpositis* apponere lectionem Porphyrii p. 236, 24 seq. ἀπειπάμενοι δὲ πᾶσαν τὴν ἄλλην ἐργασίαν καὶ πόνους ἀνθρωπίνους.[1]) verum etiamsi alius quis rursus hic illic dubitaturus sit, num unaquaeque Porphyrii locutio a me diductis litteris significata ab Hieronymo respecta sit, tamen summa res patet: Dicaearchi et Chaeremonis splendida nomina eclogaeque, item verbum de frugalitate Lacedaemoniorum eiusque rei auctor Theophrastus descenderunt ex Porphyrio in Hieronymum.

at verbum illud de vita Lacedaemonia et Theophrasti nomen cum ex Porphyrio Hieronymus transcripsisset, factum est ut reapse ex Plutarcho transcriberet ad verbum recepto a Porphyrio in contextum ipsius. et quamquam Hieronymus accelerans a Porphyrii capite 2 et Dicaearcho ad Chaeremonem capitis Porphyriani 6, brevissime tantum moratus est in Plutarcheis capitis 4, tamen Plutarchi vox εὐτέλεια a Porphyrio adhibita in vocabulum *frugalitatis* Hieronymi abiit, atque etiam Porphyrio intercedente *Theophrastus* testis Plutarcheus venit in Hieronymum. ergo praesto est exemplum posterioris libri, ex quo appareat, cur in priore libro intercedente Porphyrio usum Plutarcheum Hieronymi explicem.

Illo tamen ex exemplo posterioris libri ne talia efficiantur, qualia de prioris libri usu Plutarcheo non debeant effici, cavendum est. nam in posteriore libro nihil est, quod propter frustula illa parca Plu-

1) hoc loco Hieronymus ad constituendum textum Porphyrii momentum habet. codices enim Porphyrii praebent πόνους vel τόπους, Nauck recepit πόρους ed. pr., cum maluerit πορισμούς; at Hieronymus defendit πόνους.

tarchei *Λυκούργου* Hieronymum a Plutarcho in Porphyrio reperto processisse cogites ad inspiciendum Plutarchum ipsum. contra in priore libro suadeo, ut Hieronymus adductus sit a Porphyrio *γαμικῶν παραγγελμάτων* Plutarcheorum compilatore etiam ad lectionem *γαμ. παρ.* ipsorum. nam quae ordine inverso opusculi *γαμ. παρ.* inveniuntur in priore libro eclogae Plutarcheae, eae dispositae sunt ex more grammaticorum romanorum Hieronymo familiarium, cf. supra p. 74. atque totum genus excerpendorum auctorum, quod in prioris libri usu Plutarcheo deprehenditur, ubi Hieronymus currit per totum opus *γαμ. παρ.*, narratiunculas hinc illinc arreptas in textum novum consuens, alienum fere est a rationibus Porphyrii Plutarchum adhibentis. quibus rationibus Porphyrius Plutarchum adhibuerit, infra (sub 4) exponam persequens omnes eclogas Plutarcheas librorum *περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων*, cum nunc in ea una ecloga verser, ex qua Hieronymus memoriam Plutarcheam libri II *adv. Iovin.* prompsit.

Quodsi exemplum meum Plutarchi a Porphyrio suppeditati Hieronymo in l. II *adv. Iovin.* ea re differt ab usu Plutarcheo libri I, quod conflata sunt libri I Plutarchea ex duobus fontibus, ex Plutarcho ipso et ex eclogis Porphyrianis Plutarchi, commode accidit, ut in pagina hac ipsa posterioris libri, quam propter Plutarchum cum Porphyrio compositam in tabellam redegi, etiam Chaeremo stoicus occurat. nam Chaeremonea libri II *adv. Iovin.* consimiliter atque Plutarchea libri I constant ex ipso Plutarcho et ex Plutarcheis Porphyrii, conflata sunt ex Chaeremoneis Porphyrii et ex ipso Chaeremone. quam rem primus vidit Bernays, *Theophrastos' Schrift über Frömmigkeit* p. 150. quamquam tabellae locus, ubi Hieronymus Chaeremonem nominatim citavit II 13 p. 342 D, integer ex Porphyrio translatus est. at ille tantum initium est maioris memoriae Chaeremoneae de vita antiqua sacerdotum Aegyptiorum, quae apud Hieronymum excipiens Plutarchea pertinet usque ad finem fere capitis 13 p. 343 C. harum igitur lectionum Hieronymianarum Chaeremonis de sacerdotibus Aegyptiis longe pleraeque sane ipsae quoque repeti possunt ex ecloga Chaeremonea Porphyrii, verum una lectio apud Hieronymum ab omni parte certam originem Chaeremoneam prae se fert, at in ecloga Chaeremonea Porphyrii desideratur p. 343 B: *quid loquar, inquit, de volatilibus, cum ovum quoque pro carnibus vitaverint* (sacerdotes Aegyptii) *et lac? quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant colore*

mutato. quibus verbis, quae expresse adscripsit Hieronymus Chaeremoni interiecto *inquit*, nulla respondent in Porphyrio nisi haec IV 7 p. 238, 16 seqq.: *πτηνῶν δὲ* (*ἀπείχοντο*) *ὅσα σαρκοφάγα· πολλοὶ δὲ καθάπαξ τῶν ἐμψύχων· καὶ ἔν γε ταῖς ἁγνείαις ἅπαντες, ὁπότε μηδ' ᾠὸν προσίεντο.* unde verissime Bernays suspicatus est Hieronymum hoc loco incitatum esse a Porphyrio excerptore Chaeremonis ad opus ipsum Chaeremonis evolvendum, ex quo verbum illud dignum Chaeremone (cf. Bernays l. l.) de ovis et lacte petiverit.[1])

Deinde eandem curiositatem Hieronymi evolventis fontes fontium suorum lubet porro illustrare exemplo quodam remoto a coniectura quavis, etiamsi petitum id exemplum non sit ex opere *adv. Iovinianum.* vide modo, qua sedulitate Hieronymus in *chronico* Eusebiano retractando, cum in Tertulliani *apologeticum* apud Eusebium graece redditum incidisset, noluerit acquiescere in *apologetici* Tertullianei traditione Eusebiana, immo Tertullianum suum latinum evolverit (cf. Harnack, *Texte u. Unters.* VIII 1892 fasc. 4 *Die griech. Übers. d. Apologeticus Tert.* p. 26 seqq.)[2])

Ad summam duplicem fructum percepimus ex loco libri II in tabellam redacto et comparato cum Porphyrio. praeter quod Plutarchea ex Porphyrio fluxisse in opus *adv. Iovin.* vidimus, musivum illud genus operis Hieronymiani memoria Chaeremonea eius illustratum est. verum de alio auctore Hieronymi in tabella occurrente nondum loquebar, de Xenophonte bis citato ab Hieronymo. oportet tamen etiam de hoc auctore dicere, ut omnis ratio loci ex libro II electi manifesta sit. praeterea Xenophon inter Porphyriana brevi spatio bis obvius ipse quoque idoneus est quo demonstretur, quanta sollertia Hieronymus contaminationem fontium exercuerit.

duobus igitur locis Xenophonte auxit Hieronymus principalem fontem suum. quorum altero Xenophon victus parci Lacedaemoniorum testis additur Theophrasto repetendo ex Porphyrio, generaliter

1) de usu Chaeremoneo libri II *adv. Iovin.* cf. etiam appendicem.

2) cum Hieronymus indice libri alicuius inter legendum a se reperto delectatus erat, non desistebat quaerere, dum ipsum librum inspexisset, conferendus tota mole laborum suorum in hac re ut in aliis rebus (v. Ebert, *Allg. Gesch. d. Lit. d. Mittelalt.* I^2 p. 185) a nobis cum doctis Italicis litterarum renascentium; cf. *epist.* 64, 22, 3 p. 615, 11 H. *fertur in indice Septimi Tertulliani liber de Aaron vestibus qui interim usque ad hanc diem a me non est repertus.* — de bibliotheca Bethleemitica Hieronymi v. A. Ehrhardt, *Röm. Quartalsschr.* V (1891) p. 243 seqq.

tantum laudatus, ita ut dici nequeat, num certum Xenophontis locum, ut *Λακ. πολ.* 5, Hieronymus spectaverit. priore autem loco, ubi Xenophontem citavit, Hieronymus post Dicaearchum ex Porphyrio tractum attulit certum opus Xenophonteum, *Κύρου παιδ.* libros octo vitam Persicam enarrantes. atque verba quae in *Κύρου παιδ.* de victu Persarum legi dicit Hieronymus: *polenta et cardamo et sale ac pane cibario eos ... victitare*, ea referenda sunt ad *K. π.* I 2, 8 *φέρονται δὲ οἴκοθεν σῖτον μὲν ἄρτον, ὄψον δὲ κάρδαμον* ... et ibid. 11 *ὅταν κάρδαμον μόνον ἔχωσιν ἐπὶ τῷ σίτῳ ... πῶς μὲν ἡδὺ μᾶζα καὶ ἄρτος πεινῶντι φαγεῖν.* nec vero dubito Xenophontem et quidem eius opus *Κύρου παιδ.* trivisse manibus ipsum Hieronymum, qui id opus quinquies in variis scriptis attulit appellato titulo operis, semel praeterea ad Xenophontem simpliciter lectores relegavit in mente *Κύρου παιδ.* habens, cf. Luebeck, *Hier.* eqs. p. 24. quamquam de victu Persico testimonium Xenophonteum libri II *adv. Iovin.* sic memoriter Hieronymus intulit, ut discreparet a Xenophonte omittente *salem* in pulmentum a Persis versum. quomodo vero factum sit, ut Hieronymus auctoritate Xenophontis spreta *salem* iunxisset *cardamo,* Luebeck l. l. p. 25 se nescire confessus est, equidem probabo Hieronymum rursus ipsum Xenophontis verbum, quo Porphyrium contaminavit, contaminavisse ex tertio aliquo auctore, quem et ipsum ad sermonem de abstinentia ciborum condendum inspexerat. quid rei sit accipe.

Xenophontis verbum illud in multorum usum abiisse ex Cicerone intellegitur *Tusc.* V 99 *Persarum a Xenophonte victus exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam praeter nasturcium* et *de fin.* II 92 *sit voluptas non minor in nasturcio illo, quo vesci Persas esse solitos scribit Xenophon*; igitur ne apud Ciceronem quidem *sal* legitur. consentit Hieronymus tantum secum ipse *in Dan.* 7, 5 t. V p. 664 E Vall.: *rigidum enim et parcioris victus in morem Lacedaemoniorum regnum Persarum fuit, ita ut in pulmento s a l e uteretur et cardamo. legamus Cyri maioris infantiam.* commentarius *in Dan.* scriptus est post opus *adv. Iovin.*, quocirca *sal* illic iterum obvius nil offensionis habet, immo ex scriptoribus ad librum II *adv. Iovin.* et quidem ad sermonem eius saecularem de abstinentia ciborum conficiendum ab Hieronymo evolutis *salis* commemoratio explicanda est. parvo autem spatio seiunctus a Xenophonte laudato c. 13 p. 342 D Philo Iudaeus citatur

ab Hieronymo c. 14 p. 343 D in descriptione vitae Essaeorum, quo loco librum περὶ βίου θεωρητικοῦ Philonis respicit (cf. appendicem). atque Philo insignis est *sale* praedicato pulmento hominum frugalium, cf. l. l. c. 4 p. 477 Mangey (74 Conybeare) σιτοῦνται δὲ πολυτελὲς οὐδέν, ἀλλὰ ἄρτον εὐτελῆ καὶ ὄψον ἅλες et c. 10 p. 484 M. (125 Conyb.) ἐπὶ γὰρ ταύτης (τραπέζης) εἰσὶν ἄρτοι καὶ ἅλες ἄνευ ἡδυσμάτων.[1]) ergo in aperto est, Hieronymum vel invitum fontes suos contaminavisse lapsum memoria, cum textum oriundum ex lectione auctorum variorum avide haustorum uno impetu dictaret.

4

Revertor ad Plutarchum; nam suasio mea de Porphyrio Hieronymum ad Plutarchi γαμ. παρ. adducente nondum ad finem pervenit. quamquam spero te, postquam librum II *adv. Iovin.* mecum inspexisti, accepturum esse propensiore animo Porphyrium in numero fontium libri I a me habitum. sed metuo, ne quis mihi obiciat, me conquisivisse subtilius quam verius vestigia Porphyriana in lectionibus Plutarcheis prioris libri, transferentem nimis audacter probatum auctorem posterioris libri in priorem. itaque missas fac interim, quas haud scio an lubricas voces conclusiunculas haerentes in similitudinibus neoplatonicis prioris libri, in hierophanta Atheniensium (cf. p. 82) vel in Theanone (cf. p. 76). qui sobrius appellari mavis quam subtilis, agesis pone mecum tibi ante oculos universa studia vitamque totam Hieronymi et responde mihi, quae sint studia et vita eius, quomodo tu iudicas eum incidisse in Plutarchum? versatus est Hieronymus plurimum in ecclesiasticis latinis; noscebat graecos rhetores christianos tunc maxime in oriente florentes, quorum Gregorium Nazianzenum in ipso opere *adv. Iovin.* I 13 p. 260 B *praeceptorem* suum dixit laudato carmine eius quod inscribitur παρθενίης ἔπαινος (patr. gr. t. 37 p. 521/2 seqq. Migne); quamcumque scientiam nobilem rerum antiquarum graecarum et philosophiae graecae commentarii Hieronymi in Scripturam offerunt, eius longe plurimam partem deberi

1) una cum cardamo salem refert inter pulmenta item ut Hieronymus Ps.-Diog. *epist.* 37, 4 p. 252 Hercher τροφαὶ δὲ ἄρτος καὶ ὄψον ἅλες ἢ κάρδαμον. cf. Wendland, *Philo u. d. k.-st. Diatribe* (*Beiträge* eqs. Berol. 1895) p. 9. — vitandum esse nimium salis usum in vita ascetica monet Ps.-Basilius περὶ τῆς ἐν παρθ. ἀληθοῦς ἀφθορίας 9 p. 625 t. 30 p. 685 D seq. Migne.

aut christianis auctoribus scholae Alexandrinae catecheticae aut Porphyrio neoplatonicorum capiti doctissimo res nota est. quocirca cum Plutarcho quid fuerit Romanorum litteris ecclesiasticis obortis ante Hieronymum, primum videndum erit; deinde de imitatione Plutarchea apud Graecos a patribus ecclesiae rhetoricis quarti saeculi exercitata verba fient; denique quas partes in memoria Plutarchi propaganda et servanda Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius tenuerint, breviter indicandum est; postremo usum Porphyrianum Plutarchi exemplis illustrabo, ut appareat, quis tandem auctor inter auctores sollemnes Hieronymi facillime putandus sit provocasse Hieronymum ad lectionem Plutarchi.

Parca sane invenitur ante Hieronymum memoria Plutarchea in Romanorum litteris ecclesiasticis. quorum Tertullianus, quo nullus scriptor latinus ecclesiasticus plus adiuvit studia Hieronymi, ne memoravit quidem Plutarchum. Minucius Felix, Cyprianus, alii item Plutarchum non norunt. in Lactantii indice auctorum ed. Vind. Brandtii p. 263 duo Plutarchi loci citantur, quamquam nomen Plutarchi in textu Lactantii non legitur. primum ad placitum quoddam stoicorum de utilitate animalium quamvis vilium et primo visu molestorum, obvium in Lactantii libro *de ira dei* c. 13, 10 seqq. adnotavit Brandt Plutarchei operis *περὶ Στωικῶν ἐναντιωμάτων* locum Chrysippeum similis fere sententiae c. 21 p. 1044 D. deinde apopthegma aliquod Platonis a Lactantio bis citatum, et *de opif. dei* 3, 19, et pleniore ambitu *div. inst.* III 19, 17 *non dissimile Platonis illut est, quod aiebat 'se gratias agere naturae: primum quod homo natus esset potius quam mutum animal, deinde quod mas potius quam femina, quod Graecus quam barbarus, postremo quod Atheniensis et quod temporibus Socratis'* Brandtius monuit recurrere in Plutarchei *Μαρίου* c. 46; atque lubet verba Plutarchi, ut computes, quantum a Lactantio distent, exscribere: *Πλάτων μὲν οὖν ἤδη πρὸς τῷ τελευτᾶν γενόμενος ὕμνει τὸν αὑτοῦ δαίμονα καὶ τὴν τύχην, ὅτι πρῶτον μὲν ἄνθρωπος, εἶτα Ἕλλην, οὐ βάρβαρος οὐδὲ ἄλογον τῇ φύσει θηρίον γένοιτο, πρὸς δὲ τούτοις, ὅτι τοῖς Σωκράτους χρόνοις ἀπήντησεν ἡ γένεσις αὐτοῦ.* incertus igitur ad summam remanet usus Plutarcheus Lactantii; multo planior res est in Arnobio, qui praeter Lactantium unicus reperitur inter ecclesiasticos latinos ante Hieronymum scribentes, cuius de lectione Plutarchea iusto iure deliberandum sit. utique optime meruit Arnobius de memoria Plutarchi,

quamquam eum uno tantum loco citavit, neque in Hieronymum ad Plutarchum adducendum quid valuisse hanc solitariam Arnobii commemorationem Plutarchi probabile est: *adv. nat.* IV 25 p. 162, 11 seqq., Vind.: *Chaeroneus*[1]) *Plutarchus nostrarum esse partium comprobatur, qui in Oetaeis verticibus Herculem post morborum comitialium ruinas dissolutum in cinerem prodidit?* atque referendus est hic locus Arnobii ad opus Plutarchi nobis deperditum, *῾Ηρακλ. βίον*, cuius praeter Arnobium testes sunt Plutarchus ipse *Θησ.* c. 29, deinde Gellius *noct. Att.* I 1 et Lampriae qui fertur index librorum Plutarchi quarto saeculo ortus (cf. ed. Plut. mor. Bernard. t. VII p. 473 n. 34). eo autem animo relegavit Arnobius lectores ad Plutarchi *῾Ηρακλ.*, ut inde caperent documenta naturae humanae deorum gentilium, afferens mortalitatem Herculis inter multa exempla deorum mortalium, qualia apologetae christiani sollemniter collegerunt. de Hercule combusto apologetarum exemplo cf. Geffcken, *Zwei griechische Apologeten* (1907) p. 70 seq. et 225. ceterum fieri nequit, ut hoc loco in fontes Arnobii disceptandos descendam aut diiudicem, utrum Arnobius ipse Plutarchum legerit, an notitiam *῾Ηρακλ.* Plutarchei ex fonte secundario acceperit. nempe cavebo, ne temere Arnobio familiaritatem interiorem aliquam cum Plutarcho fuisse denegem, qui Platonem ipse inspexit (cf. Geffcken, l. l. p. 287 adn. 3), qui Clementem Alexandrinum compilavit, denique magna ex parte pendet a scriptore neoplatonico, Cornelio Labeone (cf. Fred. Niggetiet, *de Cornelio Labeone*, diss. Monast. 1908), quem quasi Porphyrium quendam latinum suo iure dixit Wissowa, *Realencycl.* t. IV p. 1352.[2]) casu igitur id factum non est, ut inter tot scriptores ecclesiasticos latinos ante Hieronymum scribentes nullus Plutarchum citaret, nisi qui similiter atque Hieronymus plurima imbiberat neoplatonica, rursusque Arnobio Plutarchus notus commendat quodammodo ea, quae de Hieronymo a neoplatonicorum Porphyrio notitiam *γαμ. παρ* mutuante coniecto.

1) *Chaeroneus* emendata lectio est ed. princ. Sabaei, *heronymus* cod. Par. habet, ex quo Reifferscheid in ed. Vind. *Hieronymus* fecit post hoc nomen lacuna statuta. de collocatione vocabulorum *Chaeroneus Plutarchus* cf. e. g. Arnob. *adv. nat.* IV 29 p. 165, 15 V. *Pellaeo Leonte vel Cyrenensi Theodoro*. Orig. *κ. Κέλσ.* V 57 p. 60, 11 K. *παρὰ τῷ Χαιρωνεῖ Πλουτάρχῳ*. Euseb. *εὐαγγ. προπ.* III 1 p 82 d *τοῦ Χαιρωνέως Πλουτάρχου.*

2) de aetate Labeonis et de usu Arnobiano eius pertinax disceptatio doctorum est; cf. B. Boehm, *de Corn. L. aetate* (diss. Regim. 1913), Geffcken, *Kaiser Iulianus* (1914) p. 160.

Antequam a latinorum ecclesiasticorum usu Plutarcheo ad Gregorium Nazianzenum et rhetores christianos transeam, necesse est breviter a me memorari etiam quae saeculis plurimis post Hieronymum in litteris ecclesiasticis latinis medii aevi occurrit, memoriam Plutarcheam *Ioannis Saresberiensis.* instat enim ratio certa, cur ad famosam illam *institutionem Traiani* hoc loco accedam, cuius reliquiae sermone latino Ioannis Saresberiensis traditae feruntur inter fragmenta Plutarchi (cf. Wyttenbach p. 905 seqq. Oxon., Bernard. t. VII p. 183 seqq.). nam si quis genuina subesse sibi persuaserit frusta Plutarchea libello illi Ioannis oriunda ex scriptura deperdita Plutarchi, is ea facile putabit iam ante aetatem Hieronymi transmigrasse in sermonem latinum inque opus quodlibet christianum hodie amissum auctoris nobis quidem ignoti Ioannis Saresberiensis, quandoquidem magna clades operum Plutarcheorum statim ex saeculo quarto exeunte coepta est fieri (cf. Mewaldt, *Maximus Planudes u. die Textgesch. der Biographien Plutarchs, Sitz.-Ber. d. Akad. z. Berlin* 1906 p. 825). occurrendum igitur mihi est, ne recedas a Wyttenbachii sententia de origine illius *institutionis Traiani* exposita *Plut. mor.* ed. Oxon (1795) praef. p. 69; qui posterioris Graeculi opusculum *institutionem* habuit consarcinatum ex Ἀποφθ. βασ. κ. στρατ. et aliis scriptis corporis Plutarchei conversumque latine aevo recenti. contra quam sententiam frustra pugnant Schaarschmidt, *Ioh. Saresb.* (1862) p. 123 adn. 5 et Hirzel, *Plutarch* (1912) p. 96 seq., qui *institutionem* latine scriptam esse a principio et quidem ab homine christiano medii aevi existimant. quod etsi ne hi quidem originem opusculi a litteris ecclesiasticis latinis ante Hieronymum natis repetunt, tamen quid probandum sit de *institutione,* breviter exponendum est.

procul dubio autem imitatio Ἀποφθ. βασ. κ. στρατ. aliorumque scriptorum corporis Plutarchei melius cum Wyttenbachio explicatur auctore graeco medii aevi quam latino antiquitatis exeuntis. nam hominum litteratorum Byzantinorum nemo non versabatur in Plutarcho (cf. Hirzel l. l. p. 100). simul tamen sic statuendum est de interprete latino opusculi, ut is non tantum functus sit munere interpretis, sed etiam additamentis textum graecum sibi traditum interpolaverit. velut Vergilii locus amplissimus *georg.* IV 3 seqq. illatus ab Ioanne *policrat.* VI 21 p. 619 D Migne verbis *poetarum doctissimus Maro, ad quem Plutarchus suum destinat Traianum, ut civilem vitam ab apibus mutuetur,*

profectus est ab interpolatore latino; nec curo Byzantinorum studia Vergiliana, quamquam fuere hominum in litteris latinis eruditorum (cf. M. Treu, *Byzant. Zeitschr.* V 1896 p. 558 seq.). ceterum ad huius *institutionis* apud occidentales saeculo XII occurrentis naturam recte intellegendam plurimum iuvat reminisci, quot Graecorum veterum atque etiam Byzantinorum libri aevo Ioannis Saresberiensis medio saeculo XII latine conversi sint. nova interpretatio scriptorum logicorum Aristotelis suppetivit Ioanni parata ex sermone graeco, arabicis interpretibus non intercedentibus (cf. Schaarschmidt l. l. p. 121 seq.). Laertium Diogenem iisdem temporibus interpretatus est Euericus Aristippus, archidiaconus Cataniensis, Dionysium Areopagitam Ioannes Sarracenus (cf. Webb, Ioann. Sar. *policrat.*, t. I proleg. p. XXVIII seq.). atque de interpretibus litterarum graecarum Siciliensibus saeculi XII nuper docte egerunt Charles H. Haskins et Dean Putnam Lockwood, *Harvard studies in class. philol.* t. XXI (1910) p. 75 seqq. *the Sicilian translators of the twelfth century and The first latin version of Ptolemy's Almagest.* praeter nobilia autem ac gravia scripta veterum Graecorum etiam opuscula vilia et futtilissima Byzantinis adamata a doctis occidentalibus saec. XII recepta sunt. quae inter vilia opuscula Graeculorum latine tunc reddita numero verbi causa Secundi vitam, philosophi taciturni (v. Orelli, *Opusc. Graec. vet. sentent. et mor.* t. I, 1819, p. 208/213) conversam latine aetate Ioannis Saresberiensis a Willelmo Medico, abbate monasterii Dionysiani in Francogallia (cf. Hilka, *Das Leben u. die Sentenzen des Philos. S. d. Schweigs.* eqs., *88. Jahresb. der Schles. Ges.* eqs.). atque idem Willelmus Medicus ex itinere quodam Constantinopolitano libros graecos advexit in Francogalliam (cf. Weyman, *Berl. Philol. Wochenschr.* XXXI, 1911, p. 1097); hinc igitur item ut ex Apulia, quam in regionem Italiae iter bis fecerat ipse Ioannes Saresberiensis (cf. Schaarschmidt p. 31 et 112 seq.; Webb p. XXI seq.), manavit ad Carnotenses scientia librorum graecorum. iam vero Secundi vitam illam — cuius de condicione cf. Bachmann, *Philol.* XLVI (1888) p. 386 et Zeller, *Die Phil. der Gr.* III 2^4 p. 125 adn. 2 — compono meo Marte cum *institutione Traiani*; ut huic cum Traiano Caesare, ita Secundi vitae cum Hadriano res est. praeterea vile opus recentioris originis Byzantinorum latine conversum est aetate Ioannis Saresberiensis Achmetis opusculum *de somniis et oraculis* saeculo nono exortum; quod sub imperatore Manuele I regnante inde ab a. 1143 usque ad a. 1180 latine reddidit Leo

Tuscus, imperialium epistularum interpres (v. Drexl, *Achmets Traumbuch* eqs., diss. Monac. 1909). quibus exemplis apparet, consimilia initia fuisse litterarum Byzantinarum a monachis et clericis latinis in occidente medio aevo saec. XII receptarum, atque initia facta erant litterarum graecarum olim receptarum in Italia prisca a Romanis antiquissimis: qui una cum auctoribus vetustis et nobilibus foetida Graecorum scripta et recentissima voraverant; velut quae illo aevo apud Siculos pervulgata erant *heduphagetica*, talia. ergo flocci facienda est eruentibus, quae fuerit memoria Plutarchi temporibus Hieronymi apud ecclesiasticos latinos, *institutio Traiani* Ioannis Saresberiensis, quae insuper apud illum sic contexta legitur cum fontibus latinis, ut saepius singulas eius partes a reliquo sermone Ioannis pure resolvi posse desperandum sit.

A latinorum patrum memoria Plutarchi lepidissime ducit nos ad Gregorium Nazianzenum et graecos patres Plutarchi amantes rhetoricos Tyrannius Rufinus, interpres latinus orationum Gregorii Nazianzeni novem. nam refertur Plutarchus inter Rufini auctores propter proverbium in eo obvium *apol.* 13 p. 16, 11 seqq. Vind.: *vel certe ne accidat nobis res usitati proverbii, ut, qui ad alios curandos praesumus, inveniamur ipsi scatentes ulceribus*, cf. Greg. Naz. t. 35 p. 424 A Migne (p. 18 Maur.) *ἢ τῆς παροιμίας μὴ πόρρω θέωμεν, ἄλλους ἰατρεύειν ἐπιχειροῦντες αὐτοὶ βρύοντες ἕλκεσι.* quod proverbium exortum est ex versu Euripideo fabulae incertae, Eur. frg. 1086 N.[2] a Plutarcho praecipue tradito quattuor quidem locis: *πῶς ἄν τις διακρίνειε κτλ.* 13 p. 71 F, *πῶς ἄν τις ἀπ' ἐχθρῶν ὠφ.* 4 p. 88 D, *περὶ φιλαδελφ.* 6 p. 481 A, *πρὸς Κωλ.* 8 p. 1110 E: *ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσιν βρύων.* cum igitur Plutarchus tam saepe hunc versum proverbialem in ore habeat, cuius praeter Plutarchum testes nulli sunt nisi Galenus *ὑγιειν.* V 1 t. VI p. 307 Kuehn et recentiores ut Suidas s. v. *Εὐριπίδειον ἔπος* t. I fasc. 2 p. 638 Bernh., Eustathius *εἰς τ. Ἰλ.* p. 887, 5 ed. Rom., Flor. Monac. 142 t. IV p. 277 ed. Stob. Meineke, alienum non est, Gregorianum usum eius versus ex lectione Gregorii Plutarchea repetere.[1]) nempe in hoc quoque Plutarchus et Gregorius consentiunt, quod uterque versum adhibens nomen Euripidis auctoris reticet, cuius notitia Suidae uni de-

---

1) inter latinos praeter Rufinum habet hanc proverbialem sententiam pendens a Cappadociis Ambrosius *vid.* 10, 60 p. 201 Ben. (16, 252 C Migne) *neque . . . dum alienis medemur ulceribus, ulcera nostra cumulemus.*

betur. ideo autem potissimum fundamento firmo nititur in Rufino sive Gregorio origo Plutarchea versus Euripidei, quia haec similitudo Gregorii cum Plutarcho una ex plurimis est similitudinibus Plutarcheis patrum rhetorissantium Cappadociorum quarti saeculi. quales similitudines qui collegerint, nominavit multos Hirzel, *Plutarch* p. 83 seqq.; nimirum fata universa Plutarchi crescentis laude posterorum cum Hirzel libello suo de Plutarcho adumbraverit, patres Cappadocios probe absolvit, aliis neglegentius spectatis, ut Hieronymi usus *γαμικῶν παραγγελμάτων* eum fugit. post Hirzelium similitudines Plutarcheas Basilii, Gregoriorum Nazianzeni et Nysseni adnotavit K. Gronau, *Poseidonios u. d. jüd.-chr. Genesisexegese* (1914) p. 53 adn. 2; 71, 2; 72, 1; 118, 2; 288. atque etiam *γαμικὰ παραγγέλματα* Plutarchi patres Cappadocii legisse videntur; velut A. Dirking, *S. Basilii Magni de div. et paup. sententiae* eqs. (diss. Monast. 1911) p. 10 confert Basilium ὁμ. XXI p. 164 (t. 31 p. 541 C Migne): *μηδὲ εἰ σωμάτων κάλλη προτείνοιτο, παρὰ πονηρῶν ψυχῶν ἐνοικούμενα* cum *γαμ. παρ.* 25 p. 141 D *τοὺς δὲ καλοὺς μὴ καταισχύνειν τῇ κακίᾳ τὸ εἶδος*; praeterea, quae Plutarchus sub calce *γαμ. παρ.* 48 p. 145 E seq. dicit de virtute pro auro et margaritis locum sibi vindicante ornamentorum muliebrium *τὰ δὲ Θεανοῦς κόσμια . . . ταῦτα δ' ἔξεστι περικειμένην προῖκα καὶ κοσμουμένην αὐτοῖς, ἐνδόξως ἅμα βιοῦν καὶ μακαρίως*, huius fortasse sententiae commonebunt verba Gregorii Nazianzeni carm. *κατὰ γυν. καλλωπ.* v. 265 p. 578 Maur. *ὁ τρόπος ἐστὶ γυναιξὶ τὸ τίμιον κτλ.*, carm. *παραιν. πρὸς Ὀλυμ.* v. 3 seq. p. 1064 Maur. *οὐ χρυσὸς . . . κόσμος θηλυτέρῃσιν.*[1])

maxime autem meruit de eruenda imitatione Plutarchea patrum Cappadociorum Pohlenz, qui Basilium certa ratione evicit *Zeitschr. f. wissensch. Theol.* t. XLVIII (1905), *Philosophische Nachklänge in altchristlichen Predigten* p. 79 seqq., tam in homilia *περὶ εὐχαριστίας* p. 24 seqq. (31, 217 B seqq. Migne) quam in ea, quae inscripta *εἰς τὴν μάρτυρα Ἰουλίτταν* p. 33 seqq. (31, 237 A seqq.) postero die, quam homilia *π. εὐχ.* erat acta, a Basilio habita est et ipsa quoque in gratiarum actione versatur, opiniones aliquot et verba multa ex Plutarchi

1) locus tamen communis multarum litterarum est, velut cf. etiam Vulg. *I Petr.* 3, 3 seq. *I Tim.* 2, 9. item vide Ioann. Chrys. *περὶ παρθενίας* 63 t. 48, 581 Migne *οὐ γὰρ λίθοι καὶ χρυσὸς . . . κοσμεῖ τὰς ψυχάς, ἀλλ' ἀντὶ τούτων . . . ἀνδρεία, ταπεινοφροσύνη, καρτερία.* Ambr. *exhort. virg.* 10, 68 p. 295 Ben. (16, 372 A Migne) *sive vir sive mulier . . . animae sequatur, non corporis pulchritudinem.*

libro *περὶ εὐθυμίας* transcripsisse. quem librum Plutarcheum habebat etiam in aliis scriptis Basilius ante oculos, ut Pohlenz probavit l. l. p. 84 et 90 seq.; qui praeter Cappadociorum Basilium Ioannem quoque Chrysostomum eodem libro Plutarchi usum esse docuit ibid. p. 91 seq.; denique merito pugnavit *Berl. Philol. Wochenschr.* t. XXXI (1911) p. 181 seq. contra Georgium Buettner, *Basileios d. Gr. Mahnworte an die Jugend* (diss. Wirzeb. 1908) p. 67 seqq. detrahere ausum Basilio in libro *πρὸς τοὺς νέους, ὅπως ἂν ἐξ Ἑλλ. ὠφ. λόγ.* imitationem Plutarcheam investigationibus aliorum (cf. Buettner p. 67) etiam ante Pohlenzium apertam.

sed tamen usus Plutarcheus patrum Cappadociorum eius condicionis est, ut vix valuerit quid ad Hieronymum excitandum in lectionem Plutarchi. primum rhetores isti ecclesiastici, quae est eorum ars et indoles scribendi, neque Plutarchi nomen, neque titulos scriptorum ullo loco produnt (v. Hirzel, *Plutarch* p. 85; Pohlenz, *Zeitschr. f. w. Theol.* XLVIII p. 78 seq. et 94). latet igitur, quomodo Hieronymum familiaritas cum scriptis Cappadociorum ad Plutarchum agere potuerit. deinde exemplis quibusdam illustrabo usum Plutarcheum patrum Cappadociorum electis de locis illis, quibus Basilium Pohlenzius vidit maxime accedere ad Plutarchum. sic optime perspiciemus, quanto modestiores fuerint rationes christianorum rhetorum Plutarchum adhibentium quam Porphyrii rationes fuerunt compilandi Plutarchi infra exsequendae. appono igitur locos duos a Pohlenzio enotatos l. l. p. 85 et 90 libri Plutarchei *περὶ εὐθυμίας*, quorum alterum locum Basilius imitatus est in homilia *περὶ εὐχαριστίας*, alterum in homilia *κατὰ ὀργιζομένων*:

Plut. π. εὐθ. c. 8 p. 469 A seq.:

νῦν δὲ τὰς μὲν ὄψεις ὑπὸ τῶν ἄγαν λαμπρῶν τιτρωσκομένας ἀποστρέφοντες, ταῖς ἀνθηραῖς καὶ ποώδεσι χρόαις παρηγοροῦμεν· τὴν δὲ διάνοιαν ἐντείνομεν εἰς τὰ λυπηρὰ καὶ προσβιαζόμεθα τοῖς τῶν ἀνιαρῶν ἐνδιατρίβειν ἀναλογισμοῖς, μονονοὺ βίᾳ τῶν βελτιόνων ἀποσπάσαντες.

Bas. π. εὐχ. c. 7 p. 32 (236 B):

ὥσπερ γὰρ οἱ ἀσθενεῖς τὰ ὄμματα, τῶν ἄγαν λαμπρῶν τὰς ὄψεις ἀπάγοντες, ἐν ἄνθεσι καὶ πόαις προσαναπαύουσιν· οὕτω χρὴ καὶ τὴν ψυχὴν μὴ συνεχῶς καταβλέπειν τὸ λυπηρὸν μηδὲ τοῖς παροῦσιν ἀνιαροῖς προσκεῖσθαι, ἀλλὰ πρὸς τὴν θεωρίαν τῶν ὄντως ἀγαθῶν περιάγειν αὐτῆς τὸ ὄμμα.

Plut. ibid. c. 1 p. 465 C:

ὡς γὰρ οἱ χαλεποὶ κύνες πρὸς πᾶσαν ἐκταραττόμενοι βοὴν ὑπὸ μόνης

Bas. κ. ὀργ. c. 5 p. 88 (365 C):

πρὸς ὅπερ μάλιστα χρήσιμος ὁ θυμός, ἐπειδὰν οἷον κύων ποιμένι, οὕτως ὁ

καταπραΰνονται τῆς συνήθους, οὕτω καὶ τὰ πάθη τὰ τῆς ψυχῆς διαγριαινόμενα καταπαῦσαι ῥαδίως οὐκ ἔστιν, ἂν μὴ λόγοι παρόντες οἰκεῖοι καὶ συνήθεις ἐπιλαμβάνωνται τῶν ταραττομένων.

θυμὸς τῷ λογισμῷ παρεπόμενος, πρᾶος μένῃ καὶ χειροήθης τοῖς ὠφελοῦσι, καὶ εὐανάκλητος τῷ λογισμῷ, πρὸς μὲν τὴν ἀλλοτρίαν καὶ φωνὴν καὶ ὄψιν ἐξαγριούμενος, κἂν θεραπείαν ἔχειν δοκῇ, τοῦ δὲ συνήθους αὐτῷ καὶ φίλον ἐμβοήσαντος ὑποπτήσσων.

Ab huiusmodi imitatione Plutarchi, qua nulla gravior adhuc retecta est in scriptis Cappadociorum, aliquantum discrepat usus Plutarcheus Clementis Alexandrini et aliorum auctorum scholae Alexandrinae catecheticae. et Clemens quidem, cum Cappadocii flosculos praecipue et imagines nec non locos communes, ethicae philosophiae adminicula, mutuati sint a Plutarcho, id egit, ut cognitionem suam rerum, qua inter christianos excellit, etiam ex Plutarcho augeret. velut *στρωμ.* I 2 (23, 1) p. 15, 10 seqq. Staehl. versus Solonis ex Plutarchi *Σόλ.* 30 petivit. omnes autem eclogas et similitudines Plutarcheas Clementis, quotcumque adhuc apparuerunt, in unum congestas invenis apud Gabrielsson, *Über die Quellen des Cl. Al.* t. I (1906) p. 252 et t. II (1909) p. 345 seqq. ac quanta fuerit familiaritas Clementi cum scriptis Plutarchi, haud scio an singulariter pateat ex *στρωμ.* l. I capite 15, ubi praeter alia Clemens tractavit Sibyllam, Numam Romanorum regem pro Pythagorae discipulo habitum[1]), philosophos prophetas sacerdotes variarum gentium. quo in capite libros tres Plutarchi Clemens luculenter compilavit. primum de Sibylla locutus fere ad verbum transcripsit inde a p. 44, 12 usque ad p. 45, 11 Staehl. sententias Plutarcheas haustas ex libri *περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμ. νῦν τὴν Πυθ.* capitibus 6 7 9 (pp. 397 A. C. 398 CD). qui deinceps Sibyllam excipit apud Clementem locus de Numa rege decurrens inde a p. 45, 12 usque ad v. 18, petitus est ex Plutarchei *Νομᾶ* 8. tunc sane interiecit Clemens inde a p. 45, 19 usque ad p. 46, 10 alios fontes. sed tertium evolvit Plutarchum, recepit inde a p. 46, 10 usque ad v. 14 sermonem de sacris Germanorum mulieribus *Καίσ.* 19. atque hunc locum exscribo, ut rationis, qua invertit Clemens Plutarchum, exemplum praesto sit:

1) de ortu et auctoritate huius fabulae cf. A. Schmekel, *de Ovidiana Pythagoreae doctrinae adumbratione* (diss. Gryph. 1885) p. 1 seq., Guilelm. Buchmann, *de Numae regis rom. fabula* (diss. Lips. 1912) p. 34 seqq.

Plut. Καίσ. 19:

ἔτι δὲ μᾶλλον αὐτοὺς ἤμβλυνε τὰ μαντεύματα τῶν ἱερῶν γυναικῶν, αἳ ποταμῶν δίναις προσβλέπουσαι καὶ ῥευμάτων ἑλιγμοῖς καὶ ψόφοις τεκμαιρόμεναι προεθέσπιζον, οὐκ ἐῶσαι μάχην τίθεσθαι πρὶν ἐπιλάμψαι νέαν σηλήνην.

Clem. στρ. I 15 (72, 3) p. 46, 10—14:

εἰσὶ δὲ καὶ παρὰ Γερμανοῖς αἱ ἱεραὶ καλούμεναι γυναῖκες, αἳ ποταμῶν δίναις προσβλέπουσαι καὶ ῥευμάτων ἑλιγμοῖς καὶ ψόφοις τεκμαίρονται καὶ προθεσπίζουσι τὰ μέλλοντα. αὗται γοῦν οὐκ εἴασαν αὐτοὺς τὴν μάχην θέσθαι πρὸς Καίσαρα πρὶν ἐπιλάμψαι σελήνην τὴν νέαν.

Hic, quem exscripsi locum, trium Plutarcheorum capitis 15 brevissimus est; evolve reliquos, stupebis, quantopere consentiat Plutarchus cum Clemente. atque manifestum est, Clementem manibus ipsum trivisse libros Plutarchi, neque quicquam tribuendum Gabrielssonio passim in opere illo de fontibus Clementis eclogas Clementinas Plutarchi ex auctore intermedio ortum trahere dicenti (cf. Staehlin, *Berl. Phil. Woch.* t. XXVIII, 1908, p. 394 et t. XXXI, 1911, p. 609). omnino catechistae docti scholae Alexandrinae etiam maius momentum habuerunt ad Plutarchi memoriam sustentandam et vulgandam quam patres rhetorissantes Cappadocii, quibuscum tamen Clemens una re peculiariter congruit: Clemens quoque nomen Plutarchi constanter tacet. ergo ne Clementis quidem quomodo lectio possit quid valuisse ad Hieronymum impellendum in studium Plutarchi, facile intellegitur.[1])

At Origenes nominatim Plutarchum citavit uno quidem loco scripturae servatae *κατὰ Κέλσ.* V 57 p. 60, 8 seqq. Koetsch. *τοιαῦτα (παράδοξα πράγματα) δ' ἀνέγνωμεν παρὰ τῷ Σολεῖ Χρυσίππῳ, τινὰ δὲ παρὰ Πυθαγόρᾳ, ἤδη δὲ καὶ παρά τισι τῶν νεωτέρων καὶ χθὲς καὶ πρώην γεγενημένων, ὥσπερ παρὰ τῷ Χαιρωνεῖ Πλουτάρχῳ ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς καὶ τῷ Πυθαγορείῳ Νουμηνίῳ ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ ἀφθαρσίας ψυχῆς.* quo loco Origenes prodit, se legisse Plutarchi *περὶ ψυχῆς* libros nobis non iam suppetentes, de quibus v. Volkmann,

1) de lectione Clementina Hieronymi constat. Clementis *στρωμ.* I 21 (126, 1 seqq.) p. 78, 26 seqq. Staehl. adhibuit *in Dan.* 9, 24 p. 690 E seqq. *Clemens vir eruditissimus, presbyter Alexandrinae ecclesiae* eqs. quod moneo, quia Gruetzmacher, *Hier.* eqs. t. III p. 166 falso hunc locum Hieronymi ad Clementis perditum opus *περὶ τοῦ Πάσχα* rettulit, neque Staehlin in ed. fragm. Clementis t. III p. 216 seqq. Gruetzmacherum correxit. amissorum librorum Clementis lectionem spectant Hieronymi verba *adv. Rufin.* I 13 p. 469 D (cf. Clem. ed. t. III p. 225 Staehl.) gravissima de lectione Clementina Hieronymi.

Leben, Schriften u. Phil. d. Pl. t. I (1869) p. 104.[1]) atque libros περὶ ψυχῆς etiam qui ex Origenis disciplina pendet Eusebius nominavit, fragmentum aliquod longius primi libri eorum servavit εὐαγγ. προπαρ. XI 35 seq. p. 563 C seqq. (ed. Plut. Bernard. t. VII p. 18). omnino Eusebius plurimum meruit de Plutarchi memoria; qui scriptorum deperditorum nonnullorum fragmenta praeter frustulum illud operis περὶ ψυχῆς ab interitu retraxit et eclogas Plutarcheas inductas nomine auctoris passim in opere εὐαγγ. προπαρ. proposuit. iam vero Origenes et Eusebius numerantur inter usitatissimos fontes Hieronymi, qui his multo plura debet quam Cappadocibus vel etiam Clementi. quodsi ab Origene et Eusebio tituli librorum Plutarcheorum aperte referuntur Plutarchique nomen saepe citatur, apparet potuisse fieri, ut ab his Hieronymi studium Plutarchi proficisceretur.[2])

1) alia de Origenis usu et imitatione Plutarchi vide apud Koetschau ed. Orig. t. II p. 437.

2) Hippolytus quoque passim lectus ab Hieronymo (cf. Gruetzm., *Hier.* t. I p. 210) habet nomen Plutarchi semel κ. πασ. αἱρ. ἐλ. V 20 p. 208 Dunck.-Schneid.; ubi memorat Plutarchi libros de Empedocle, qui aetatem non tulerunt. cf. Volkmann, *Plut.* I p. 107. praeterea Hippolytus nomen Plutarchi tacens sententiam quandam Pythagoricam ex Plutarcho notam offert VI 23 p. 260 καὶ Ζαράτας ὁ Πυθαγόρου διδάσκαλος ἐκάλει τὸ μὲν ἓν πατέρα, τὰ δὲ δύο μητέρα; cf. Plut. π. τῆς ἐν Τιμ. ψυχογονίας 2 p. 1012 E καὶ Ζαράτας ὁ Πυθαγόρου διδάσκαλος ταύτην μὲν (τὴν δυάδα) ἐκάλει τοῦ ἀριθμοῦ μητέρα, τὸ δ' ἓν πατέρα. erat igitur Hippolyto quoque familiaritas cum scriptis Plutarcheis, tamen parcior, quam ut comparari possit cum Eusebiana vel Origeniana. — Methodius platonizans, qui et ipse inter auctores ab Hieronymo lectitatos locum tenet (cf. *vir. ill.* 83. *in Dan.* 12, 13 p. 730 D. *adv. Ruf.* I 11 p. 466 C), quamquam multum versatus est in litteris platonicis — confecit etiam adversus Porphyrium libros —, tamen a Plutarcho abstinuit. nam loci Plutarchei, quos Albertus Iahn, *S. Methodius platonizans* (Halis 1865) passim orationi Methodii adscripsit (v. indicem Iahnii p. 150), spectant tantum ad historiam singularum vocum et notionum philosophicarum. — denique Hermae *pastor* simul liber tritus manibus Hieronymi est (cf. *vir. ill.* 10), simul Plutarcho usus esse dicitur; cf. quae disputavit I. M. Cotterill, post Cotterilli mortem foras data a C. Taylor, *Plut., Cebes and Hermas* (*The Journ. of philol.* t. XXXI, Lond. 1908, p. 18 seqq.). quam disputationem iusto plus laudavit Fridericus Bock, *Ber. über die Lit. zu Plut. Mor. 1905/10* (*Burs. Jahresb.* t. CLII a. 1911) p 350 seq.; nimirum nullae nisi lubricae admodum et incertae similitudines Plutarcheae adhuc in *pastore* retectae sunt. verbi causa Cotterillius p. 28 lectionem Herm. *vis.* III 8, 2 ἐμβλέψασά μοι ὑπεμειδίασεν, ad quam lectionem editores *pastoris* Gebhardt et Harnack (Patr. apost. opp. fasc. III, Lips. 1877) p. 47 adnotarant 'quid sibi vult risus ille?', temptabat exquisitius quam verius explicare loco Plutarcheo πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου 21 p. 62 C προσβλέψας καὶ μειδιάσας.

Itaque ambigitur, utrum Origenes Eusebiusque causa fuerint, an Porphyrius Plutarcheorum *γαμικῶν παραγγελμάτων* ab Hieronymo compilatorum. quo in certamine mandato aequis iudicibus vincere debebit Porphyrius. vide modo, cuius generis et ambitus sit usus Plutarcheus Porphyrii vel in eo eius opere, quod Hieronymus in librorum *adv. Iovin.* altero tam impudenter compilavit, *περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων.* quo in opere Porphyrii cum unus certe ex libris Plutarchi illis, qui hodie periere, exscribatur (l. III c. 18 seqq. p. 207, 5 seqq. Nauck Plutarchi frg. inc. 145 *α′β′γ′* t. VII p. 169 seqq. Bern.), tum plures exscribuntur libri servati. et horum quidem librorum Plutarchi primum locum obtinet liber *πότερα τῶν ζῴων φρονιμώτερα κτλ.*, unde eclogas duas Porphyrius desumpsit, breviorem alteram l. I c. 4 seqq. p. 88, 4 seqq. Nauck, alteram longissimam l. III c. 20 seqq., quae patet inde a p. 211, 7 usque ad p. 220, 12. quarum eclogarum utraque reddit textum Plutarcheum fere ad litteram. accedit tertius locus ex eodem Plutarchi libro haustus a Porphyrio III 6 p. 194, 3 seqq. N., ubi tamen sensus tantummodo Plutarcheus exprimitur. deinde praeter librum *πότερα τῶν ζῴων κτλ.* *Λυκούργου* Plutarchei lectiones amplissimas ex capp. VIII, IX, X, XII petitas fere ad verbum in opus suum recepit Porphyrius IV 3 seqq. p. 231, 19—235, 4. denique adhibuit breviores locos libri *τῶν ἑπτὰ σοφῶν συμπ.* duos III 27 p. 227, 7 seqq. et IV 20 p. 265, 21 seq.

nec vero id egit Porphyrius, quamquam de origine uniuscuiusque lectionis Plutarcheae lectores non monuit, ut usum suum Plutarchi reconderet. cuius sententias de sollertia animalium cum longissimo illo excerpto libri *πότερα κτλ.* prodidisset, nomen Plutarchi diserte dixit III 24 p. 220, 13 seqq.: *τὰ μὲν δὴ τοῦ Πλουτάρχου ἐν πολλοῖς βιβλίοις πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς στοᾶς καὶ τοῦ περιπάτου εἰς ἀπάντησιν εἰρημένα ἐστὶν τοιαῦτα.* item mediis in exponendis legibus Lycurgi sermonem Plutarchi transcribentem animus iussit Porphyrium fontem profiteri IV 3 p. 233, 11 seq.: *αἴτιος δὲ καὶ τούτων ὁ νομοθέτης, ὡς φησὶν ὁ Πλούταρχος.* neque debet offendere, quod in opere *περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων* titulos singulorum librorum Plutarcheorum Porphyrius praetermisit. nam quod p. 233, 12 *Λυκούργου* titulum suppressit, hunc suo iure de Lycurgo locutus et Plutarchum citans sibi condonavit. item facile explicatur, cur post eclogam libri *πότερα κτλ.* finitam p. 220, 13 seqq. pro huius libri titulo posuerit

Plutarchum *ἐν πολλοῖς βιβλίοις* talia exsequentem. nam ante hanc eclogam legitur iam alia quaedam Plutarchi ex eius scriptura deperdita oriunda, frg. illud inc. 145 Bern., cf. hic quoque citatum nomen Plutarchi III 18 p. 207, 6. volebat autem Porphyrius (cf. Bernays, *Theophr.* eqs. p. 148 seq.) eclogis illis duorum librorum Plutarchi specimen dare omnium utique opinionum Plutarchi de sollertia animalium et esu carnium, quas cognitas sane habuit homo Plutarchi peritissimus etiam ex aliis scriptis corporis Plutarchei, ut ex declamationibus *περὶ σαρκοφαγίας* et ex libro *περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι.* sic quomodo in citandi modum *τὰ μὲν δὴ τοῦ Πλουτάρχου ἐν πολλοῖς βιβλίοις . . . εἰρημένα ἐστὶν τοιαῦτα* inciderit, manifestum est. — ceterum, cum variae omnino fuerint Porphyrii rationes in nominandis auctoribus et in eorum libris significandis, quantam diligentiam in his rebus saepius Porphyrius praestiterit, imprimis docet operis *π. ἀπ. ἐμψ.* liber IV; cf. e. g. rationem, qua Iosephum intulit IV 11 p. 245, 11 seqq. *ὡς πολλαχοῦ Ἰώσηπος τῶν πραγματειῶν ἀνέγραψεν, καὶ γὰρ ἐν τῷ δευτέρῳ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἱστορίας, ἣν δι' ἑπτὰ βιβλίων συνεπλήρωσεν, καὶ ἐν τῷ ὀκτωκαιδεκάτῳ τῆς ἀρχαιολογίας, ἣν διὰ εἴκοσι βιβλίων ἐπραγματεύσατο, καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν πρὸς τοὺς Ἕλληνας, εἰσὶ δὲ δύο τὰ βιβλία.* eam igitur in diligentiam cum Porphyrius processerit in citandis titulis librorum adhibitorum, nullo periculo statuo, titulum *γαμ. παρ.* Plutarchi obvenisse Hieronymo in opere quodam hodie amisso Porphyrii.

Principalis autem causa, cur Porphyrius Origeni vel Eusebio anteferendus sit, eo cernitur, quod amplificatio talis textus Plutarchei, qualis est apud Hieronymum p. 317 A nomen Euripidis ad versum Hermionae additum, Porphyrio melius tribuitur quam christianis. ea enim est amplificatio ista textus Plutarchei, ut in Hieronymo coegerit me de fonte subsidiario Hieronymi mixto cum Plutarcho cogitare; eandem amplificationem in Porphyrio si deprehendissem, noluissem aliter explicare, quam ex eruditione laudabili hominis litteratissimi. nam sunt etiam in eclogis illis Plutarcheis operis Porphyriani *π. ἀπ. ἐμψ.* loci, quibus memoria Plutarchea aucta additamentis sit, neque tamen ex codicibus Plutarchi melioribus Porphyrio suppetentibus, aut ex fontium sollerti mixtione amplificationem Plutarchi repetere fas sit. velut expedito calamo inseruit verbis Plutarchi a se

transcriptis *πότερα κτλ.* 4 p. 962 B *καταγέλαστόν ἐστι τοὺς Σωκράτας καὶ τοὺς Πλάτωνας οὐδὲν ἐλαφροτέρᾳ κακίᾳ τοῦ τυχόντος ἀνδραπόδου συνεῖναι φάσκειν* post vocem *Πλάτωνας* Porphyrius III 22 p. 216, 11 *καὶ τοὺς Ζήνωνας.* sic in lectione Plutarchea a Porphyrio expressa *πότερα κτλ.* 6 p. 964 B *ᾧ (νόμῳ) καθ' Ἡσίοδον* (cf. Hes. *ἔργ. κ. ἡμ.* 276 seqq. *τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων, ἰχθύσι μὲν καὶ θηρσὶ κτλ.*) *ὁ τὰς φύσεις διελὼν καὶ θέμενος ἰδίᾳ τῶν γενῶν ἑκάτερον 'ἰχθύσι μὲν καὶ θηρσὶ καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς ἔσθειν ἀλλήλους, . . . ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην' πρὸς ἀλλήλους* Iovis nomen siluit Plutarchus, addidit Porphyrius, qui haec habet I 5 p. 88, 17 seqq.: *ᾧ καθ' Ἡσίοδον ὁ Ζεὺς τὰς φύσεις διελὼν κτλ.* — atque etiam transcriptus et auctus a Porphyrio haud scio an Plutarchus sit loco quodam, ubi ratio quae inter Porphyrium et Plutarchum intercedat, obscurior est, ipsamque propter amplificationem sententiae Plutarcheae in Porphyrio occurrentem olim Bernays, *Theophr.* p. 148 omnino pendere Porphyrium a Plutarcho noluit. nam sententia de canibus in triviis syllogismo utentibus a Plutarcho *πότερα κτλ.* 13 p. 969 A seq. proposita recurrit in Porphyrio *π. ἀπ. ἐμψ.* III 6 p. 194, 3. cum vero Plutarchus dialecticos quos vocat, tantum pro testibus habeat canum ratiocinatione utentium (*οἱ δὲ διαλεκτικοί φασι τὸν κύνα τῷ διὰ πλειόνων διεζευγμένῳ χρώμενον ἐν ταῖς πολυσχιδέσιν ἀτραποῖς συλλογίζεσθαι πρὸς ἑαυτόν κτλ.*), Porphyrius in dialecticos invehitur, qui quamvis generaliter ratione carere feras dixerint, tamen iidem canibus tribuant syllogismum in triviis (*διαλεκτικῆς μὲν γὰρ αὐτοί φασιν οἱ τὸ ἄλογον αὐτῶν καταψηφιζόμενοι ἐπαΐειν τοὺς κύνας, κεχρῆσθαί τε τῷ διὰ πλειόνων διεζευγμένῳ ἰχνεύοντας, ὅταν εἰς τριόδους ἀφίκωνται. κτλ.*). ergo tenuit praesenti mente Porphyrius, quam rem ex Plutarcho discere non potuit, cuius tamen rei nobis testis disertus est Sextus Empiricus *Πυρρ. ὑποτ.* I 69 p. 19 seq. Mutsch., qui dialecticorum nobilis auctor infestaverit dogma de ratione feris insita, Chrysippum stoicum nihilominus genus quoddam ratiocinandi canibus in triviis concessisse.

Impertio igitur Porphyrio excerpenti Plutarchum cognitionem rerum a Plutarcho tractatarum etiam maiorem quam fluentem ex Plutarcho. contra renuam, si iusseris me christianis, Clementi Alexandrino, Origeni, Eusebio tribuere additamenta talia textus Plutarchei, qualia ex eruditione singulari Porphyrii, subsidiario auctore non in censum vocato, commode explicantur. Eusebius quoque, qui pri-

mum locum tenet inter christianos memoriam Plutarchi propagantes, si cum Porphyrio eum certantem eruditione facis, totus vincitur. qui magnam partem doctrinae suae ex ipso Porphyrio traxit, hunc etiam iis locis operum suorum exscripsit, ubi eum non nominavit (cf. Wilamowitz, *Zeitschr. f. neutest. Wissensch.* I, 1900 *Ein Bruchstück aus der Schrift des Porph. gegen die Christen* p. 104, et Schwartz, *Realencycl.* t. VI p. 1379; 1391). quodsi usque ad Hieronymi tempora in omni saeculari disciplina et provincia studiorum doctissimus quisque christianorum suspensus erat ab ethnicorum studiis aequalibus, in Plutarchi quoque usum idem cadit. universos auctores christianos Hieronymi notitia Plutarchi insignes indagabam; vix quisquam Plutarchum novit praeter eos, quibus cum philosophis neoplatonicis res erat. ratione igitur eadem ipsius Hieronymi usum Plutarcheum explico atque auctorum christianorum Hieronymi: apud hunc ut apud illos lectione neoplatonica. de Arnobio pendente a Cornelio Labeone dictum est p. 91; de Eusebio plura addere aut de Origene in litteris saecularibus eruditis doctrina librisque neoplatonicorum parum attinet. similiter nolo in medio cum Pohlenzio, *Zeitschr. f. wissensch. Theologie* XLVIII (1905) p. 94 relinquere, quomodo Cappadociorum Basilius inciderit in lectionem Plutarchi; nempe Athenas sedes studiorum Basilius habuerat, philosophiae caput platonicae, ubi adulescentes spirabant in lectione Plutarchi (cf. Hirzel, *Plut.* p. 80 et 83). atque de patribus ecclesiae rhetoricis ex more neoplatonico Plutarchum imitantibus cf. etiam Geffcken scribentem de communi fundamento studiorum Iuliani Caesaris et adversariorum eius christianorum *Neue Jahrb.* t. XXI (1908) *Kaiser Iulianus u. die Streitschriften seiner Gegner* p. 194.[1])

---

1) neoplatonicos praeter Porphyrium persequi adhibentes Plutarchum longum est, et sufficit ad quaestionem de fontibus Hieronymi usum Porphyrii Plutarcheum exemplo operis *π. ἀπ. ἐμψ.* illustravisse. unam tantum observationem etiamnunc addo de opere Porphyrii *περὶ ἀγαλμάτων* Plutarcheis madente.

de Vulcano loquentes consentiunt inter se ad verbum, ut primus vidit Fridericus Boertzler, *Porphyrius' Schrift von den Götterbildern* (diss. Erlang. 1903), p. 60 seq. Lydus *περὶ μηνῶν* IV 86 p. 135, 20 seqq. Wuensch et Porphyrius *περὶ ἀγαλμάτων* frg. p. 8 p. 12*, 5 seqq. Bidez (Euseb. *εὐαγγ. προπ.* III 11, 23 p. 112 a):

Porph.:	Lyd.:
τοῦ δ' αὖ πυρὸς τὴν δύναμιν προσειπόντες Ἥφαιστον ἀνθρωποειδὲς μὲν	*ὅτι τοῦ πυρὸς τὴν δύναμιν προσειπόντες Ἥφαιστον ἀνθρωποειδὲς μὲν αὐ-*

αὐτοῦ τὸ ἄγαλμα πεποιήκασι· πῖλον δὲ περιέθεσαν κυάνεον τῆς οὐρανίου σύμβολον περιφορᾶς, ἔνθα τοῦ πυρός ἐστι (ἐστι om. cod. A) τὸ ἀρχοειδές τε καὶ ἀκραιφνέστατον.

τοῦ τὸ ἄγαλμα πεποιήκασι, πῖλον δὲ περιέθεσαν κυάνεον τῆς οὐρανίου σύμβολον περιφορᾶς· ἔνθα τοῦ πυρὸς τὸ ἀρχοειδές τε καὶ ἀκραιφνέστατον.

In tanto consensu Lydi et Porphyrii permirum fit, ut Lydus hunc locum intulerit verbis: *ὁ δὲ Χαιρωνεύς φησιν.* unde Lydi editor Wuenschius, quem fragmentum Porphyrii cum Lydo concordans latuerat, frustra lectores relegaverat ad sententiam Plutarchi diversam a sententia Lydi *πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημ. ἀκ.* 6 p. 23 C. Boertzler autem et qui hunc secutus est Fred. Niggetiet, *de Corn. Lab.* (diss. Monast: 1908) p. 55, neglegentiae damnabant Lydum vel librarium codicis Lydi ut pessime auctorum nomina confundentem; Boertzler enim et Niggetiet Lydum usum esse Porphyrio hoc loco pro certo habent. sed vide ne digna res sit, quae ab integro retractetur. nempe haud scio an Porphyrius perinde atque Lydus hauserint ex parte hodie deperdita operum Plutarcheorum Porphyriusque originem reticuerit eclogae Plutarcheae, item ut semel quidem sic sibi indulsit in opere *περὶ ἀπ. ἐμψ.* I 4 p. 88, 4 seqq. N., ut tacite Plutarchum exscriberet. atque est etiam alter locus in eodem fragmento Eusebiano Porphyrii, paucis versibus a priore distans, quem Lydus locum Plutarcheum reapse esse approbet:

Porph. frg. 8 p. 12*, 16 seqq. Bidez (Euseb. III 11, 24 p. 112 b seq.):

περιέθεσαν δὲ αὐτῷ τὴν δάφνην· τοῦτο μὲν ὅτι πυρὸς πλῆρες τὸ φυτὸν καὶ διὰ τοῦτο ἀπεχθὲς δαίμοσι· τοῦτο δέ, ὅτι λάλον καιόμενον εἰς παράστασιν τοῦ προφητεύειν τὸν θεόν.

Lyd. *περὶ μην.* IV 4 p. 68, 4 seq.:

τὴν δάφνην δὲ οἱ παλαιοὶ τῷ Ἀπόλλωνι καθιεροῦσιν, ὅτι πυρὸς πλῆρες τὸ φυτόν, ὥς φησιν ὁ Πλούταρχος, καὶ ὁ Ἀπόλλων πῦρ· ὁ ἥλιος γάρ ἐστιν. ὅθεν καὶ ἀπεχθάνεται δαίμοσι τοῦτο τὸ φυτὸν καὶ ἔνθεν ἂν εἴη δάφνη, ἐκποδὼν δαίμονες, κἂν ταῖς μαντείαις καίοντες ταύτην οἱ ἄνθρωποι παράστασιν προφητείας δοκοῦσιν εὑρηκέναι.

Lydus igitur locis duobus operis sui longe a se distantibus eidem fragmento Eusebiano Porphyrii *π. ἀγ.* 8 Plutarchea inesse prodit; Lydi verba p. 68, 6 *ὥς φησιν ὁ Πλούταρχος* et p. 135, 19 seq. *ὁ δὲ Χαιρωνεύς φησιν* invicem se sustentant, quandoquidem ad unum idemque fragmentum Porphyrii Eusebianum spectant. ergo optimo iure operis cuiusdam Plutarchei deperditi frustula recuperabuntur ex Eusebio et Lydo. cave tamen ne turbas tibi iniciat Reinhardt, *de Graecorum theologia capita duo* (1910) p. 95 adn. 1, qui nescio quo errore miro lapsus, quae de Vestae simulacro sub vero Porphyrii nomine Lydus IV 94 p. 139, 2 affert recurrentia in alio quodam fragmento Eusebiano Porphyrii *εὐαγγ. προπ.* III 11, 7 p. 109 a (frg. 6 p. 8*, 3 seqq. Bid.), ea afferre ait Lydum itidem sub Plutarchi nomine. immo confusio, quae Boertzlero Niggetietio Reinhardtio visa est esse Lydi Plutarchi nomen pro Porphyrio ponentis, coercetur finibus unius fragmenti illius Eusebiani III 11, 23 seq. p. 112 a—c.

aequali igitur ratione equidem explico Plutarchum a Lydo citatum, ubi cum Porphyrio Lydus consentit, atque alii dudum explicuerunt Antonium Diogenem a Lydo citatum, ubi item cum Porphyrio Lydus consentit. nimirum

Porphyriana *Πυθ. βί.* 44 p. 41, 2—14 N. recurrunt in Lydo *π. μηνῶν* IV 42 p. 100, 1—13 W. ascripta a Lydo Antonio Diogeni; ubi G. Wolff, *Porph. de phil. ex orac. haur.* p. 16 adn. et E. Rohde, *Kl. Schriften* t. II p. 126 merito concluserunt, Antonii Diogenis, qui a Porphyrio c. 32 p. 34, 7 N. citatur, eclogam aliquam subesse Porphyrio; nec non Nauckii errorem, qui Antonium Diogenem transcriptum esse a Lydo ex Porphyrio voluit ed. p. 41, 2, refellit I. Mewaldt, *de Aristoxeni Pyth. sententiis* eqs. (diss. Berol. 1904) p. 3 adn. 1. — ceterum ut cum Mewaldtio credo, Lydum ex ipso Antonio hausisse, sic Boertzler l. l. p. 59 seqq. pugnans adversus Lud. Traube nequaquam mihi persuasit, Porphyriani operis *περὶ ἀγαλ.* notitiam Lydum ex Eusebio traxisse, etsi paene accepit hanc Boertzleri opinionem Bidez, *Vie de Porphyre* eqs., *Univ. de Gand, Recueil de travaux* fasc. 43 (1913) p. 147. certe de Lydi studiis et fontibus amplior quaestio maxime desideratur.

IV DE ARISTOTELIS APVD SENECAM ET HIERONYMVM MEMORIA

Scriptorum saecularium, quos Hieronymus de nuptiis et virginitate disserens potissimum adhibitos a se esse dixit, duos prioribus capitibus absolvi, Theophrastum et Plutarchum. quorum Plutarchus multo sane maiores difficultates paraverat mihi quam Theophrastus. nam Plutarchus, ut identidem promulgavi, in manibus fuit christianorum auctorum sollemnium Hieronymi; Theophrasti libros auctores christiani Hieronymi ne viderunt quidem, nedum tractaverint. de Origene carente memoria Theophrasti ut loquerer supra occasio se obtulit p. 81; Eusebius quibus locis εὐαγγ. προπ. nomen Theophrasti praebet, eorum plerique insunt excerptis Porphyrianis vel spectant ad haec: I 9 p. 28c, ibid. p. 29b, IV 10 p. 148a et b, IV 13 p. 150d, IV 14 p. 151a et b, IX 2 p. 404a; praeterea apud Eusebium occurrit nomen Theophrasti bis in ecloga quadam Numenii, philosophi platonici: XIV 5 p. 729c et XIV 6 p. 731a; semel sumpsit Theophrasti brevem commemorationem ex compendio Aristoclis, philosophi peripatetici alterius saeculi christiani περὶ φιλοσοφίας: XV 2 p. 793c; denique uno loco a christiano auctore, Clemente Alexandrino donatus est notitia Theophrasti, accepit memoriam brevissimam de libris Theophrasti περὶ εὑρημάτων: IX 6 p. 476d. — atque ut Eusebii mentionibus Theophrasti subnectam Clementinas, Clemens quoque longe abest a libris Theophrasti, nisi forte propter sententiam minutam quandam operis φυτ. αἰτ. V 15, 1 Clementi στρωμ. III 3 (24, 2 seq.) p. 207, 2—4 Staehl. notam ipsum ais evolvisse Theophrastum aut propter placitum Theophrasteum de sensu initio fidei, frg. 13 Wimm., paullo fusius redditum a Clemente στρωμ. II 2 (9, 5) p. 118, 2—4. nam praeter hos locos atque mentionem illam librorum περὶ εὑρημάτων σρτωμ. I 16 (77, 1) p. 50, 11 ab Eusebio receptam Clemens obiter tantum tetigit

Theophrasti vitam sive doctrinam *στρωμ.* I 14 (63, 5) p. 40, 11 et *προτρ.* V 66, 5 p. 51, 5.

ergo neminem in eum errorem prolapsurum esse credo, ut ex Clementis aut Origenis Eusebiive deperdito scripto quopiam Hieronymum dicat petivisse Theophrasti eclogam amplissimam. Theophrastus ab Hieronymo usurpatus nullum in discrimen nos mittit, utrum Origenis Eusebiive compilatio an Porphyrii in priore libro *adv. Iovin.* agnoscenda sit, indexque certissimus remanet Hieronymi exscribentis Porphyrium. quodsi iam ad Theophrastum Plutarchum accedere atque etiam huius scriptoris usum Hieronymianum rectius ex Porphyrio explicari evici quam ex Origene Eusebiove, ilico nascuntur nobis lineamenta operis alicuius deperditi Porphyriani excerptis Plutarcheis et Theophrasteis gravidi. nec mihi videor aberrare a negotio proposito explorandorum fragmentorum Senecae de matrimonio, si antequam haec enarrem, restituendum curabo opus illud Porphyrii, quod cum Senecae dialogo nuptiali in libro I *adv. Iovin.* Hieronymus miscuerit.

1

Varia autem in promptu habeo indicia operis Porphyriani cuiusdam compilati ab Hieronymo etiam praeter eclogas auctorum vetustorum in Hieronymo occurrentium et repetendorum ex Porphyrio. sed cum notum sit, quam studiose ruerit Porphyrius librorum conditor in antiquissimos et optimos scriptores exhauriendos, Porphyrium restituens in via semel inita pergam et amplius in eclogis philosophorum Hieronymianis mihi deducendis ex Porphyrio versabor. atque post Plutarchum et Theophrastum absolutos iam venio ad Aristotelem cum Seneca et Plutarcho inter fontes relatum ab Hieronymo p. 318 B. neque frustra perlustravi singulas sententias ethnicas philosophiae nuptialis Hieronymi noscere cupidus, num quae sententia praedita esset duplici nota originis Porphyrianae et auctoritatis Aristoteleae. immo talem sententiam gaudeo retexisse unam certe, de qua nunc loquar.

Legitur autem ille locus p. 318 B seq. inde ab *amor formae rationis oblivio est* . . . usque ad p. 318 C *gravissimus custos accubet*; excipit locum p. 318 B *scripserunt Aristoteles et Plutarchus et noster Seneca de matrimonio libros, ex quibus et superiora nonnulla sunt et ista quae*

subiecimus et excipitur lectione p. 318 D *refert praeterea Seneca cognovisse se quendam ornatum hominem.* ipsis igitur ex verbis locum *amor formae* eqs. circumsaepientibus lux quaedam redundat in eius originem. omni enim iure eam partem sapientiae ethnicae, quam Hieronymus subiecit verbis p. 318 B *scripserunt . . . subiecimus* patentem usque ad umbilicum totius *adv. Iovin.* libri prioris p. 320 C, et Aristoteleis et Annaeanis et Plutarcheis contineri sumitur. cum vero Plutarchea, de quibus supra p. 77 seq. dixi, appareant p. 320 B *imitentur ergo nuptae Theanun* eqs., Annaeana, de quibus c. VII dicam, citato Seneca tribus locis p. 318 D, 319 B et C decurrant inde a verbis p. 318 D *refert praeterea Seneca* eqs. usque ad p. 320 B *quam ut excidere possit, infixit,* unum restat, ut Aristotelea hac parte sermonis Hieronymiani definiantur. neque tamen relinquitur lectio Aristoteli assignanda nisi p. 318 B seq. *amor formae . . . accubet.* atque haec lectio Hieronymiana quamvis ex compluribus enuntiatis consistat, tamen tanta argumenti unitate continetur, ut summus ductus eius unius auctoris primarii fuerit; quae res ex curis criticis statim huic loco impendendis patebit. quibus curis criticis id quoque in transcursu probabitur, doctrinam moralem de amore coniugali ab Hieronymo hoc loco propositam convenire philosophiae peripateticae atque Aristoteli tribui posse. nec controversia ulla est de colore peripatetico huius loci, quem ante me agnoverunt Osann, *de Sen. scriptis quib. dep.* I p. 5 seqq., Luebeck, *Hier.* eqs. p. 90, Bock, *Arist.* eqs. p. 36 seq., Grossgerge, *de Sen. et Theophr. libr. de matr.* p. 30 seqq.[1])

Verum duplici onere probandi gravor tractans locum *amor formae* eqs.; quem non solum ad Aristotelem redire, verum etiam ex Porphyrio ab Hieronymo petitum esse probaturus sum. et cum originem Aristoteleam loci secundum sententiam ponam plurimorum, eundem locum ex Porphyrio deducens cogor pugnare cum plurimis. nam ex Senecae libro de matrimonio haec Aristotelea Hieronymi fluxisse ipsi illi clamant, qui Aristotelea ea esse agnoscunt velut

1) amorem formae in uxore eligenda sane stoici quoque maxime infestarunt, Antipater, Musonius, Hierocles, cf. Praechter, *Hier.* p. 82 (v. etiam Sen., *de rem. fort.* 16, 5 p. 108 seq. Roßb. *epist.* 88, 7. 116, 5); in Aristotelis libris servatis amor formae non corripitur. sed cum doctrina de amore nimio in odium vertente peripatetica sit (v. infra), aegre separatur in Hieronymo sententia de amore formae ab amore in odium vertente.

Bock et Grossgerge ll. ll. Haaseum secuti, qui ex iis fragmenta Senecae 81 et 82 fecerat.

similis igitur res est mihi cum ecloga Aristotelea *amor formae* eqs., atque res fuit mihi initio harum disquisitionum cum ecloga Theophrastea p. 313 C seqq.; plane ut in parte illa sermonis mei Senecam denudabam splendore sospitatoris Theophrastei, Porphyrio reddens, quod tractum esset ex Porphyrio fragmentum Theophrasti, sic nunc, ubi semel Porphyrius ad fontes principales Hieronymi additus est, inter hunc et Senecam de Aristotele lis oritur. quam ita removebo, ut primum videam num argumentum sit probum ab alio prolatum, indicans originem Annaeanam eclogae Aristoteleae, deinde rem proferam vetantem haberi pro fonte principali eclogae Senecam.

Praecipue autem inter eos, qui diserte locuti sunt de Aristotele in Hier. *adv. Iovin.* occurrente, Grossgerge l. l. p. 30 seq. conabatur rationem apertam invenire Senecae suggerentis eclogam *amor formae* eqs. Hieronymo. qui verba, quibus excipiuntur Aristotelea in Hieronymo p. 318 D *refert praeterea Seneca* eqs. maxime attendenda esse dixit, exque *praeterea* particula hoc loco ab Hieronymo adhibita efficere temptabat, etiam locutiones antecedentes haustas esse ex Seneca. cui rationi quamvis claudicanti[1]), mica quaedam veritatis inest. nimirum tantum concedo, eclogae *amor formae* eqs. verba extrema p. 318 C *et maxime uxorum pulchritudini gravissimus custos accubet* distinguenda esse a verbis antecedentibus, etiamsi cum his cohaereant artissime, et repetenda esse ex Seneca. nec periti artis scribendi Hieronymianae mirabuntur, si sumpsero hunc scriptorem ab uno fonte transeuntem ad alterum longe prospexisse, ut rimae et fissurae musivae scriptionis suae prorsus laterent. cui rei consulere potuisse hoc loco Hieronymum eo facilius dabis, quia Senecam quoque de amore formae locutum esse in dialogo *de matr.* certum est (cf. p. 108 adn. 1). ergo si nihil aliud, exitum certe eclogae *amor formae* eqs. opinor fucatum auctumque esse oratione Annaeana, inque eam opinionem non solum incidebam prop-

1) satis habeo adversus Grossgergeum *praeterea* perverse intellegentem produxisse Osannium, *de Sen. scr. quib. dep.* I p. 5 et Luebeckium, *Hier.* eqs. p. 90 adn. 4, quorum uterque dedignatus abuti vocis *praeterea* vi iussit initium capere orationem Annaeanam demum a verbis *refert praeterea Seneca.* Luebeck praesertim etiam ante me Hieronymi sermonem de amore rationis oblivione edixit alienum fuisse a Seneca, etsi verum fontem non vidit.

ter verba pone eclogam obvia *refert praeterea Seneca.* immo alia res eaque gravior id suadet. nam testimonio Platonico repletur loci *amor formae* eqs. ultima pars sumpto ex Lysiae oratione de amore in Platonis *Phaedro* occurrente. cuius testimonii pars prior et maior habet sane in *Phaedro* quo referatur p. 232 C et 231 D (cf. Luebeck, *Hier.* eqs. p. 59), at quae testimonii verba novissima sunt *et maxime uxorum pulchritudini gravissimus custos accubet,* haec ipsa verba venditantur quidem ab Hieronymo pro Platonicis, sed in erotico Lysiaco et omnino in *Phaedro* Platonis sede omni carent. istis igitur verbis in fonte primario Hieronymi, Aristotele, lectionem Platonicam nondum adulteratam fuisse, arbitror. immo Hieronymus aut invenit verba ista in Porphyrio *Φαίδρου* locum amplificante et explicationibus exstruente, aut ex Seneca traxit ea in testimonium Platonicum a Porphyrio sibi suppeditatum.

Sed rationem illam dum tibi dem, exspectabis impatienter, quae summa sit in hac disquisitione ad locum *amor formae* eqs. pertinente, vetantem poni originem loci Annaeanam.[1]) quae ratio sic comparata est, ut ultro proveniat ex textu Hieronymiano dumtaxat recte constituto ope codicum antiquissimorum.

ac primum quidem lectio vulgata Vallarsii et eorum qui post Vallarsium hanc partem textus Hieronymiani ediderunt p. 318 C *ipse novissime sibi odio est* superatur lectione codicum *ES§AMC*: *ipse novissime odium est.* nam *ipse* spectat ad p. 318 B *amor formae,* ad quam notionem tota spectat periodus: *nam cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plura tempora suspicionibus lacrimis conquestionibus perdit, odium sui facit et ipse novissime odium est.* praeclarus igitur sensus inest libris scriptis, quorum ex testimonio Hieronymus *amorem formae* significat esse perturbationem animi sollemniter in contrarium vertentem, i. e. in *odium.* qua cum sententia Hieronymi cf. Max. Tyr. XIX 4 p. 240 Hob. *τούτου τοῦ ἔρωτος ἔχθρα τέλος*, praeterea Clem. Alex. *παιδαγ.* II 10 (97, 3) p. 215, 27 seq. Staehl. *τρέπεται δὲ πολλάκις τὸ φιλεῖν*

1) nil fere efficitur de origine loci ex sermone latino eius. velut adverbia adiectivis accedentia p. 318 C *dure imperiosos, serviliter blandos* sapiunt non magis ecclesiasticam latinitatem quam argenteam, cf. Opitz, *de latin. Sen.* (progr. gymn. Naumburg 1871) p. 22. *dure generosos* legitur Sen. *de prov.* (d. I), 4, 12; *imperiosus*: *de benef.* III 28, 6, *epist.* 82, 22, quod inde a Cic. usque ad infimos in usu est. — phrasin p. 318 C *nam cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat* cf. cum Hieronymi c. 28 p. 283 A *amor mulieris . . . semper insatiabilis est.*

εἰς τὸ μισεῖν κτλ., ubi similis amor atque in Hieronymo corripitur. iam vero Aristoteli quoque haec sententia Hieronymiana convenit, quoniam Theophrasti verbum habemus a Plutarcho *Κάτ.* c. 37 relatum frg. 82 Wimm.: *κινδυνεύει τὸ λίαν φιλεῖν, ὥς φησι Θεόφραστος, αἴτιον τοῦ μισεῖν γίνεσθαι πολλάκις.* recepta igitur codicum lectione eo lumine sententiae augetur Hieronymus, quod philosopho peripatetico plane dignum sit. e contrario lectio (*amor formae*) *odium sui facit et ipse novissime sibi odio est* quid sibi velit, aegre intellego. nam parum apte *amor formae*, vitium animi, dicitur novissime *sibi ipse odio esse.* quae verba vulgatae tum demum stare possent, si ad hominem potius amatorem spectarent quam ad vitium amoris nimii. inde magnopere miror, qua caecitate afflicti Vallarsius, Osann (*de Sen. scr. dep.* I p. 5), alii, quorum et Haase est, quamvis lectionem codicum enotatam a Vallarsio noverint, tamen uti ea supersederint.

sed recepta hac lectione librorum optimorum nihildum profecisse primo obtutu videor ad explicandam causam, cur ex Seneca non traxisset Hieronymus memoriam Aristoteleam. nam argumentum ethicum amoris in odium vertentis in Seneca quoque recurrit, cf. *de rem. fort.* 16, 4 *quam multarum notus amor odio notiore mutatus est.* nihilominus certus fructus ad quaestionem de auctore Hieronymi ex loco iam absoluto nascitur: medela loci alterius cuiusdam deinceps mihi tractandi mirum quantum sublevatur. iam enim venio ad alteram scripturam praestantem codicum *E* et *S* eamque absentem vel a codicibus aevi Karolini, ignotamque Vallarsio ceterisque editoribus; qua scriptura codicum antiquissimorum adhibita ad textum constituendum, origo Porphyriana loci de amore nimio in odium vertente aperta erit.

Excipitur autem sententia modo Hieronymo reddita (*amor formae*) *ipse novissime odium est* testimonio illo *Φαίδρου* Platonici: *tota amoris insectatio apud Platonem posita est, et omnia eius incommoda Lysias explicat, quod non iudicio, sed furore ducatur et maxime uxorum pulchritudini gravissimus custos accubet.* idem dogma amoris in odium vertentis, quod modo Hieronymo reddebam, agitatur maxime etiam in Lysiae oratione citata ab Hieronymo post correptionem amoris formae. velut in *Phaedro* verba sunt de amore in odium vertente p. 233 B *συνέσομαί σοι . . . οὐχ ὑπ' ἔρωτος ἡττώμενος . . . διὰ σμικρὰ ἰσχυρὰν ἔχθραν ἀναιρούμενος κτλ.* praeterea cf. etiam p. 232 E *ὥστε πολὺ πλείων ἐλπὶς φιλίαν αὐτοῖς ἐκ τοῦ πράγματος ἢ ἔχθραν γενήσεσθαι*

et p. 243 C *λεγόντων ὡς διὰ σμικρὰ μεγάλας ἔχθρας οἱ ἐρασταὶ ἀναιροῦνται καὶ ἔχουσι πρὸς τὰ παιδικὰ φθονερῶς τε καὶ βλαβερῶς κτλ.* apparet igitur, ea de causa adnexuisse Hieronymum vel potius auctorem peripateticum primarium lectionis illius totius testimonium *Φαίδρου* castigationi *amoris formae* in odium vertentis, quia id genus amoris falsi clarissime explanatum et acerrime impugnatum est in *Phaedro* Platonis. quodsi verum est, tantummodo propter certum genus amoris falsi apud Hieronymum Platonem citari, maxime offendunt verba memoriae vulgatae a Vallarsio et editoribus fragmentorum Senecae receptae *tota amoris insectatio apud Platonem posita est.* ubi nimirum *tota* abundat, quin detorquet animos legentium in perversum, contra desideratur pro *tota* amoris falsi in odium vertentis certior significatio.

iam vero accipe, codices *E* et *S* saec. VII lectionem *tota* nequaquam tueri. exhibet enim *E totam*, cum litteram *m* deleverit prima manus puncto supra litteram posito et lineola ducta per mediam eius litterae hastam. quod mendum scriptionis postmodo correctum, cum videri possit, per se vix dignum putares, quod commemorares. nempe eadem ratione fecit prima manus libri *E* e. g. p. 317 A *illa* ex *illam*, p. 319 C *qua* ex *quam*. verum praemonet, ne *tota* scribam libri *E* in archetypo suo legisse credas, graeca littera *κ* inter *totam* et eam quae antecedit vocem *est* (in codice perscriptam) supra lineam inventa. quam graecam litteram, etsi eam prima manus libri *E* splendide scripti exaravit, tamen ut minute datam difficile est interpretari, neque interpretatus est eam, quem in auxilium tunc arcessebam codicem *E* excutiens bibliothecae capitularis Veronensis praefectus officiosissimus Antonius Spagnolo. sed dubitationem omnem tollit codex *S*; atque iam res in eo est, ut huius codicis ab *E* non pendentis virtutem singularem laudibus efferam. qui etiamsi multo festinantius quam *E* scriptus est, tamen fide eum superat. nam graecum illud *κ*, quod in *E* ex textu expulsum est, *S* medio in textu habet; ubi *κ* et quod latina litteratura scriptum est *totam* unum verbum efficiunt litterarum sex coniunctarum linea super eas ducta. nec solum hac linea distinguuntur litterae illae sex a scriptura continua textus reliqui, sed separantur insuper a verbo antecedenti *est* paragrapho quadam iterumque puncto a voce subsequenti *amoris*, ita ut haec lectio evadat: **ESTↃ KTOTAM· AMORIS.** servat igitur *S* graecae vocis quamvis corruptae traditionem apertam.

de vocabulis graecis significatis in scriptura unciali latina linea super ea ducta cf. Ludovicum Traube, *Nomina sacra* (1907) p. 48. in ipso codice *S* graeca verba non inveni nisi notata ratione illa, veluti occurrunt p. 238 B, 253 A, 261 B, 331 A et D, 334 B, 340 A, 345 B. de littera *κ* recte a me intellecta ut dubitatio quaevis absit, leguntur in *S* p. 238 B *σκοτινον*, p. 261 B *και*.

relinquitur, ut ex corrupta scriptione libri *S* graecam vocem quam corruptelae subesse exploratum est, eam restituamus. bonae autem spei pleni temptabimus sani quid elicere ex insana scriptione κtotam, quandoquidem, quid sensus flagitaret pro *tota* in sententia *tota amoris insectatio apud Platonem posita est*, iam supra exponebatur; pro *tota* certum genus amoris falsi nomine adiectivo ad *amoris* trahendo dici desideratur. id vero amoris genus, quod in odium vertit, cuiusque insectatio erotico Lysiaco Platonis continetur, Graeci mihi valuisse videntur eleganter exprimere. velut a Luciano, auctore in moralibus dictionibus eloquenti, *ἑταιρ. διαλ.* XV 2, ubi de amatore sermo est iracundo atque male habente amicam suam, perturbatio amoris insani inque odium vertentis dicitur *ζηλοτυπία τις καὶ ἔρως ἔκτοπος*. hic igitur terminus *ἔρωτος ἐκτόπου* quid valeat vi propria, tecum reputa; mecum opinor apud Hieronymum pro libri *S* scriptione corrupta κtotam confidenter repones *ἐκτόπου*. qua voce graeca inducta in orationem Hieronymianam, tota eius pars ope librorum optimorum restituta sic procedit: *amor formae rationis oblivio est* eqs.... *odium sui facit et ipse novissime odium est. ἐκτόπου amoris insectatio apud Platonem posita est* eqs.

ceterum *ἐκτόπου* facillime abire potuisse in corruptam scriptionem κtotam, periti vocum graecarum in codicibus latinis traditarum ultro fatebuntur. tamen lubet exemplis ex ipso codice *S* petitis, qua via corruptio in vocem *ἐκτόπου* invaserit, diligentius illustrare. eadem igitur ratione *ἐκτόπου* in fronte mutilabat scriba *ε* littera omissa, qua ratione in fine mutilabat p. 331 A *μετεμψύχωσιν*, ex *μετεμψύχωσιν omne* faciens ◌*μετεαανχως. inomne*. nimirum qui voces graecas distinguebat in codice *S*, linguae graecae ignarus peccabat propter litteras in unciali latina et in graeca litteratura aequas, qualium *ε* est; quae littera soluta a voce *ἐκτόπου* pone *est* posita periit.[1])

1) casu factum est, ut in recentiore codice *C* (Bernensi 251 saec. XII/XIII)

sanae deinceps remansere in *S* quae secuntur litterae tres; rursus a π errari coeptum est. neque hoc mirum, quia in *S* nullo loco repperi graecam π recte intellectam. quod redditur p. 335 B in πολιτίαν et aliquotiens p. 261 B in longiore sententia quadam graeca per latinas litteras unciales *it*, p. 331 D in ἁπλοῖς per *tt*.

Maxima igitur probabilitate lectio Hieronymiana coniectura petita *ἐκτόπου amoris* fruitur. verum graecae vocis cuiusdam usus in medio textu orationis Hieronymianae ante *amoris* obvius nequaquam coniectando apparuit, sed traditus est antiquissimi codicis *S* auctoritate. quam rem teneas velim animo memori; nam graecam vocem pudore nullo in orationem Hieronymi inductam et coniunctam cum voce latina argumentum habeo loci Aristotelei absentis a Seneca. Senecae enim usus vocum graecarum litteratura graeca scriptarum certis finibus coercetur. atque de Seneca graecissante ipse disputavi *Archiv f. lat. Lexikogr.* t. XIV (1905) p. 189 seqq.[1]); qua disputatione quid effectum sit, breviter hoc quoque loco dari oportet tibi iudicaturo, num Senecam sapiat dictio Hieronymiana *ἐκτόπου amoris*. primum autem omnino Seneca inter philosophos romanos praeceptor eloquentiae vernaculae id sibi proposuit, ut notiones philosophicas vel nodosissimas Graecorum latinis locutionibus redderet. qui maluit in ambiguitatem incidere, quam de arte periclitari, nullisque fere in philosophia quidem usus est vocibus peregrinis, nisi iis, quae dudum receptae erant ab antiquioribus scriptoribus. ac non solum a novis abstinebat Seneca creandis vocibus peregrinis habitaturis in Romanorum sermone philosophico, quantum poterat, sed parcebat etiam in philosophia uti eo artificio rhetorico, quo graecae voces graece flexae et scriptae orationi latinae inserantur, venia vocis alienae non petita; quale artificium est '*ἐκτόπου amoris*'. immo ubicumque vocabula philosophica graece scripta in codicibus Senecae occurrunt, ibi consumit Seneca verba in his vocabulis excusandis tangitque eorum interpretationem casti sermonis latini vindex fidelissimus. cf. e. g. *de tranq.* (d. IX) 2, 3 *hanc ... animi sedem Graeci εὐθυμίαν vocant ..., ego tranquillitatem voco. epist.* 58, 6 *quo-*

item ante graecam K littera quaedam (σ) periisset I 1 p. 238 B pro *cognomento σκοτινόν* praebente *cognōmto Kitinon*.

1) nuper prodiit W. Nieschmidt, *quatenus in scriptura Romani litteris graecis usi sint* (diss. Marp. 1914), qui tamen quae apud Woelfflinum absolvi, ignorat p. 46.

modo dicetur οὐσία ...? rogo itaque permittas mihi hoc verbo uti. nihilominus dabo operam, ut ius a te datum parcissime exerceam: fortasse contentus ero mihi licere. itaque cum tam modestis finibus coerceatur consuetudo Senecae graecissantis, absurdum plane est, ex hoc auctore eum locum Hieronymi deducere, quo loco nomen adiectivum graecum ἐκτόπου cum substantivo *amoris* una dictione iungitur.[1])

Iam vero idem artificium rhetoricum, quod philosophorum graecorum interpres Seneca sedulo vitabat, Hieronymus fontibus graecis usus saepissime adhibebat. qui provectiore aetate praecipue procul ab urbe in oriente habitans orationi suae immiscebat vocabula graeca graece scripta plurima, puritatem sermonis prae splendore specioso parvi faciens. quae res cum pridem observata sit (cf. Gruetzmacher, *Hier.* t. II p. 142), tamen mihi exemplis ex opere *adv. Iovin.* sumptis firmanda est, ut genus loquendi *ἐκτόπου amoris* vere Hieronymianum esse abunde pateat. imprimis vero in Porphyrii opere περὶ ἀπ. ἐμψ. compilando Hieronymum sic sibi indulsisse, ut graeca graece scripta in orationem suam transsumeret, adnotabo.

adeo autem affectabat Hieronymus usum litteraturae graecae, ut etiam ea verba, quae recepta erant, quamvis ex parte haud ita diu inter peregrina Romanorum ut *aenigmatista, agonotheta, brabium,* alia, mallet graece scribere quam latine; qua de re hic illic codices vetusti etiam plura docent quam vulgata Vallarsii. cf. p. 238 B *sed quid ad nostrum αἰνιγματιστήν* (*ES*𝔖: *αἰνιγματισταί* Vall.). p. 253 A *sub μεταφορᾷ* (*SA*: *metaphora* Vall.) *earum de nuptiis disputat.* p. 257 A *proponit ἀγωνοθέτης praemium, invitat ad cursum, tenet in manu virginitatis βραβεῖον* (*βραβιον E*𝔖: *bravium* Vall.). p. 272 B *sub ἀνακεφαλαιώσει opera ipsius praedicantur.* p. 288 A *non solum virginem, sed cum ἐπιτάσει virginem.* p. 294 C *quasi inter duos scopulos et quasdam*

1) supra p. 53 seqq. graecam vocem Ψυλλέα obviam eo Hieronymi loco, ubi Livium praecipue reddit, ex contaminatione fontium Hieronymi explicabam. eadem ratio huc trahi nequit, quia Psylli angues cantu fugantes apud Graecos in litteras plurimas intraverunt, simul in Livii l. CXII *Psyllos* fuisse certis causis probavi; contra terminum a philosophia populari remotum *ἐκτόπου amoris* simul in Porphyrio et in Seneca fuisse nemo sibi persuadebit. quod etsi sollemnem contaminationem fontium Hieronymi hoc quoque loco pono (cf. p. 109), tamen adeo principalis auctor est Porphyrius, subsidiarius Seneca, ut nil Senecae tribuam nisi de quo supra dixi flosculum *et maxime ... accubet* et fortasse etiam quarundam locutionum colorem ut *dure imperiosos* (cf. p. 110 adn.).

necessitatis et pudicitiae συμπληγάδας. p. 331 A *propter μετεμψύχωσιν.* atque his exemplis id quoque apparet, quomodo discrepans a Seneca graeca vocabula adhibente non nisi multa cum excusatione aut saltem introductione diserta, Hieronymus omiserit plane animos legentium praeparare ad voces graecas sibi usurpandas. parum autem attinet omnes locos operis *adv. Iovin.* proferre, ubi graeca graece scripta occurrunt; tres tantum locos prioribus addere iubet animus. primum eadem ratione, qua in lectione *ἐκτόπου amoris* graecum adiectivum a Romanorum copia vocabulorum peregrinorum alienum iungitur cum substantivo latino, locutus est Hieronymus p. 285 E *iudex ἀμφοτεροδέξιος.* deinde lepide fit, ut possis Senecam et Hieronymum comparare Heracliti philosophi cognomen graecum diversa ratione exprimentes. quorum Hieronymus p. 238 A seq.: *Heraclitum quoque cognomento σκοτινὸν sudantes philosophi vix intellegunt*; at Seneca *epist.* 12, 7: *Heraclitus cui cognomen fecit orationis obscuritas, 'unus', inquit* eqs.[1]) vides igitur quomodo ille gestiat graecissare, hic devitet prudenter vocabulum graecum. ad postremum eum locum alterius libri *adv. Iovin.* propono, ubi Hieronymus totus pendens ex opere Porphyrii *περὶ ἀπ. ἐμψ.* dictione graeca ex Porphyrio tracta auxit orationem suam:

Hier. II 12 p. 341 B:

qui aegrotat, non aliter recipit sanitatem nisi tenui cibo et castigato victu, quae λεπτὴ δίαιτα dicitur. quibus ergo cibis recipitur sanitas, his et servari potest.

Porph. I 52 p. 126, 7 seqq. N.:

δι' ὧν γὰρ ὑγεία ἀνακτᾶται, διὰ τούτων καὶ διαμένει. ἀνακτᾶται δὲ διὰ τῆς λεπτοτάτης (sic codd.: λιτοτάτης Nauck) καὶ ἀσάρκου διαίτης, ὥστε καὶ ταύτῃ ἂν συμμείνειεν.

2

Iam probavisse mihi videor, idoneam esse rationem ex Seneca et Hieronymo graecissantibus exque locutione *ἐκτόπου amoris* tractam ad originem definiendam eclogae Aristoteleae: voce graeca cum latina in unam phrasin coacta eclogae origo Annaeana dissuadetur vehementer et origo Porphyriana commendatur maxime. nam tantopere iam in

---

1) huius loci memor dubito an Hense *epist.* 9, 18 *Demetrio cui cognomen ab exitio urbium Poliorcetes fuit* delere debuerit *Poliorcetes*; quamquam alio loco Seneca usus est graeco vocabulo *de const. sap.* (d. II) 6, 1 *Demetrius . . . cui cognomen Poliorcetes fuit.* certe immerito in ed. *epist.* anni 1898 uncis saepserat Hense verba *ab ex. urb.*

universum provecta est haec fontium disquisitio Hieronymianorum, ut praeter Senecam Porphyrius sapientiae saecularis Hieronymi auctor tacite compilatus occupet locum gravissimum. tamen acquiescere nolo in exemplo ex altero libro *adv. Iovin.* ducto Hieronymi pendentis a Porphyrio et graecissantis consimiliter illic atque in Aristoteleis libri prioris, deductionemque eclogae Aristoteleae a Porphyrio amplius firmabo circumspiciendo rationibus pluribus. primum docebo graecissandi libidinem Hieronymi inter latinos plane singularem[1]) non modo a Seneca abhorrere, sed item a litteris ecclesiasticis romanis vetustioribus usurpatis ab Hieronymo. velut Tertulliani usus in opere *adv. Iovin.* manifestus est: in libri prioris partibus christianis eius scriptum *de monogamia*, in posterioris *de ieiunio* adhibitum esse supra p. 26 seqq. monui; atque etiam in sapientia saeculari de nuptiis imitatio Tertulliani *de monog.* inveniebatur (v. p. 78). denique deperditum opus Tertulliani *ad amicum philosophum* de angustiis nuptiarum, in priore libro *adv. Iovin.* c. 13 p. 260 B citatum, capite VI huius libri a me tractabitur; cuius operis usus Hieronymianus a me quoque agnoscetur, etsi somnia de receptione integra eius Hieronymiana, qualia Bockius conflaverat, p. 21 seqq. respui. quodsi providentis est, nullum eorum auctorum Hieronymi, quos in sapientia ethnica adhibitos ab eo esse constat, a primo prohibere ab indaganda origine eclogae Aristoteleae, Tertullianum praecipue ex latinis ecclesiasticis evocabo atque deliberabo, num huic accepta referri possit ecloga Aristotelis. certe Tertullianus inter sollemnes auctores latinos Hieronymi vel ideo dignissimus est, cuius hoc loco ratio habeatur, quia is librorum graecorum non modo lector, verum idem scriptor (cf. Bardenhewer, *Gesch. der altkirchl. Lit.* t. II 1903 p. 380) instructus erat meliore etiam scientia sermonis graeci, quam Hieronymus. neque tantum Tertulliani mores graecissandi illustrabo, verum etiam persequar totam Aristotelis memoriam Tertullianeam, ut sciscitantibus de origine Aristoteleorum Hieronymi optionem nullam esse nisi Senecae aut Porphyrii pateat. ceterum ne Tertulliano quidem pertractato finem imponam quaestioni de ecloga Aristotelea, addamque verba de Senecae universa notitia Aristotelis commotus duabus rationibus: primum approbato exilem et secundariam omnino fuisse Senecae memoriam Aristoteleam magis placebit

1) epistolographos excipio, cf. *Archiv f. lat. Lex.* XIV 207; praeterea Guil. Dammann, *Cicero* eqs. (diss. Gryph. 1910) p. 18 seqq.

origo Porphyriana eclogae; deinde a natura et auctoritate memoriae Aristoteleae Senecae generaliter descriptis facile transitur ad condicionem Aristoteleorum Hieronymi, quae locum obtinent fragmenti pretiosi aevo recenti feliciter servati. nimirum Porphyrio pro Seneca substituto crescit auctoritas Aristoteleorum in Hieronymo iam ex certo scripto corporis Aristotelei probabiliter deducendorum.

Tertulliani igitur nec studia Aristotelea nec genus loquendi ea fuere, ut fas esset ex eo eclogam insignem dictione *ἐκτόπου amoris* repetere. quae Hieronymo inest cupido orationis vocibus graece scriptis illuminandae, ea abest a Tertulliano. qui quamvis occupatus conficiendis libris graecis item ut latinis, tamen latine pure scribebat rarissimeque tantum vocibus graecis usus est nulla cum introductione propositis veluti *de anima* 31 p. 352, 5 Vind. *ex omni denique sexu et μετεμψυχώσεις et μετενσωματώσεις cotidie existant*; quas voces postea latine scriptas invenis c. 34 p. 358, 23, ferme ut Seneca hic illic voces difficillime latine reddendas primum graece induxit, postea scripsit latine (cf. *Archiv f. l. L.* XIV 193). atque discrimen, quo seiungitur Tertullianus graeca usus litteratura permodeste ab Hieronymo adhibente eam intemperanter, explanatur commode etiam exemplo Tert. *adv. Marc.* I 2 p. 292, 13 Vind. *duas symplegadas naufragii sui* collato cum Hier. *adv. Iovin.* I 36 p. 294 C *necessitatis et pudicitiae συμπληγάδας*. omnino Tertullianus graecissans aequat graecissantem Senecam, cum apud hunc quoque voces graecae graece scriptae non fere occurrant nisi contentae sententiis, quae ad earum interpretationem spectant.[1]) atque pluribus exemplis si quis persequi desiderat usum Tertullianeum vocum graece scriptarum, inspiciat librum doctrina graeca inter libros Tertulliani eximie abundantem *de anima*: c. 14 p. 318, 29 seq. *principali, quod aiunt ἡγεμονικόν, et a rationali, quod aiunt λογικόν.* 15 p. 319, 29 *summus in anima gradus vitalis et sapientialis, quod ἡγεμονικὸν appellant, id est principale.* 16 p. 322, 9 seq. *indignativum quod appellant θυμικόν, et concupiscentivum, quod vocant ἐπιθυμητικόν.* praeterea cf. c. 12 p. 316, 17. c. 30 p. 349, 24. ex uno

1) is usus vocum graecarum creber est etiam apud Augustinum, qui graece minus bene scivit: cf. S. Angus, *The sources of the first ten books of Aug. de civ. dei* (Princeton 1906) p. 243 seqq., ubi de Augustino graecissante luculenter actum est.

libro *de anima* discitur, dictionem *ἐκτόπου amoris* rationibus Tertulliani parum convenire.

iam vero eundem *de anima* librum Tertulliani adeas, ut noscas, quae sit memoria Aristotelea Tertulliani. haec enim omnis, quae quidem momenti quid habet, continetur libro *de anima*; cf. E. Rohde, *Kleine Schriften* II (1901) p. 208. atque excepto libro *de anima* in tribus tantum libris Tertulliani Aristoteles commemoratur idque non nisi in transcursu. primum ne Aristotelem quidem habuit Tertullianus *apol.* 46 liberum ab invectivis, quae in philosophos antiquitus factae decantabantur ab apologetis christianis (cf. I. Geffcken, *Zwei griech. Apol.* Lps. 1907 p. 111). deinde quae verba *de carn. resurr.* 2 p. 28, 9 seqq. Vind. leguntur *viderit unus aliqui Lucanus nec huic quidem substantiae* (i. e. animae) *parcens, quam secundum Aristotelem dissolvens aliud quid pro ea subicit* eqs., ea verba potius dogma Lucani Marcionitae produnt quam Aristotelis. item obiter tantum Aristotelem perstrinxit Tertullianus *de praescr. haer.* 7 *miserum Aristotelem, qui illis dialecticam instituit, artificem struendi et destruendi.* sed ab his Aristotelis mentionibus in transitu factis differt sane usus libri *de anima*, ubi nomen Aristotelis locis multis traditur c. 3 p. 303, 7. c. 5 p. 304, 8. c. 6 p. 307, 5. c. 12 p. 317, 2. 13. 19. c. 14 p. 319, 4. c. 15 p. 320, 13. c. 43 p. 370, 8. c. 46 p. 375, 13 et 377, 8. c. 49 p. 380, 15, semel ex coniectura reponendum est c. 14 p. 318, 25 male neglecta ab editoribus Vindobonensibus (cf. Diels, *doxogr. gr.* p. 205). quamquam horum quoque locorum libri *de anima* tres ne ipsi quidem insignes sunt propria notitia rerum aut dogmatum Aristotelis c. 3. 6. 15; sed reliqui lautiorem speciem prae se ferunt. quorum c. 12 doctrina utitur sedem habente in Aristotelis opere περὶ ψυχῆς I 2 et 5. deinde placita inveniuntur Aristotelea de natura corporali sive incorporali animae c. 5, de partibus et viribus eius c. 14, de somno et somniis c. 43 et 46. praeterea quae de heroe quodam Sardiniae 'incubatores fani sui visionibus privante' Aristoteles narrasse dicitur c. 49, ea rettulit Rohde l. l. p. 204 seq. ad φυσικ. ἀκρ. IV 11. verum haec largissima memoria Aristotelea libri Tertullianei *de anima* nequaquam ex ipso Aristotele fluxit, immo Tertullianus accepit eam a Sorano Ephesio, medico methodico et philosopho eruditissimo aetatis Traiani, a quo omnem fere sapientiam ethnicam libri *de anima* deduxit Diels, *doxogr. gr.* p. 206 seqq., praeter capita de somniis 46 seqq., praecipue

ab Hermippo Berytensi post Soranum scribente pendentia, ut statuit Rohde l. l. p. 206. de singulis autem locis Aristoteleis e Sorano repetendis Diels et Rohde inspiciendi sunt (de c. 5 p. 304, 8 cf. Diels p. 212, de c. 14 p. 318, 25 et c. 43 p. 370, 8 idem p. 205. de c. 46 p. 377, 8 cf. Rohde p. 208 adn. 1). Rohde monstravit etiam l. l. p. 205, memoriam primariam de incubatoribus fani Sardoi c. 49 ex Aristotelis *φυσικ. ἀκρ.* IV 11 trahendam apud Tertullianum in eam recensionem abiisse, quae misere conflata esset ex verbis commentatorum Aristoteleorum atque ipsius Aristotelis male intellecti.

ergo in Aristotele bono periculo spernitur Tertullianus, auctor alioquin ab Hieronymo exhaustus plurimum. argumentum quod ex Hieronymo graecissante verboque *ἐκτόπου amoris* mihi paravi, ut in vicem Senecae Porphyrium mitterem Hieronymo suggerentem Aristotelea, idem argumentum prohibet, ne Tertullianus aut quivis alius auctor latinus Hieronymi pro fonte eclogae habeatur. ne vero inter graecos auctores sollemnes Hieronymi quis sit magis idoneus quam Porphyrius, ex quo locus Aristoteleus deducatur, labores efficiunt Porphyrii commentando dicati Aristoteli nomenque illius spectatum in historia memoriae Aristoteleae. profecto inter omnes scriptores cum graecos tum latinos, quicumque cogitari possunt auctores Hieronymi suppeditantes fragmentum aliquod Aristoteleum, palmam fert Porphyrius, a quo tota cohors profecta est commentatorum neoplatonicorum Aristotelis (cf. Zeller, *D. Phil.* eqs. III 2^4 p. 696 cum adn. 5).

At necesse est subsistere et circumspicere, quo investigatio fontium Hieronymi pervenerit. si recte substituitur pro Seneca Porphyrius fons eclogae Aristoteleae in Hieronymo, haec ecloga luce nova suffunditur, quae nunc demum meretur vocari fragmentum certum scripti cuiusdam corporis Aristotelei. nam causae quibus innixi locum de amore nimio in odium vertente et priores et ego Aristoteli tribueramus, interim nullo in fundamento nisi in eo constiterant, Hieronymo fidem habendam esse affirmanti p. 318 B initio capitis 49, quae proposuisset parte illa libri sui, ea sumpta esse ex Aristotele, Plutarcho, Seneca. atque capite 49 perlustrato detractisque Annaeanis sub nomine Senecae allatis nec non Plutarcheis libri *γαμ. παρ.*, ipse locus ille restabat. deinde sensus moralis loci illius admodum concordare visus erat cum doctrina peripatetica. verum his rationibus etiamsi vehementer commendatur loci origo Aristotelea, tamen ap-

paret sic potuisse statui, ut is locus potius diceretur sententiis reddere generaliter dogmata Aristotelis quam fragmenti veri possidere auctoritatem. imprimis quibus constabat ad Senecam reverti Hieronymi memoriam Aristoteleam, hi quidem desperare prorsus debebant de fragmento iusto Aristotelis ex Hieronymo eliciendo. neque enim Seneca Aristotelem bibit ex fonte puro neque eum ipse evolvit, eademque valent in Aristotelis memoriam Annaeanam, quae de Theophrasto a Seneca ex Posidonio et recentioribus scriptoribus petito supra exponebantur in primo libri capite. sed ut de singulis locis Aristoteleis Senecae pateat qua auctoritate utantur, per eos omnes deinceps curram.

Aristotelem item atque Theophrastum Seneca attulit imprimis in *nat. quaest.* et in libris *de ira*, quorum duorum operum de fontibus stoicis suppeditantibus Senecae placita vetustiorum philosophorum p. 12 seq. dictum est. castigavit locos in *nat. quaest.* usurpatos Aristoteleos librorum μετεωρ. Felix Mewis, *de Sen. phil. studiis litterarum* (diss. Regimont. 1908) p. 27 seq., qui errores a Seneca commissos in reddendis sententiis Aristoteleis retexit. qui indicia sunt auctorum intermediorum inter Aristotelem et Senecam intercedentium. atque huic sententiae accessit etiam A. Brennecke, *animadv. ad fontes n. q. Sen.* (diss. Gryph. 1913) p. 50 seq., qui post Mewisium diligentius quam ille Aristotelis μετεωρ. memoriam in Senecae *nat. quaest.* perscrutatus locis multis *nat. quaest.* Posidoniana iis sententiis contineri statuit, quas ut Aristoteleas Seneca praebet. — deinde in opere *nat. quaest.* lectionibus Aristoteleis ad libros μετεωρ. referendis accedit suasio Aristotelea VII 30, 1 de verecundia dis sideribus stellis adhibenda, ex qua fragmentum Aristoteleum 14 fecit Rose, *Aristotelis qui fer. libr. frag.* (ed Lips. 1886) p. 31. quam tamen suasionem adeo aspersam rebus romanis, ut ne Rose quidem eam integram inter Aristotelea reciperet, atque fere recurrentem in Plutarcho περὶ εὐθυμ. 20 p. 477 C seqq. exceptamque Panaetianis apud Senecam temerarium est ex Aristotelis libro quodam a Seneca inspecto deducere. — in opere autem *de ira* praecipue irae finitio Aristotelea speciem veri testimonii Aristotelei praebet, cui ascribunt editores Senecae Gertz p. 54, 22 et Hermes p. 50, 2 locum περὶ ψυχῆς I 1 p. 403 a 30 seq. at parum probabile est finitionem irae ex alio opere Aristotelis manavisse atque reliqua Aristotelea in opere *de ira*, quae compluriens obvia sede carent in nostro

corpore Aristoteleo, meritoque Rose hos locos omnes in unum congessit l. l. 80 p. 82. — praeter libros *de ira* et *nat. quaest.* in duabus epistulis Seneca utitur memoria Aristotelea 58, 9: *homo species est, ut Aristoteles ait* eqs. et 65, 4 seqq.: *Aristoteles putat causam tribus modis dici: 'prima', inquit, 'causa est ipsa materia'* eqs.; quibus locis quamquam dicentem inducit Seneca Aristotelem et doctrina genuina Aristotelis propagatur, in libris *κατηγ.* 1 seqq. et *φυσικ. ἀκρ.* II 4 seqq. exposita, tamen iusto iure Senecae editores eos locos pro testimoniis primariis librorum Aristotelis habere noluerunt, nec verbum *de tranq.* (d. IX) 17, 10 *nam sive . . . credimus . . . Aristoteli 'nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit'* apud Aristotelem (*προβλ.* 30, 1) legit Seneca, quod verbum in variorum philosophorum scriptis occurrisse usu eius Tulliano (*Tusc.* I 80) probatur. denique Aristotelis nomen pro Theophrasti ex errore Seneca posuit *dial.* X 1, 2 (cf. supra p. 14 adn. 2).

Ea igitur cum sit Aristotelis memoria Annaeana, dummodo ex Seneca fluxerit commemoratio Aristotelis Hier. *adv. Iovin.* p. 318 B, Hieronymum purae putae orationis Aristoteleae fragmentum aliquod servasse nefas est sumere. unde eorum qui ex Seneca Aristotelea Hieronymi deducebant, longe verissimus factus est Praechter, *Hierokles* eqs. p. 123 seqq., ratus delendam omnino esse opinionem libri certi cuiusdam Aristotelei coniugalis in opus *adv. Iovin.* delapsi. immo illi videbatur Hieronymus Aristotelis nomine et opinionibus coniugalibus quibuslibet in Seneca inventis sic abusus esse, ut testimonium cassum conficeret libri Aristotelei *περὶ γάμου* verbis p. 318 B *scripserunt Aristoteles et . . . de matrimonio libros.* mihi vero memoriam Aristoteleam Hieronymi manasse ex Seneca deneganti, ex Porphyrio studiorum Aristoteleorum fautore maximo autumanti, testimonio Hieronymi expresso speciale opus coniugale corporis Aristotelei subesse facillime defenditur. meae enim coniecturae de Porphyrio favet etiam singulariter ea res, quod neoplatonici scriptoris est et pedissequi quidem cuiusdam Porphyriani testimonium illud potissimum, quod praeter Hieronymum de scripto quodam coniugali Aristotelis habemus: Elias, neoplatonicus christianus (*Realenc.* V 2366), qui *Προλεγόμενα τῆς Εἰσαγωγῆς Πορφυρίου* atque commentarium in Aristotelis categorias Davidi olim attributum scripsit (ed. A. Busse, *Comm. in Ar. gr.* t. XVIII, I Berol. 1900), in utroque opere aequaliter delineat

scriptum aliquod coniugale sive oeconomicum Aristotelis, *Προλεγ.* c. 12 p. 33, 2 seqq. et *Ἐξηγ. τῶν δέκα κατηγ.* prooem. p. 116, 23 seqq.; quorum locorum hunc p. 116, 23 seqq., quo titulus libri illius coniugalis nobis etiam notus ex indice librorum Aristoteleorum Hesychii 165 proditur, exscribo: *ἀλλὰ μὴν καὶ οἰκονομικά εἰσιν αὐτῷ γεγραμμένα βιβλία, ὡς τὸ Οἰκονομικὸν σύνταγμα καὶ Περὶ συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός, ἐν ᾧ λέγει ἐκ τεσσάρων σχέσεων συγκεκροτῆσθαι τὸν εὖ ἔχοντα οἶκον, πατρὸς πρὸς τέκνα, ἀνδρὸς πρὸς γυναῖκα, δεσπότου πρὸς δούλους, εἰσιόντων πρὸς ἐξιόντα καὶ ὡς εἴρηται ἡμῖν ἐν τοῖς τῆς Πορφυρίου Εἰσαγωγῆς προλεγομένοις.* atque admodum probabiliter titulum Hieronymianum *de matrimonio* ad titulum *Περὶ συμβ. ἀ. κ. γ.* referri dudum Osann, *de Sen. scr. dep.* I p. 7 seq., Rose, *Arist. Pseud.* p. 180 (*Arist. frg.* p. 138), alii viderunt; eodem enim iure quo Hieronymus p. 318 B in Plutarchi libro *γαμ. παρ.* appellando *de matr.* librum Plutarcheum dixit, *περὶ συμβ. ἀ. κ. γ. de matr.* plane licuit ei ibidem dicere. argumento autem librum corporis Aristotelei oeconomicum, cuius *σχέσεις* quattuor ex Elia cognitas habemus, cum materia *περὶ γάμου* magna ex parte congruisse, item veri simile est. nam litterarum genus *περὶ γάμου* simul cum stoicorum secta demum vere effloruit, peripateticorum nemo nisi unus Demetrius Phalereus peculiarem librum *περὶ γάμου* condidit (Laert. Diog. V 81). quaestionibus igitur apud stoicos in libris *περὶ γάμου* tractatis apud peripateticos liber, qualis est *περὶ συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός*, nec non aliae litterae peripateticae, de quibus loquar sub calce capitis V, suffecerunt.[1]) atque librum *περὶ συμβιώσεως ἀ. κ. γ.* coniugalem librum fuisse vel ideo libenter accipies, quia consimili titulo instructus liber *περὶ γυναικὸς συμβιώσεως*[2]) Antipatri Tarsensis coniugalis liber erat (cf. infra c. V 5).

1) in philosophia stoica quomodo abhorruerit litterarum genus *περὶ οἰκονομίας* a genere *περὶ γάμου*, enarrat Praechter, *Hierokles* p. 8, al.; loci utriusque generis litterarum communes tanguntur ab eodem ll. p. 131 seqq. medio aevo Xenophontis liber oeconomicus in libris nuptialibus Hugonis de Folieto usurpatus est, cf. supra p. 32, praeterea de necessitudine inter locos de oeconomia et matrimonio agnoscenda v. Wyttenbach, *animadv. in Plut. mor.* p. 873 Oxon. (II 173 Lips.).

2) *Περὶ γάμου καὶ συμβιώσεως* titulum inscripsit Herodianus Technicus (t. II p. 904, 10 seqq. Lentz) libro cuidam perdito, ubi unius partis vitae humanae vocabula peculiaria ab etymis deduxerat, cf. Lehrs, *mus. Rhen.* II (1843) p. 121. Rose, *Ar. Ps.* l. l.; unde a litteris *περὶ γάμου* litteras *περὶ συμβιώσεως* divelli non debere rursus apparet.

quid? nonne lepide evenit, ut Antipater *περὶ γυν. συμβιώσεως* de eligenda uxore loquens urgeat cohortationem Stob. IV 22, 103 p. 539, 10 H. *χρὴ . . . ἀποβλέπειν . . . μηδὲ μὰ Δία εἰς κάλλος*, amorem formae traducat, quem ex libro *περὶ συμβιώσεως ἀ. κ. γ.* dico fluxisse, locus Hieronymi?[1])

Sic fragmentum certi cuiusdam scripti corporis Aristotelei fit ex loco Hieronymiano insigni locutione *ἐκτόπου amoris.* qua re effecta videor mihi eorum quoque studiis aliquid attulisse, qui Aristotelis reliquiis ordinandis et constituendis vacant; nam postquam intellectum est, non solum propter argumentum componi debere cum libro Hieronymiano Aristotelis *de matr.* librum Eliae et aliorum commentatorum neoplatonicorum Aristotelis (cf. Rose, *Ar. frg.* 182) *περὶ συμβ. ἀ. κ. γ.*, verum etiam ab auctoritate unius eiusdemque Porphyrii memoriam utriusque libri pendere, multo fortius hunc et illum librum eundem esse contendi poterit. simulque coniugalem materiem praevaluisse in

1) memoriam de libris oeconomicis corporis Aristotelei turbavit magnopere Bock, *Aristoteles* eqs. p. 17 seqq., nec explanarunt Praechter, *Hierokles* eqs. p. 123 seqq. aut R. Bloch, *Liber secundus yconomicorum Aristotilis*, *Archiv f. Gesch. d. Philos.* XXI (1908) p. 336 seq. quocirca equidem rem expedio breviter, Zellerum secutus maxime. primum igitur qui in catalogis operum Aristoteleorum Laert. Diog. 23 ⟨*περὶ*⟩ *οἰκονομίας α'*, Hesych. 17 *οἰκονομικὸν ᾱ* apparet liber, is cum Zellero, II 2³ p. 105 adn. 2 idem esse putandus est atque primus liber *οἰκονομικῶν* servati corporis Aristotelei. hic enim, quamquam ab Aristotele profectus non est (Theophrasteus audit apud Philodemum *περὶ οἰκον.* p. 26 Iensen), tamen virtute propria et vetustate seiungitur a reliquis oeconomicis, quae sub Aristotelis nomine antiqua aetate circumlata nobis suppetunt.

deinde conatus duo veterum discernendi sunt, quibus uni libro illi, qui est primus servatorum *οἰκονομικῶν*, secundum addiderint. quorum conatuum alteri debetur servati corporis *οἰκονομικῶν* liber B, collectio exemplorum tractata ab U. Wilcken, *Herm.* XXXVI 1901, 187 seqq., deinde post alios ab O. Schlegel, *Beiträge* eqs. (diss. Berol. 1909), qua doctrina aliqua Aristotelis illustratur (Zeller ibid. p. 945); alteri is qui latine tantum traditur *liber secundus yconomicorum Aristotilis,* cuius de libelli natura et origine varia protulerunt Praechter l. l. p. 131 seqq. et Bloch l. l. p. 456, al. — catalogi autem librorum Aristoteleorum libri B *οἰκονομικῶν* vestigium nullum habent; latine traditum *l. sec. ycon. Arist.* ad scriptum Hesych. 166 *νόμους ἀνδρὸς καὶ γαμετῆς* revocarunt Rose, alii; hoc de scripto nulla notitia alia praeter Hesychii indicem est.

huic igitur memoriae oeconomicorum Aristoteleorum accedit liber *περὶ συμβ. ἀ. κ. γ.*; de quo quantumquantum scimus, id scimus primum ex He-

scripto oeconomico illo Eliae facilius concesseris. contra ea quaestio, utrum genuinus an subditicius fuerit *περὶ συμβ. ἀ. κ. γ.* liber in numero Aristoteleorum habitus a Porphyrio, ne mea quidem disquisitione provecta est. immo originem Aristoteleam libri iniudicatam relinquo, id tantum demonstrare mihi etiam in animo est, fragmentum Hieronymianum, quod designabam esse libri *περὶ συμβ. ἀ. κ. γ.*, id quidem speciem veri Aristotelis prae se ferre. ceterum Porphyrii auctoritate pro Senecae posita in usu Aristoteleo Hieronymi, non tam origo Aristotelea libri *περὶ συμβ. ἀ. κ. γ.*, quam usus primarius corporis Aristotelei intellegitur.

nimirum hoc loco Porphyrium verba libri Aristotelei ipsa in contextum suum recepisse, audacter confido. quamquam nescius non sum variis rationibus illum auctores exscripsisse, cf. Bernays, *Theophr.* eqs. p. 3 et 24 seqq.; de Plutarchi usu Porphyrii supra adnotatum est p. 100. tamen si quid video, finitio illa *ἐκτόπου ἔρωτος*, qua amor formae vitiosus in erotico Lysiaco *Φαίδρου* dialogi a Platone castigatus egregie notatur, Aristoteli optimo iure tribuitur. certe usus adiectivi *ἔκτοπος*, qualem hoc loco agnosco, Aristotele dignus est. nam is multum abhorret a trita illa huius adiectivi vi translata, qua i. q. *mirus, insolens* valens utitur opposito *συνήθης*, velut Plato dixit *νόμ.* VII p. 799 C *ἰδὼν ἂν ἢ καὶ ἀκούσας ὁτιοῦν τῶν ἐκτόπων καὶ μηδαμῇ πως ξυνήθων.* immo si amor e natura sua excedens et in contrarium vertens voce *ἔκτοπος* exprimitur, haec vox quamvis translate tamen quasi proprie adhibetur, ut usus propius quam ad locum Platonicum illum eiusque generis locos accedat ad exempla Aristo-

sychio 165 titulum libri referente, deinde ex Eliae et similium testium locis (Rose, *Arist. frg.* 182) simul cum titulo argumentum libri per quattuor *σχέσεις* digesti explicantibus, denique unum fragmentum huius libri ego in Hieronymo indico. frustra autem temptavit Bock l. l. ab oeconomico libro, qui per quattuor *σχέσεις* digestus materiem rei familiaris peragit, titulum *Περὶ συμβ. ἀ. κ. γ.* resolvere; nempe refragatur Bockio clarum Eliae verbum exscriptum a me in textu. praeterea quod Bock p. 20 seqq. Aristotelis librum *περὶ συμβ. ἀ. κ. γ.* restituere aggressus est ex Seneca (Hieronymo), Clemente, Hierocle, plane falsum eum esse in Hierocle et Clemente Praechter l. l. p. 123 seqq. et Bloch l. l. p. 338 abunde demonstrarunt, nisi quod unum locum Clementis *παιδαγ.* III 12 (84, 1) p. 282, 19 seq. St., iam a Roseo libro *περὶ συμβ. ἀ. κ. γ.* additum, equidem etiamnunc ex eo fluxisse censeo. ratio denique, quae inter Senecam sive Hieronymum et Aristotelis librum intercederet, mihi explicanda relicta est.

telea qualia sunt *προβλ.* 30, 1 p. 954 b 2 *οὗτοι μελαγχολικοὶ μέν εἰσι, φρονιμώτεροι δέ, καὶ ἧττον μὲν ἔκτοποι, πρὸς πολλὰ δὲ διαφέροντες τῶν ἄλλων, οἱ μὲν πρὸς παιδείαν, οἱ δὲ πρὸς τέχνας, οἱ δὲ πρὸς πολιτείαν* et *τῶν μετὰ τὰ φυσ.* I 8 p. 989 b 30 *οἱ μὲν οὖν καλούμενοι Πυθαγόρειοι ταῖς μὲν ἀρχαῖς καὶ τοῖς στοιχείοις ἐκτοπωτέροις* (*-ως* codd., cf. Bonitz, *Ar. Metaph.* t. II p. 104) *χρῶνται τῶν φυσιολόγων.* quod si vox graeca *ἐκτόπου* in Hieronymo ope codicum restituta ex ore Aristotelis fluxit, legebatur etiam apud hunc testimonium *Φαίδρου* Platonici et allatus erat ab eo Lysias dialogi Platonici. etenim haec ratio afferendi Platonis, qua Hieronymus utitur Lysiam a Phaedro recitatum pro Platone auctorem appellans, Aristoteli convenit. quem passim Socratem pro Platone laudare res nota est, nec non consimiliter atque Lysias explicans amoris incommoda inducitur ab Hieronymo, is qui in Platonis *συμποσ.* p. 192 C Aristophanes loquens est, auctor advocatur ab Aristotele *πολιτικ.* II 4 p. 1262 b 11 *ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς λόγοις ἴσμεν λέγοντα τὸν Ἀριστοφάνην.*

De loco *amor formae* eqs. satis dixi; uno hoc loco efficitur, ut ex Hieronymi verbis seris et latinis Aristoteles verus prorumpat. sed Aristotelis fragmenta etiamsi augere omine fausto uno loco libri *adv. Iovin.* contigerit, tamen despero plura indagari posse in eodem libro Hieronymi, neque intellego, qua quis valeat via aggredi ad locos alios Aristoteleos probabiliter expiscandos ex Hieronymo, modo receperit ille plures in sermone suo. nam uno tantum loco Hieronymus se proferre Aristotelea diserte testatus est; quo loco c. 49 p. 318 B *scripserunt . . . subiecimus,* quamvis dixerit Hieronymus Aristotelem Plutarchum Senecam adhibitos a se esse non solum in parte sequenti sermonis sui i. e. capite 49, verum itidem in superioribus sermonis partibus i. e. capitibus 41—48, tamen haec verba Hieronymi multo accuratiora docent nos de singulis locis capitis 49 quam capitum 41—48. nec difficile dictu, cur catalogus ille auctorum ab Hieronymo p. 318 B propositus minus momentum habeat ad fontes dispiciendos capitum 41—48 quam capitis 49. nonne Hieronymus capitum 41—48 nonnulla tantum affirmat desumpta esse ex Aristotele Plutarcho Seneca, cum caput 49 pure declaret redire ad auctores tres illos? ergo praeter Aristotelem Plutarchum Senecam capite 49 nullus auctor in censum venit, nisi forte ex fontium contaminatione sua so-

lita Hieronymus hic illic principalibus auctoribus addidit subsidiarios, velut imitationem Tertullianeam p. 320 C retexi supra p. 78. ceterum talis fontium contaminatio nihil impedivit, quominus caput 49 in partes discederet detractisque Annaeanis et Plutarcheis Aristotelea residua ultro apparerent. e contrario capita 41—48 inter Aristotelem Plutarchum Senecam dispertiri velle absurdum est, et imprimis causa certa quaedam dissuadet, ne iis freti, quae Hieronymus c. 49 de Aristotele a se usurpato in superioribus partibus sermonis sui narrat, capitum 41—48 Aristotelea eruere conemur. nam si recte locum *amor formae* eqs. et Aristotelis commemorationem in catalogo fontium c. 49 ex Porphyrio repetivi, substituisse putandus est callide Hieronymus in catalogo illo pro Porphyrio hoste Christi, quem in Porphyrio invenerat, Aristotelem. vide igitur ne sententia *scripserunt Aristoteles et Plutarchus et noster Seneca de matrimonio libros, ex quibus et superiora nonnulla sunt et ista quae subiecimus* sic interpretanda sit, ut Hieronymus post capita 41—48 repleta opinionibus et exemplis Porphyrianis Plutarcheis Annaeanis accedens ad caput 49 et ipsum replendum iisdem auctoribus, parem fecerit cum Plutarcho et Seneca Aristotelem, cum debuerit Porphyrium.

inde fit, ut qui genuinum fragmentum unum libri oeconomici Aristotelei περὶ συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός ex Hieronymo elici posse dico, idem nolim persequi plura vestigia Hieronymiana libri illius Porphyrio et neoplatonicis recentioribus noti. verum nescio an dicar fumum vendere iubens pro nihilo putari testimonium p. 318 B Hieronymi de usu suo Aristoteleo, quoad pertineat ad capita 41—48. itaque fac quaeso manavisse unum vel alterum Hieronymi exemplum mulierum bonarum sive malarum ex Aristotele; tamen eius exempli quodcumque proferes, origo Aristotelea argumentatione proba non poterit demonstrari. nimirum loci *amor formae* eqs. Aristoteli a me addicti condicio peculiaris est. at impetrare a me nequeo, ut locos Hieronymianos consentientes generaliter cum eruditione Aristotelis, alio indicio originis Aristoteleae nullo usus, libro deperdito περὶ συμβ. ἀ.κ.γ. tribuam. cuius generis a conatibus deterret omnino ea, de qua verba fiebant iam supra p. 122, ratio Caroli Praechteri tracta *Hierokles* eqs. p. 123 seqq. ex opinionibus Aristoteleis promiscue vocatis in commune a sectis ethicis inferioribus; quae ratio quamquam imprimis valet adversus restituendum ex Seneca Aristotelem, tamen etiam magnopere

nos prohibet dextro pede progredi temptantes indagare Aristotelea in sermone Hieronymi consuto ex Annaeanis et Porphyrianis. saltem oportebat, antequam locos Hieronymi cum opinionibus peripateticis in universum concordantes libro περὶ συμβ. ἀ. κ. γ. adscriberemus, eorum locorum comprobari originem Porphyrianam. videor autem mihi magnam partem earum narratiuncularum capitum 41 seqq., quas qui ante me in sapientia ethnica Hieronymi inque fragmentis Senecae versabantur, ad Aristotelem referebant, ex Porphyrio posse deducere; simul vero easdem ab Aristotele alienas fuisse quaerendo vincam.

V DE PORPHYRIO ΠΕΡΙ ΑΓΝΕΙΑΣ SCRIPTORE

Res iam in eo est, ut mittatur Aristoteles, cuius etsi mentio fiet hic illic in sequentibus, tamen ea condicione tantummodo fiet, ut liberetur a locis Hieronymianis addictis falso ei ab aliis. praescripta est mihi via, qua explicatio fontium Hieronymi iuvari possit et debeat. priusquam auctores ab Hieronymo ipso non evolutos pergam persequi, auctor ille, quem ipse evolvit, tandem absolvendus est, Porphyrius praeter Senecam, ut dudum apparuit, fons gravissimus philosophiae nuptialis Hieronymi. quo ex opere Porphyrii item ut memoriam Theophrasti memoriam Aristotelis deduxi, quodque opus provocavit Hieronymum ad Plutarchi usum, id opus neoplatonicum ut ex Hieronymi sermone philosophico revocetur in lucem, proximum est. cuius operis rationem peculiarem significantius quam ex Aristotele Theophrasto Plutarcho in eo adhibitis ex locis ipsius solius propriis intellegi posse spes est. inde adibo nunc dogmata et exempla nuptialia Hieronymi aut non relata ab eo ad auctores, aut relata ad eos auctores, qui *περὶ γάμου* non scripserunt, ita ut rationem nuptialem exemplis indidisse se primum Hieronymus simulet. inter haec dogmata et exempla libri *adv. Iovin.* quaenam via ac ratione possint adscribi Porphyrio, videndum est.

1

Incipientem autem me omnia Porphyriana in unum congerere et de argumento et fine philosophico operis ab Hieronymo compilati opinari, ante omnia oportet dicere, Porphyrii nomen a me inter auctores libri prioris *adv. Iovin.* nequaquam primo poni. immo praeter quod I. Geffcken, *Timaios' Geogr. d. Westens* (*Philol. Unters.* fasc. XIII 1892) p. 184 seq. in transitu animadvertit, Hieronymum in tradenda Timaei memoria de filia Pythagorae c. 42 p. 309 D pendere a Porphyrio, quo de loco disseram infra p. 145 seq., is quoque, quem tam saepe erro-

ris coarguebam disserentem de libri I *adv. Iovin.* sapientia ethnica, Felix Bock ante me incurrit in similitudines Porphyrianas Hieronymi duas *Arist. Theophr. Sen.* eqs. p. 13 et p. 39. qui p. 39 seq. monuit Hieronymum de Socrate loquentem c. 48 p. 316 B male vexato ab uxoribus suis duabus Xanthippe et Myrtone, nepti Aristidis, consentire cum fragmento Porphyrii φιλος. ἱστ. 12 p. 11 N. a Theodoreto servato:

Hier. p. 316 B:	*Theod.* Ἑλλ. ϑερ. παϑ. *XII 64 p. 315, 5 seqq. Raeder:*
Socrates Xanthippen et Miro, neptem Aristidis, duas habebat uxores. quae cum crebro inter se iurgarent, et ille eas inridere esset solitus, quod propter se foedissimum hominem simis naribus, recalva fronte, pilosis umeris et repandis cruribus disceptarent, novissime verterunt in eum impetum, et male mulcatum fugientemque diu persecutae sunt.	λέγει δὲ οὕτως (*v. ibid. 61 p. 314, 20 seqq.*: καὶ ὁ Πορφύριος δέ, τὴν Φιλόσοφον ἱστορίαν ξυγγράψας, . . . Ἀριστοξένῳ μάρτυρι κεχρημένος τὸν Σωκράτους βίον ξυγγεγραφότι) . . . ‘δύο δὲ σχεῖν (τὸν Σωκράτην) γυναῖκας ἅμα, Ξανϑίππην μὲν πολῖτιν καὶ κοινοτέραν πως, Μυρτὼ δὲ Ἀριστείδου ϑυγατριδῆν τοῦ Λυσιμάχου. . . . αὗται δὲ ξυνάπτουσαι μάχην πρὸς ἀλλήλας, ἐπειδὰν παύσαιντο, ἐπὶ τὸν Σωκράτην ὥρμων, διὰ τὸ μηδέποτε αὐτὰς μαχομένας διακωλύειν, γελᾶν δὲ καὶ ἀλλήλαις καὶ αὐτῷ μαχομένας ὁρῶντα.’

Haec similitudo Porphyriana Hieronymi sic explicanda esse videbatur Bockio, ut Hieronymi fons Seneca et Porphyrii auctor Aristoxenus penderent uterque ab Aristotele. etiamsi autem Aristotelis mentionem iure quodam, ut statim commonebo, iniciunt qui quaerunt, unde fama de Socrate bigamo orta sit, tamen liber Aristoteleus *περὶ συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός*, quem Bockius a Seneca exscriptum esse ratus restituere temptabat frustra ex Hieronymo aliisque scriptoribus recentioribus, immerito putatur Socratis bimariti commemorationem praebuisse. nam in dialogo *περὶ εὐγενείας* Aristotelem Athenaeus XIII p. 556 a et Plutarchus *Ἀριστ.* 27 testes diserti sunt occasionem Aristoxeno dedisse, ut Socratem calumniaretur tamquam bigamum (cf. Rose, *Arist. fragm.* 93 p. 93 seq.). quibus vero in verbis Aristotelis illud quod Athenaeus l. l. dicit *τὸ ἐνδόσιμον* constiterit, ex quo in Socratem calumnias facere valuerit Aristoxenus, Socratis et Platonis calumniator sollemnis, admodum incertum est, cf. Zeller, *Die Phil.* II 1[4] p. 54 seqq. et O. Schumann, *Festschr. des König-Wilh.-Gymn. zu Magdeburg* 1911, *de Arist. quae fer. fragm. dial. de nob.* p. 165. nihilominus

sic comparatum est testimonium Athenaei de Aristotele auctore famae Socratis bimariti, quem vel invitum credas cum Zellero et Schumanno factum esse eius famae auctorem, ut dedeceat ponere Xanthippes et Myrtus mentionem in duobus scriptis Aristotelis. Bockii igitur error narratiunculam Hieronymianam de uxoribus Socratis ad librum Aristoteleum *περὶ συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός* referentis manifestus est, neque potest fieri, ut ex Aristoxeni et Senecae usu Aristoteleo similitudo Porphyriana Hieronymi repetatur.

sed nolo eadem fiducia, qua Bockii commenta respuo de Seneca pendente ab Aristotele, contendere utique afuisse a Seneca Myrtonem uxorem Socratis; immo fateor esse quae suadeant, ut Myrtoni locus in dialogo *de matr.* Senecae concedatur. excipit enim apud Hieronymum p. 316 B Myrtonem et Xanthippen rixantes inter se et cum Socrate etiam altera narratiuncula ad Socratem coniugem spectans, quae in Xanthippe sola versatur maritum perfundente aqua inmunda. hanc ex Seneca Hieronymus accepit, cf. c. VII 4. accedit quod admodum vulgatum erat in litteris veterum Myrtonis cum Socrate coniugium, de quo praeter Hieronymum et christianorum duos alios, Cyrillum *κατὰ 'Ιουλ.* VI p. 186 D; VII p. 226 B et Theodoretum l. l. reddentes, ut ipsi testantur, Porphyrium, etiam narrant Plutarchus *'Αριστ.* 27, Athenaeus XIII p. 556 a, Laertius Diog. II 26, Ps.-Plat. (-Luc.) *ἀλκυ.* 8, Ps.-Socratic. *epist.* 29, 3 p. 629 Herch., Suidas s. v. *Σωκρ.*[1]) itaque poterat fieri, ut ad Senecam speciale opus *περὶ γάμου* condentem fama Socratis bimariti pervenisset. rariorem aliquam memoriam de Socrate *triginta tyrannos in ordinem redigente* servavit Seneca *ad Helv.* (d. XII) 13, 5. atque Hieronymus etiam ante Haaseum, Myrtun inter fragmenta Senecae (cf. frg. 62) recipientem, sic intellectus est, quasi Socratis bimariti Senecam testem produceret: Hermannus Knust, *Gualteri Burlaei liber de vita et moribus philos.* (Tubing. 1886) c. 30 p. 117 attulit ad Burlaeum, testimonio Hieronymi *adv. Iovin.* de Myrtone utentem, *dyalog. creaturarum* Conradi de homborch (1481) c. LXXXI: *De milvo qui decepit pullos cuiusdam cornicis: Re-*

1) in Socratem maritum hoc alterum opprobrium est, quod simul duas uxores habuerit, id quidem a biographis graecis vetustis inventum; alterum opprobrium est, quod uxorem amicis communicaverit, apud christianos obvium Tert. *apol.* 39, Salv. *gub.* 7, 101 seqq. p. 188 seq. Vind. — qui christiani confundunt verum Socratem cum personato *πολιτείας* Platonicae et transferunt Catonis exemplum Vticensis Marciam Hortensio tradentis in Socratem.

fert Seneca quod Socrates habuit duas uxores nimis zelotipas et contentiosas adeo, quod quadam die in ipsum impetum facientes ad terram eum deiecerunt.[1])

at mitto errores interpretum vel inveteratos saeculis multis; gravissimae causae obstant, ne Myrto locum tenuerit in dialogo Senecae. primum Panaetius traditur a Plutarcho et Athenaeo ll. ll. corripuisse biographos peripateticos fabulantes de Socrate bigamo; unde videndum, ne stoicorum locus περὶ γάμου, qualem Seneca agitaverit, purus fuerit ab ineptiis istis. deinde in servatis scriptis Seneca locutus de Socrate marito *de const. sap.* (d. II) 18, 5 et *epist.* 104, 27 digamiam eius novisse non videtur. denique varii rumores dispergebantur antiqua aetate de Myrtone; quam alii filiam Aristidis fuisse dicebant: Athenaeus, Laertius Diogenes, Suidas; alii neptem: Plutarchus, Porphyrius i. e. Cyrillus et Theodoretus, Hieronymus. alios auctores hodie deperditos Laertius refert Myrtonis coniugium posuisse ante Xanthippes, alios dixisse Myrtonem simul cum Xanthippe Socrate coniuge usam esse. in tanto testium dissensu notandus est consensus Hieronymi cum Cyrillo sive Theodoreto. et rixam quidem uxorum et Socratis omnino nemo habet nisi Theodoretus et Hieronymus. quem consensum singularem sic explico, ut Porphyrius ex Aristoxeno a se evoluto rumorem tralaticium digamiae Socratis novo suco impleverit. Aristoxeni nimirum advocationem Porphyrii a Theodoreto traditam l. l. XII 61 p. 314, 22 seq. Raeder ad lectionem Aristoxeneam ipsius Porphyrii referre non vereor, cum de Theophrasti lectione Porphyriana constet, aliorum peripateticorum veterum Satyrum et Hermippum a Porphyrio ipsos inspectos esse infra indicaturus sim p. 136 adn. 1.[2])

acquiesco igitur in Hieronymo Porphyrium exscribente hoc loco, abscedo tamen rursus in eo a Bockio, ut Porphyrium non solum in φιλοσ. ἱστ., sed etiam in altero opere nuptias Socratis tetigisse coniectem. nam opus φιλοσ. ἱστ. hoc loco pro fonte Hieronymi habere nolo causis incitatus quibusdam. in Theodoreto fragmentum Porphy-

1) ipse Burlaeus c. 30 p. 110 sub Senecae nomine affert, quae ex parte minore tantum Senecae sunt (*epist.* 71, 7), ex maiore Augustini (*de civ.* VIII 3 p. 356 Vind.).

2) in Πυθ. βίῳ Porphyrium Aristoxeni memoriam ex fontibus secundariis compluribus petivisse ratum habet Rohde, *Kl. Schr.* II p. 125, qui dubito an verum omne non viderit. — obiter adnoto Chrysippi lectionem tribuere Porphyrio Norden, *Agnostos Theos* (Lips. 1913) p. 151 seq. adn. 4.

rianum tradente nec vola nec vestigium est habitus illius indecori Socratis ab Hieronymo curiose exagitati, nec simarum narium nec recalvae frontis aut pilosorum umerorum crurumve repandorum. praeterea meo iure tempto omnia Porphyriana prioris libri *adv. Iovin.* ex uno eodemque opere deperdito Porphyrii ethico repetere, item ut alterius libri *adv. Iovin.* Porphyriana omnia ex uno eodemque opere *περὶ ἀπ. ἐμψ.* fluxerunt.

Deinde altero loco nomen Porphyrii iam Bockius intulit in quaestionem de fontibus Hieronymi. merito enim indicavit p. 13 consentire mire Hieronymum c. 42 p. 309 C de Platone edito ex partu virginis loquentem cum Laertio Diogene III 2:

Hier. p. 309 C seq.:	*Laertius Diog. III 2 p. 2 Basil.:*
Speusippus quoque sororis Platonis filius et Clearcus in laude Platonis et Anaxilides in secundo libro philosophiae Perictionem matrem Platonis fasmate Apollinis oppressam ferunt, et sapientiae principem non aliter arbitrantur nisi de partu virginis editum.	*Σπεύσιππος δ' ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Πλάτωνος περιδείπνῳ καὶ Κλέαρχος ἐν τῷ Πλάτωνος ἐγκωμίῳ καὶ Ἀναξιλίδης ἐν τῷ δευτέρῳ Περὶ φιλοσόφων φασίν, ὡς Ἀθήνησιν ἦν λόγος, ὡραίαν οὖσαν τὴν Περικτιόνην βιάζεσθαι τὸν Ἀρίστωνα καὶ μὴ τυγχάνειν· παυόμενόν τε τῆς βίας ἰδεῖν τὴν τοῦ Ἀπόλλωνος ὄψιν· ὅθεν καθαρὰν γάμου φυλάξαι ἕως τῆς ἀποκυήσεως. καὶ γίνεται Πλάτων κτλ.*

Apparet nobili traditione uti de Platone ex virgine edito Hieronymum, qui tres dogmatis auctores, inter quos Speusippus gravissimus est, a Diogene prolatos et ipse profert.[1]) laudandus igitur est Bockius,

1) prae consensu nominum illorum trium differentiae inter Hieronymum et Laertium in designandis titulis operum citatorum ad hanc quaestionem momentum parvum habent. certe quod Hieronymus Anaxilidis librum II *philosophiae*, Laertius eiusdem auctoris librum II *περὶ φιλοσόφων* dicit, praetereo. gravius est (quod curare debent qui Speusippeorum librorum memoriae ordinandae vacant), quod Hieronymi auctor Speusippi et Clearchi scriptis unum titulum communem *laudis Platonis* tribuisse videtur; vetus enim controversia est, num Speusippi *Πλ. περίδειπνον* a Diogene citatum idem scriptum atque eius *Πλάτωνος ἐγκώμιον* fuerit, cf. Zeller, *D. Phil.* II 1⁴ p. 1007 adn. — astipulor autem, indulgens huic testimonio Hieronymi, Paulo Lang, *de Speusippi academici scriptis, accedunt fragmenta* (diss. Bonn 1911) p. 32 seqq. decernenti, unum tantum librum de Platone confecisse Speusippum eumque librum *Πλάτωνος ἐγκώμιον* inscriptum fuisse. quamquam illud eidem Langio dare nequeo, in Diogene titulos librorum Speusippi et Clearchi inter se confusos esse cumque prioribus quibusdam legendum esse *Σπεύσιππος δ' ἐν τῷ Πλάτωνος*

quod naviter perscrutatus auctores graecos Hieronymi spretis latinis Porphyrium appellavit fontem huius loci. atque Bockius cum vidisset, a Luebeckio, *Hier.* eqs. p. 64 seqq. inter litteras gentiles Hieronymo notas referri Porphyrii *φιλόσ. ἱστ.*, ex hoc opere repetebat memoriam Hieronymianam de Platonis partu, ratus Laertium Diogenem et Porphyrium eandem traditionem biographicam sequi. manifestus autem mihi quoque videtur esse usus Porphyrianus Hieronymi hoc loco, quo gaudeo aliquem praeivisse me ponentem compilationem Porphyrii in priore libro *adv. Iovinianum.* ceterum hoc quoque loco eo maiore cum fiducia decernemus, Hieronymum pendere a Porphyrio, quo diligentius perlustraverimus multos illos testes famae Platonis ex vir-

---

ἐγκωμίῳ καὶ Κλέαρχος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Πλάτωνος περιδείπνῳ. nam in ea re longe a vero Langius aberravit, quod ex consensu Hieronymi cum Diogene in *laude Platonis* Clearcho tributa nil efficiendum esse dicit, nisi admodum vetustum esse errorem traditionis Laertianae. an vero censet Langius redire Hieronymum ad Diogenem? immo Porphyrium i. e. Hieronymum ad litteras isagogicas in Platonem saeculi I christiani ineuntis revocandum esse probaturus sum. ceterum nullam causam idoneam attulit Langius, qua cogeremur abiudicare a Clearcho *Πλ. ἐγκώμιον* (Mueller *FHG.* II p. 316). nam quod Wilamowitzio, *Antig. von Kar.* p. 195 seqq. arcessito propter simultates, quae intercesserint inter academicos et peripateticos aetate Clearchi, laudationem Platonis Clearcho peripatetico adscribere Langius recusat, cum de ipso Clearcho nihil habeat, ea levia sunt. nolo persequi in universum varietatem scholae peripateticae; at Clearchus certe *πολλὰ τοῦ περιπάτου παρέτρεψεν* (Plut. *π. τ. ἐμφαιν. προσώπου κτλ.* 2 p. 920 F). deinde quid prodest Langio abiudicare *Πλ. ἐγκώμιον* a Clearcho, adiudicanti eidem peripatetico *Πλ. περίδειπνον*, aliud laudandi genus? verissime nimirum confertur cum memoria de Speusippi *Πλ. περιδείπνῳ* Timonis *Ἀρκεσιλάου περίδειπνον*, de quo Laertius IX 115 *ἐπῄνεκεν* (*ὁ Τίμων*) *αὐτὸν* (*τὸν Ἀρκεσίλαον*) *ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἀρκεσιλάου περιδείπνῳ* (cf. Wachsmuth, *Sillogr. Graec. rel.*[2] p. 29 seq.).

Diogenis igitur locum de Speusippo et Clearcho Platonem laudantibus ut recte absolvas, proficiscendum est a Porphyrio, eiusdem traditionis, qua Diogenes utitur, formam puriorem praestante. in memoriam Porphyrianam *Speusippus quoque sororis Platonis filius et Clearcus in laude Platonis* eqs. intravit ex fonte seriore inscriptio *ἐν τῷ ἐπιγραφ. Πλ. περιδείπνῳ.* cur vero Speusippi *ἐγκωμίῳ* usurpative titulus iste subsidiarius *Πλ. περίδειπνον* recentioribus temporibus addi potuerit, eius rei causa infuisse putanda est ipsi indoli et argumento *ἐγκωμίου* Speusippei deperditi. quod *ἐγκώμιον* ne cum Hirzelio, *D. Dialog.* t. I p. 345 adn. 5 putes dialogum fuisse, tibi sane dubitandum erit num ea obstent, quae Langius l. l. p. 47 sagaciter enucleavit de indice Laertiano librorum Speusippeorum. nihilo setius quae Langius p. 35 seqq. de necessitudine inter Isocratis *Εὐαγόραν* et Speusippi *Πλ. ἐγκώμιον* intercedente exposuit, ea cassa mihi videntur perinde ac visa sunt Wilhelmo Nestle, *Berl. Philol. Woch.* XXXIII (1913) p. 196. sermone philosophico potius quam oratione Isocratea Plato a Speusippo laudatus est.

gine editi collectos imprimis ab Hermanno Vsener, *Das Weihnachtsfest*[2] (Bonnae 1911) p. 72 et Hermanno Breitenbach eiusque sociis *Diogenis Laertii vita Platonis* (Basil. 1907) p. 2: Plut. *συμποσ. προβλ.* VIII 1, 2 p. 717 E, Apul. *Plat.* I 1, Orig. *κ. Κέλσ.* I 37 p. 89, 8 seqq. Koetsch., VI 8 p. 78, 3 seqq., Olympiod. *βίου. Πλάτ.* 1 ed. Plat. Herm. t. VI p. 191, *Προλεγ. τῆς Πλάτ. φιλ.* 2 ibid p. 197 (= Anonym. *βίου. Πλ.* p. 6, 23 seqq. ed. Westermann Paris. 1878), Suid. s. v. *Πλ.* — quorum testimoniorum distat longissime ab Hieronymo christianum Origenis; nam Origenes, ut iam supra c. III p. 81 adnotavi, *κ. Κέλσ.* tam I 37 quam VI 8 pro nomine optime tradito matris Platonis *Perictione*[1]) praebet *Amphictionen*; deinde pro *Speusippo Clearcho Anaxilide* famae auctoribus appellat *Aristandrum* et biographos Platonicos VI 8: *περὶ μὲν Πλάτωνος Ἀρίστανδρος οἶμαι ἀνέγραψεν ὡς οὐκ Ἀρίστωνος υἱοῦ ἀλλὰ φάσματος ἐν Ἀπόλλωνος εἴδει προσελθόντος τῇ Ἀμφικτιόνῃ· καὶ ἄλλοι δὲ πλείονες τῶν Πλατωνικῶν ἐν τῷ Πλάτωνος βίῳ τοιαῦτ' εἰρήκασι.* tantum in usu vocabuli *φάσματος* conspirat Origenes cum Hieronymo absentis a Plutarcho, Apuleio, Laertio Diogene, *Προλεγ. τῆς Πλ. φιλ.*, Suida. sed Olympiodorus quoque voce *φάσματος* utitur, cuius neoplatonici locutio *φάσμα Ἀπολλωνιακὸν συνεγένετο τῇ μητρὶ αὐτοῦ τῇ Περικτιόνῃ* omnino maxime accedit ad Hieronymi verba *Perictionem matrem Platonis fasmate Apollinis oppressam.* alterum igitur indicium Porphyrii neoplatonici auctoris Hieronymi cernitur in discrimine ab Origene, in affinitate dictionis Olympiodoreae; alterum in eo, quod Hieronymus a biographis Platonicis, more sophistarum nomina fontium et titulos librorum aspernantibus, Apuleio, *Προλεγ. τ. Πλ. φ.* nec non hac in re etiam ab Olympiodoro recedens citatis fontibus se litteratissimum praestat. sic quoniam utrumque ad Porphyrium egregie quadrat, indicia duo auctoris Hieronymi in unum conveniunt.

Atque etiam in l. II *adv. Iovin.* et hic quidem in vita Diogenis cynici II 14 p. 344 D seqq. cum Laertio Diogene consensus Hieronymi ex usu eius Porphyriano repetebatur; ubi Fr. Leo, *Die griech.-röm. Biographie* (1901) p. 120 seqq. Hieronymum vel potius Porphyrium item atque Laertium ex Diogenis cynici vita compendiosa quadam eaque plena Satyri memoria biographi peripate-

1) Laertius Diogenes tradit praeter nomen *Περικτιόνης* III 1 ἢ *Πωτώνης*, item Suidas s. v. *Πλ.*; quot aliorum testimoniis nomen prius Laertii et Suidae insuper firmetur, vide in Laertii ed. Basil. 1907 ad. l. p. 1.

tici ab Hieronymo p. 345 A citati hausisse opinatur.[1]) iam vero in ortu Platonis non contentus ad Porphyrium Hieronymum rettulisse flagitabis etiam fortius quam in alterius libri Hieronymiani vita Diogenis cynici, ut definiatur, quo ab auctore communi Laertius et Porphyrius pendeant. nimirum in Laertii libro III, qui de Platone est, multo felicius exploratio fontium eius hoc tempore provecta est quam in reliquis libris. quodsi circumspicies inter biographos Platonicos, sive servatos sive perditos, at servatorum testimoniis notos, quis *Speusippum Clearchum Anaxilidem* Laertii et Hieronymi in unum coegerit, primum memor sis eorum quae de fontibus libri III Laertiani expedita ab I. Freudenthal, *Hellenistische Studien* fasc. III (Berol. 1879) p. 265 seqq.

---

1) in Hieronymo *adv. Iovin.* II 14 legitur ante nomen Satyri ab eo citatum narratio de Antisthene magistro electo a Diogene cynico, eademque narratio ducit in Laertio eam vitae partem, quae toto cursu orationis et textura rerum cum Hieronymo congruit. ex hac re Leo fecit rationem, cur Porphyrium compendium in Laertio adhibitum et ipsum adhibuisse diceret. quae ratio etiamsi non careat pondere, tamen nonnulla suadent, ut Satyrum ipsum Porphyrium adiisse putemus atque ex hoc scriptore vetusto compendium illud recentius supplevisse. nam cum Leo in Hieronymo fluere largius plerumque et purius memoriam Satyri quam in Laertio ipse viderit p. 123, non vidit, quantam partem memoriae Porphyrianae Satyri Hieronymus suppressisse putandus sit. Hieronymus omnino tantum delibamenta textus Porphyriani in novum textum consuit. velut Chaeremonis memoria Porphyrii, de qua cf. supra c. III 3 p. 84, περὶ ἀπ. ἐμψ. IV 6 seqq. fere versus CXXII ed. Nauck. Teubn. continet, Hieronymi excerptum huius memoriae tantum XXXVI fere Vallarsii versiculos. neque Chaeremonem praeter morem suum Porphyrius decurtavit, immo omnis textus Porphyrianus ab Hieronymo fortiter concisus est, ut docent Luebeckii tabellae *Hier.* eqs. p. 67 seqq., supplendae ex huius libri appendice. tribuo igitur lectionem Satyri Porphyrio confidenter, firmaturque duravisse Satyri lectionem apud doctos usque in christiana saecula papyro saec. alterius Oxyrhynchita offerente Σατύρου βίων ἀναγραφῆς $\overline{ϛ}$ (*the Oxyrh. pap. part.* IX ed. ab Arth. S. Hunt, Lond. 1912, p. 124 seqq.). ceterum Leo ipse adnotans de Porphyrii φιλος. ἱστ. l. l. p. 262 adn. 2 discrimen inter Laertii doctrinam compendiosam et Porphyrii sermonem eruditione optima refertum facunde explicuit. denique facit vel id in Satyrum inter auctores sera Porphyrii aetate lectos numerandum, quod Satyrus unus ex quattuor illis biographis Graecorum est, quos Hieronymus *de vir. ill. praef.* celebrat: *fecerunt quidem hoc idem apud Graecos Hermippus peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus, doctus vir, et longe omnium doctissimus Aristoxenus musicus.* quae nomina ex Suetonio transtulit Hieronymus (cf. Wilamowitz, *Philol. Unters.* fasc. IV, 1881, p. 27 adn. 1, Leo l. l. p. 325); sed si modo horum scriptorum vetustorum Hieronymo recens et vivida imago suppetebat, id Porphyrio tulit acceptum. de Socratis vita Aristoxeni a Porphyrio excripta modo p. 132 egi, usum Hermippeum Porphyrii perstrinxit Bernays, *Theophrastos'* eqs. p. 31 et 158.

et p. 304 seq. placuerunt aliis ut Wilamowitzio, *Philol. Unters.* fasc. III (Berol. 1880) p. 151 et fasc. IV (1881) p. 330, Leoni, *Die gr.-r. Biogr.* p. 54 seq., Schwartzio, *Realenc.* V 742. vita Platonis Laertii ex libro isagogico aliquo in studium Platonis manavit, quales inter libros Thrasylli opus, cuius de titulo non constat, de natura constat (cf. Vsener, *Goett. Nachr.* 1892 p. 210), praecipuum locum obtinuit. Thrasyllus igitur etiamsi nil meruit de memoria servanda dialogorum Platonis fidelissime propagatorum corpore, quod falso Thrasylli vocant, tetralogiarum novem saec. III ante Chr. n. ab academicis condito (cf. *Archiv für Gesch. d. Philos.* XVII 1904 p. 474 seqq.), tamen meruit de compendiosa traditione vitae indicisque librorum Platonis saeculis christianis. atque Thrasylli nomen Leo quidem l. l. p. 54 non verebatur inferre in sermonem de fontibus Laertianis ut eius auctoris, a quo vulgata memoria vitae Platonicae aevo imperatorio aptissime penderet. neque ego dubito ad Thrasyllum referre *Speusippum Clearchum Anaxilidem* Laertii et Hieronymi permotus causis quibusdam specialibus etiam magis quam generali exploratione fontium Laertianorum. Anaxilidem enim Augusti aetate vixisse Schwartzius probabiliter coniecit *Realenc.* I 2083 sub v. *Anaxilaides.*[1]) ergo Thrasyllo pro auctore catalogi nominum illorum trium habito sub Tiberio scribente egregie explicatur, cur catalogus inde a Speusippo usque ad Anaxilidem currat. nempe ratio aliqua catalogi nominum illorum vehementer desideratur, quoniam Aristander[2]) ab Origene VI 8 advocatus docet, auctores illos tres Laertii et Porphyrii non solos fuisse, quibus quis in biographia Platonis vulgata versatus ortum eius divinum firmare potuerit. praeterea quae apud Laertium loco de ortu Platonis proxime antecedit deductio proavorum Platonis ab Neptuno fere in fronte libri III, hanc prodit Laertius diserte narrari apud se *κατὰ Θράσυλλον.*

qui vero et quot inter Thrasyllum et Laertium auctores ponantur medii propagantes tria illa nomina in unum congesta a Thrasyllo, aliis decernendum relinquo inquirentibus in fontes Laertii; at inter Por-

1) forma Ἀναξιλαΐδης in Cobeti Laertio est, Ἀναξιλίδης restituitur in ed. Basil. ex varia scriptura codicum Laertii atque ex Hieronymo, ubi *Anaxilides*: *AC* Vall.; *Amaxilides*: *ES8*; *Anaxalides*: *B*; *Anaxalidis*: *M.* — Ἀναξιλείδης proponit P. Lang, *de Speusippi* eqs. (diss. Bonn. 1911) p. 61.

2) de Aristandro nihil compertum est, nisi quae ex Origene discuntur. de Aristandro qui apud scriptores historiae Alexandri saepius commemoratur, cf. *Realenc.* t. II p. 859 seq.

phyrium et Thrasyllum ut medium quendam auctorem ponas, equidem non permitto. deceptus autem est qui de Nauckii fragmento quodam vitae Platonicae Porphyrii (*Porph. opp. sel.*² p. 13 *φιλοσ. ἱστ.* frg. XIV) locutus deque neoplatonicis recentioribus haurientibus ex Porphyrio Platonis biographo, Favorinum aetatis Hadrianeae sophistam fontem principalem memoriae Porphyrianae vitae Platonicae esse voluit E. Maass, *Philol. Unters.* fasc. III (Berol. 1880) p. 67 seqq., quem corripuit Wilamowitz ibid. p. 151 seqq. atque Maassium Hieronymi locus de ortu Platonis ad Porphyrium referendus praeterierat, in quem locum ne alium quidem incidisse vidi inter quaerentes, unde Laertius in vita Platonis penderet. — deinde inter scriptores introductionum Platonicarum post Thrasyllum et ante Porphyrium degentes elucet Gaius, philosophorum doctor illustrissimus saec. II christiani ineuntis, cuius scholae quantum valuerint apud neoplatonicos Hermannus Diels, *Anonymer Kommentar zu Plat. Theaet.* (Berol. 1905) p. XXVI seqq. et Thaddaeus Sinko, *de Apulei et Albini doctr. Plat. adumbratione* (*diss. philol. cl. ac. Cracov.* XLI 1905 p. 129 seqq.) monstrabant. sed in doctrina potius quam in vita Platonis compendiis propaganda Gai auctoritas praecellebat; et quamvis de affinitate Apulei, *Προλεγ. τ. Πλ. φιλ.*, Olympiodori vitarum Platonis Sinko l. l. p. 175 seqq. sermonem instituerit, tamen biographos hos immerito ex uno Gaio totos repeti certissimum est.[1]) — praeter Favorinum autem Gaiumque si perlustraveris nomina auctorum inter Thrasyllum et Porphyrium florentium, de quibus sic actum sit a philologis huius aevi, ut catalogum nominum *Speusippi*

1) scabris argumentis Sinko artiorem cognationem Apulei cum vitis *Προλεγ. τ. Πλ. φ.* et Olympiodori esse contendebat. velut quae Apuleius habet I 1 de *Apollinis figuratione* se cum Perictione miscente, ea peculiariter conspirare dicit p. 177 cum Olympiodoro c. 1 p. 191 Herm. solo *φάσμα Ἀπολλωνιακόν* memorante. ubi primum neglegentiae damnandus est Sinko, quem praeteriere Origenes et Hieronymus de *phasmate* loquentes. deinde ignorat quid graece *figuratio* sit; cui vocabulo Apulei non Graecorum *φάσμα*, sed *σχηματισμός* respondet. atque in Perictione deum passa egregius usus est vocabuli *σχηματισμοῦ*; cf. Plut. *ἐρωτικ.* 21 p. 766 E *καὶ γὰρ εἴδωλα δήπουθεν ἐνδυόμενα τοῖς ἐρωτικοῖς καὶ διατρέχοντα, κινεῖν καὶ γαργαλίζειν τὸν ὄγκον εἰς σπέρμα συνολισθαίνοντα τοῖς ἄλλοις σχηματισμοῖς, οὐ δυνατὸν μὲν ἀπὸ παίδων, ἀδύνατον δὲ ἀπὸ γυναικῶν.* etiam magis quam peccata singula Sinkonis fundamentum nimis angustum offendit, in quo quaestionem de ratione inter Apuleium, Olympiodorum, *Προλεγ. τ. Πλ. φ.* intercedente exstruxit. qui de neoplatonicorum vitis Platonicis locutus ne verbo quidem memoravit Porphyrii vitam Platonis.

Clearchi Anaxilidis Porphyrius perinde ac Diogenes posset ab iis accepisse, διαδοχῶν scriptores succurrunt pro fontibus principalibus universi operis Laertiani a quibusdam habiti. velut sub Nerone scribentis Niciae Nicaeensis opus διαδοχῶν vertisse Laertium in fundamentum sui operis operi Niciae superponendi Hermannus Vsener mira disserendi virtute et in scholis Bonnensibus docebat et in acta rettulit *Sitzungsberichte d. Akad. zu Berlin* 1892, p. 1023 seqq.: *Die Unterlage des Laertius Diogenes.* at Porphyrius platonicus platonicis sectae capitis vitam curiose descriptam suppeditaturus libros isagogicos platonicorum, fontes posteriorum διαδοχῶν scriptorum ipsos adiisse imprimis censendus est; itemque probabile est ne in aevi quidem Hadrianei compendiis Porphyrium acquievisse, sed protraxisse vetustiora. quod quoniam supra temporis rationem indicavi, cur nomina *Speusippi Clearchi Anaxilidis* Laertii et Hieronymi ad Thrasyllum redeant, nulla res opus est ad probandum Porphyrii usum Thrasylli nisi testimonium disertum librorum Thrasylleorum sera neoplatonicorum aetate lectitatorum; quod testimonium Iulianus Caesar suggerit *Ἰουλ. ἀντ. Θεμιστίῳ φιλ.* p. 265 C seq.: *Θράσυλλος δὲ Τιβερίῳ πικρῷ καὶ φύσει χαλεπῷ τυράννῳ ξυγγενόμενος, εἰ μὴ διὰ τῶν καταλειφθέντων ὑπ' αὐτοῦ λόγων ἀπελογήσατο, δείξας ὅστις ἦν, ὤφλεν ἂν εἰς τέλος αἰσχύνην ἀναπάλλακτον, οὕτως αὐτὸν οὐδὲν ὤνησεν ἡ πολιτεία.*[1]) ergo in Hieronymum loquentem de Platone ex virgine edito Thrasyllus intercedente Porphyrio devenit. qui locus Hieronymi explorationi fontium Laertii Diogenis in vita Platonis usui est.

A Laertio Diogene et curis biographicis redeo ad virginitatem

1) usque ad hunc diem pervenerunt Thrasylleae scripturae breviaria quaedam astrologica, v. F. Cumont apud P. Boudreaux, *Catal. codd. astrol. Graec.* t. VIII pars III (Bruxellis 1912) p. 99 seqq. *συγκεφαλαίωσις τοῦ πρὸς Ἱεροκλέα Θρασύλλου πίνακος* (cf. F. Boll, *Wochenschr. f. kl. Phil.* XXX 1913 p. 121 seqq.). Porphyrius citavit Thrasyllum in servato scripto astrologico *εἰσαγ. εἰς τὴν ἀποτελεσμ. τ. Πτολεμαίου* (ed. Basil. 1559) p. 189, 39 seqq. et 195, 21. — ceterum Speusippum ipsum a Porphyrio adhiberi potuisse, praefracte negare nolo: Porphyrio debetur Speusippi frg. 32 c Lang (diss. Bonn. 1911); eclogam longam scripti Speusippei *περὶ Πυθαγορικῶν ἀριθμῶν* servavit neoplatonicorum Iamblichus *Θεολογ. ἀριθμ.* p. 61, 8 seqq. Ast, foras datam a Langio ex codicibus Marciano et Laurentiano l. l. p. 53 seqq. (Speus. frg. 4). sed quia apud Hieronymum Speusippi memoria cum Clearchi et Anaxilidis copulata propagatur, apparet hoc loco Porphyrium ex traditione secundaria Speusippum accepisse.

variis exemplis ab Hieronymo c. 42 p. 309 B seqq. celebratam. atque in exemplo Platonis ab Apolline prosati iam Bockio mihique astipulaberis de Porphyrio habendo pro fonte Hieronymi. nec vero id moleste feres, si rursus abhorrens a Bockio ex opere ethico deperdito Porphyrii adnotationem Hieronymi de ortu Platonis deduxerim, non ex φιλοσ. ἱστ., opere biographico. facillime enim sumitur, quae res innotuerint Porphyrio philosophorum biographo, ex iisdem fecisse eum argumenta dogmatica scriptorum moralium. velut consensus quoque Laertii Diogenis cum Hieronymo sive Porphyrio in vita Diogenis cynici, de quo Leonem egisse modo adnotavi, fit in morali Porphyrii opere περὶ ἀπ. ἐμψ., cuius exitum hodie amissum (p. 269 seq. Nauck) Hieronymus compilaverat. cave autem mihi obicias, Diogenem cynicum ex opere περὶ ἀπ. ἐμψ. in Hieronymum delapsum idcirco parum apte afferri ad sustentandum Platonis ortum ab Hieronymo ex dogmatico opere Porphyrii petitum, quia in Porphyrii φιλοσ. ἱστ. Plato tractatus erat, Diogenes cynicus non iam item (cf. G. Wolff, *Porph. de phil. ex orac. haur.* Berol. 1856 p. 15; Nauck, *Porph. opp. sel.*[2] p. 3); nam obloquenti ad hunc modum statim dabo exemplum alterum libri II *adv. Iovin.*, ubi de Platonis vita ex opere dogmatico Porphyrii περὶ ἀπ. ἐμψ. fluxit memoria notabilissima, a qua vacavisse opus biographicum Porphyrii φιλόσ. ἱστ., cuius liber IV totus Platoni dicatus erat, aegre credas. quamquam hoc loco libri II *adv. Iovin.* Luebeck non vidit Hieronymum pendere a Porphyrio:

Hier. II 9 p. 338 A seq.:	*Porphyr. περὶ ἀπ ἐμψ. I 36 p. 112, 24 seqq. N.:*
sed et ipse Plato . . . elegit Academiam villam ab urbe procul, non solum desertam, sed et pestilentem.	Πλάτων δὲ τὴν Ἀκαδήμειαν οἰκεῖν εἵλετο, οὐ μόνον ἔρημον καὶ πόρρω τοῦ ἄστεος χωρίον, ἀλλὰ καί, ὥς φασίν, ἐπίνοσον.

Secure igitur possunt tribui vel quae ad philosophorum vitas a Porphyrio tractatas spectant exempla Hieronymiana de castitate et nuptiis operi cuidam morali Porphyrii.[1]) ac velim mente memori teneas, quae de Porphyrio etiam extra φιλοσ. ἱστ. in vitis philosophorum versante hoc te doceat exemplum Academiae pestilentis. animus enim est mihi alias quoque narratiunculas ad vitas philosophorum pertinen-

1) etiam Norden, *Agnostos Theos* (Lips. 1913) p. 344 de Porphyrio sollemniter res in uno opere tractatas retractante in alio opere quaedam observavit.

tes, quae apud Hieronymum p. 309 D excipiunt locum de ortu Platonis, ex opere aliquo dogmatico Porphyrii repetere.[1])

2

Is autem locus libri I *adv. Iovin.*, qui a Bockio ante me ad Porphyrium verissime relatus est, legitur inter alia exempla, quae ad unum omnia eiusdem originis sunt. Platoni ex virgine edito antecedit p. 309 B seq. Buddha ex virgine natus, secuntur narratiunculae p. 309 D de filia Pythagorae castitatis magistra et de Diodori Socratici filiabus quinque dialecticis. denique his narratiunculis adnectuntur christianorum dominus et salvator ex virgine procreatus atque gentis romanae auctores Romulus Remusque ex Ilia virgine et Marte geniti.

quae dogmata et exempla virginitatis inde a Buddha usque ad Iliam decurrentia replent totum caput 42 clauduntque Hieronymi sermonem de virginibus capita 41 et 42 complectentem, sermoni de nuptiis capitum 43—49 praemissum, nec minus argumento secum cohaerent. sed ut appareat, quod vinculum rebus inhaerens exempla capitis 42 copulet, necesse est breviter contemplari, quo ordine Hieronymi omnis sermo ethnicus de virginitate ingrediatur.

Qui igitur a capite 41 longissimo illo atque caput 42 partibus multis exsuperante incipit virginitatis sermo, is incipere haud scio an primo obtutu videatur a vasta congerie exemplorum in unum acervum coactorum casu potius quam ratione. tamen, si acrius intueris, haec satura exemplorum accurate discedit in lances duas, ita ut ex uno capite 41 quasi duo nascantur. quamquam prima exempla *Atalanten*, *Harpalycen*, *Camillam* non multum laboro sub dispositionis formulam redigere. quae est Hieronymi cum Vergilio familiaritas intima (cf. Luebeck, *Hier.* eqs. p. 167 seqq.), facile intellegitur, quomodo factum sit, ut sermonem condere aggressus de virginibus saeculi citaret verbum de *Camilla Aen.* XI 508 *o decus Italiae virgo*, nec non mentionem iniceret *Harpalyces* descriptae *Aen.* I 316. *Ata-*

1) cum anticipem quae infra demum probaturus sum, ascetica ratione congruit praesertim Porphyrius cum Plotino; φιλόσ. ἱστ. scripsisse Porphyrius videtur, antequam Plotini factus est discipulus (cf. Bidez, *vie de Porphyre* p. 34). itaque exempla virginitatis rationisque asceticae Hieronymiana, quae revoco ad Porphyrium, non revoco ad φιλόσ. ἱστ.

lanten autem ante has Vergilii virgines obviam aut ex eruditione rhetorica generali (cf. e. g. Clem. Alex. *στρωμ.* IV 19, 121, 1 p. 301, 19 Staehl.) aut ex Ovidii *met.* VIII 317 seqq. X 567 seq. recordatione Hieronymus dedit; certe similiter fere hoc loco *Atalanten* infert flosculo p. 306 C *referunt fabulae* atque *in Is.* 30, 26 t. IV p. 416 C Vall. locutione *iuxta fabulas poetarum* Ovidii imitationem *met.* I 111. iam vero exempla virginitatis, quae post *Atalanten* et Vergilianas virgines inde a p. 306 D *Chalcooeco* pestilentiam patriae spontanea morte solvente usque ad p. 307 C zodiaci *Virginem* leguntur, universa poni possunt sub aspectu uno, cum trahantur universa ex gentilium superstitione. rursus quae haec exempla excipiunt inde a p. 307 D *Phidonis* filiabus servantibus morte pudicitiam post patrem a triginta tyrannis Atheniensibus necatum usque ad p. 309 B Thebanam virginem iugulantem violatorem castitatis suae hostem Macedonem, illa exempla et ipsa congregantur circa unam rationem: pertinent universa ad rerum gestarum memoriam, narratiunculae sunt tractae ex graecae gentis historia.

has igitur duas in partes distinctus capitis 41 sermo de virginitate desinit in tertiam partem, capitis 42 Buddham Platonem Christum Romulum Remumque editos ex virginibus, nec non in philosophantes virgines, Pythagorae et Diodori Socratici filias. quae capitis 42 exempla sortis duplicis esse, nec tamen duplicis, si me audies, statim scies. atque decebat sane Hieronymum, scriptorem christianum, ex mysterio matris immaculatae cumulum sermonis philosophici de virginitate facere, etiamsi ex hoc mysterio nemo ecclesiasticorum priorum argumenta philosophica vitae castae deduxerit; velut Tertullianus librum *de exhort. cast.* in saecularia exempla ipse quoque exire iussit, sed in virgines Vestae, sacerdotes Iunonis et Dianae, exempla talia. at illud certe mirum nimis atque indignum scriptore christiano mihi videtur notandum esse in cumulo sermonis saecularis Hieronymi de virginitate, quod matris immaculatae exemplis intexuntur philosophantes virgines, Pythagorica et Socraticae. dubito an ea re auctor Hieronymi apertus fiat philosophus platonicus, quod dogma mysticum et studium philosophiae dignitate paria habentur in vitae castae suasionis cumulo.

Itaque eo ordine decurrunt capita 41 et 42, ut virginitatis exempla deinceps petantur ex gentilium superstitione (c. 41 p. 306 D—307 C), historia (c. 41 p. 307 D—309 B), philosophia (c. 42)

quas partes tres doctrinae virgineae Hieronymi sua quamque quaestione tractabo, ita ut partes sermonis mei inverso ordine assequantur partes sermonis Hieronymiani. primum originem exemplorum philosophicorum, quae voco, Porphyrianam, qua in designanda media versor — nam Platonis ortum absolvimus — pergo expedire. tum narratiunculas ex historia graeca oriundas item ut exempla philosophica omnes ad unam reddam Porphyrio. postremo de exemplis agam ad gentilium superstitionem pertinentibus exorsus c. VI. nam haec exempla quamquam et ipsa partim Porphyrium redolent, tamen mixta sunt ex compluribus fontibus.

Totum igitur caput 42 nihil esse dico nisi epitomam quandam sermonis platonici argumenti consimilis. quod argumentum quod manus ecclesiasticas passum est, non iis rebus proditur, quae adsunt, sed iis quae desunt. velut *Pythaidem*, Pythagorae matrem Apolline gravidam, de qua referunt Porphyrius *Πυϑ. βίου* 2 p. 18 N. et Iamblichus *περὶ τοῦ Πυϑ. βίου* 2, 4 seqq. p. 9 N., noluisse opinor Hieronymum addere *Perictionae*, ne se pasci fructibus neoplatonicis fratres tandem sentirent. quot fabulis praeter Hieronymianas conceptus immaculatus mulierum humanarum antiquitate concelebratus sit, collectaneis docent Vsener, *Das Weihnachtsf.*[2] p. 71 seqq. et Fehrle, *Die kult. Keuschh.* eqs. p. 3 seqq. et 21 seqq. (cf. etiam Wendland, *Christentum u. Hellenismus in ihren literarischen Beziehungen, N. Jahrb.* IX 1902 p. 5 adn. 1). hac una ratione vereor, ne paullulum immutaverit Hieronymus argumentum conceptus immaculati platonicum, ut castarum quoque mulierum nullas alias nisi virgines, virginitatis praemium merentes, compressu deorum dignas habitas esse diceret.[1]) nempe in Platonis partu narrando nihil de virginitate Perictionae, quam Hieronymus expresse memorat, praebent vitae neoplatonicae Olympiodori 1 p. 191 H. et *Προλ. τ. Πλ. φιλ.* 2 p. 197 H. atque item ut nullae mulieres nisi virgines pro-

1) Vsener l. l. p. 78 seqq. non exposuit, ex puellis fabularum dis gravidis in religione philosophica et christiana virginem factam esse immaculatam, cum differat virginitas moralis a virginitate superstitiosa. sensus mysticus virginitatis Mariae non tam sponsus Christus quam *αὐτάρκεια* humana est. cf. Ambrosium *virg.* II 2, 6 seqq. p. 208 C seqq. Migne, qui ipsa verba de sapiente dicta a Theophrasto apud Hieronymum p. 315 C, de Romanorum Catone prisco dicta a Cicerone *de rep.* I 27 et *de off.* III 1, in Mariam transtulit p. 210 A *quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset.*

feruntur ab Hieronymo passae conceptum immaculatum, etiam nullae nisi virgines ab eo philosophatae esse dicuntur, cum mulieres philosophantes tam aliae quam excellentes castitate in memoria veterum plures fuerint, ut catalogi docent talium mulierum cum antiquus Clementis Alexandrini *στρωμ.* IV 19 (121, 2 seqq.) p. 301, 22 seqq. Staehl., tum recens, Aegidii Menagii *historia mulierum philosopharum* (Amstelod. 1692).

Sed satis habeo cursim indicavisse, unde exempla mulierum castarum similia exemplis virginum capitis Hieronymiani 42 liceat nullo sudore promere, ut pateat, quo iure sentiam Hieronymi, scriptoris christiani, caput epitomam esse largioris sermonis platonici argumenti consimilis. nunc revertor ab iis, quae desiderari possunt in capite illo, ad ea quae adsunt.

De Diodori filiis dialecticis p. 309 D quae Hieronymus exhibet *Diodorus Socraticus quinque filias dialecticas insignis pudicitiae habuisse narratur, de quibus et Philo, Carneadis magister, plenissimam scribit historiam,* ea ex traditione vetere fluxisse Clemens firmat Alexandrinus, quem iam Menagius l. l. p. 60 composuit cum Hieronymo, unicum Diodori filiarum praeter Hieronymum testem, *στρωμ.* IV 19 (121, 5) p. 302, 6 seqq. *αἱ γὰρ Διοδώρου τοῦ Κρόνου ἐπικληθέντος θυγατέρες πᾶσαι διαλεκτικαὶ γεγόνασιν, ὥς φησι Φίλων ὁ διαλεκτικὸς ἐν τῷ Μενεξένῳ, ὧν τὰ ὀνόματα παρατίθεται τάδε· Μενεξένη, Ἀργεία, Θεογνίς, Ἀρτεμισία, Παντάκλεια.* qui locus Clementis comparatus cum Hieronymiano non solum illud monstrat, quam bonum auctorem Hieronymus exscripserit, verum etiam diversum auctorem exscripsisse eum a Clemente. nam *Socraticum* fuisse Diodorum, quomodo ex Clemente Hieronymus cognoscere valuerit, non video. praeterea eo discrepat a Clemente, quod *Philonem,* Diodori discipulum (cf. Natorp, *Realenc.* V 705 seqq. s. v. *Diodoros 42*), *Carneadis magistrum* vocat, errore quidem (cf. Zeller, *Die Philos.* II 1⁴ p. 250 adn. 1), sed eo errore, cui haud scio an veri quid subsit. dialectici enim Socratici scholae Megaricae, quorum in numero Philo, Diodori discipulus, est, conectuntur a *διαδοχῶν* scriptoribus ut Laertio Diogene IX 61 cum Pyrrhone et scepticis (Zeller ibid. p. 250 seq.). praeterea Carneades scepticae philosophiae vel antiquis auctor gravissimus esse visus est (Zeller l. l. III 1⁴ 516 seqq.), cuius doctrinam traditione acceptam sectabatur iuvenis aliquamdiu acerrime Philo Larissaeus,

tertius a Carneade princeps Academiae (Zeller ibid. 610 adn. 2). cum igitur item ut Philo dialecticus etiam Philo Larissaeus cum scepticis et Carneade ratione successionum iungatur, sic distinguere breviter poterat curiosus aliquis distinguendorum auctorum homonymorum Philonem Larissaeum a Philone dialectico, ut ante Carneadem hunc diceret floruisse. Hieronymum igitur opinor verba auctoris sui, quae Philonem antiquiorem cum Philone posteriore confundere prohibuerint, tam sinistre accepisse, ut sectatori Carneadis Philoni Philonem *Carneadis magistrum* opponeret. — haec de fide tribuenda Hieronymo loquenti de Diodori filiis; quas nolo relinquere, antequam monuero, ex φιλοσ. ἱστ., opere historico Porphyrii non ultra Platonem descendente, iniquum esse Diodori filias deducere, quia Diodorus vixit aetate Alexandri Magni et Ptolemaei Soteris (Zeller II 1^4 p. 247 adn. 7); nec vero qui liber III φιλοσ. ἱστ. Porphyrii vitam Socratis enarrabat, eundem librum etiam scholas Socraticas, quarum Megarica est, continuisse aliter nisi hariolando quis poterit sumere.

Breviter immorari licet in origine definienda adnotationis de Pythagorae filia philosopha p. 309 D *sed et Timaeus scribit Pythagorae virginem filiam choro virginum praefuisse et castitatis eas instituisse doctrinis.* quam adnotationem eorum qui in explanandis fontibus Hieronymi versati sunt, maxime miror neminem ad Porphyrium rettulisse. hic enim *Πυϑ. βίου* 4 p. 19, 11 seqq. N. atque Iamblichus *περὶ τοῦ Πυϑ. βίου* 30, 170 p. 124, 12 seqq. N. soli eandem rem narrant, id quod ne Menagium quidem fugerat l. l. p. 87, qui hanc filiam Pythagorae, neque ab Hieronymo neque a Porphyrio aut Iamblicho nominatim dictam, *Myiam* intellegendam esse statuit placuitque Nauckio ed. Iambl. ad. l. deinde post Menagium cum Porphyrio Hieronymum vigilanter composuerunt Mueller, *FHG.* t. I p. 211 (Tim. frg. 78), Zeller, l. l. I 1^5 p. 314 adn. 4, Geffcken, *Timaios' Geogr. d. Westens* (*Philol. Unters.* fasc. XIII Berol. 1892) p. 48 adn. 3 et 184 seq., quos omnes Iamblichum eandem rem tradere praeteriit. perspicimus autem, peculiariter consonare cum Porphyrio Hieronymum, collatis verbis Iamblichi *γήμαντα δὲ (τὸν Πυϑαγόραν) τὴν γεννηϑεῖσαν αὐτῷ ϑυγατέρα, μετὰ ταῦτα δὲ Μένωνι* (*Μίλωνι* Menagius) *τῷ Κροτωνιάτῃ συνοικήσασαν, ἀγαγεῖν οὕτως ὥστε παρϑένον μὲν οὖσαν ἡγεῖσϑαι τῶν χορῶν, γυναῖκα δὲ γενομένην πρώτην προσιέναι τοῖς βωμοῖς* et Porphyrii *Τίμαιος δ' ἱστορεῖ τὴν*

Πυθαγόρου θυγατέρα καὶ παρθένον οὖσαν ἡγεῖσθαι τῶν παρθένων ἐν Κρότωνι καὶ γυναῖκα τῶν γυναικῶν. differt a Iamblicho Porphyrius eo potissimum, quod ex more suo scribendi, a sophistarum et rhetorum rationibus longe recedente, auctorem rei a se narratae producit Timaeum, quod nomen nescio unde Hieronymus supportaverit nisi ex scripto quodam Porphyrii. de Timaeo Tauromenitano a Porphyrio et Iamblicho adhibito cf. Rohde, *Kl. Schriften* t. II p. 133 seq. et Mewaldt, *de Aristoxeni* eqs. (diss. Berol. 1904) p. 46 seq.

Ambitiosum videtur velle conicere, quis auctor Hieronymo verba de ortu divino Romuli Remique suggesserit p. 309 D seq. (*Romani*) *auctores urbis et gentis suae Ilia virgine et Marte genitos arbitrantur.* neque ego de re vulgo antiquitati nota ullum verbum facerem, si reperissem eam positam inter similes res communes litterarum omnium. at reliqua exempla capitis 42 rarioris eruditionis sunt trahique possunt ad certum auctorem, et quod *Iliam* Hieronymus matrem Romuli vocat, *Ream Silviam* Latinorum longe plerique post Livium I 3, 11 seq. dixere eam, velut Flor. I 1, Auctor *de vir. ill.* I 1, Ps.-Aur. Vict. *orig.* 20, 1 seq., Prudent. *c. Symm.* I 174, Oros. II 2, 3 et VI 1, 14. utrumque nomen memorant, sed priore loco *Reae Silviae,* secundo *Iliae* vocabulum e. g. Sol. I 17 et Aug. *civ.* XVIII 21. Vergilius tamen *Iliam* habet *Aen.* I 275 et VI 778, sed num Vergilii memor nomen sua aetate tritius *Reae Silviae* Hieronymus hoc loco spreverit, res dubia est. restant Graeci, quorum Plutarchus Porphyrio familiarissimus *Iliae* nomen praeferebat *Reae* aut *Silviae,* cf. *Ῥωμ.* 3 *ταύτην οἱ μὲν Ἰλίαν, οἱ δὲ Ῥέαν, οἱ δὲ Σιλουΐαν ὀνομάζουσι.* ibid. 8 *τὴν Ἰλίαν.*

Ortus Romuli per se nihil valet ad explicandam originem capitis 42; plurimum valet me iudice omnium exemplorum huius capitis nunc tractandus mihi Buddhae ortus divinus, a quo caput incipit p. 309 B seq.: *aput gymnosophistas Indiae quasi per manus huius opinionis auctoritas traditur, quod Buddam, principem dogmatis eorum, e latere suo virgo generarit.* plane autem singularis est haec memoria Hieronymi de partu Buddhae in litteris veterum Romanorum atque etiam Graecorum universis tam ethnicis quam christianis, eademque memoria, ut hoc praemittam, partibus omnibus egregie firmatur litteris Indicis; cf. C. Fr. Koeppen, *Die Religion des Buddha* eqs. t. I (Berol. 1857) p. 76 seqq. et E. Windisch, *Buddhas Geburt* eqs., *Abhandl. d. phil.-hist. Kl. d. sächs. Gesellsch. d. Wiss.* t. XXVI 2 (1908) p. 220 seq. tanta

igitur virtute et singularitate insignem memoriam Hieronymi remotamque prorsus a rhetorum locis et sermonibus optima spes est posse repeti ab origine sua ratione certa. sic autem de Porphyrio Buddham Hieronymo suggerente quaestionem instituo, ut simul inquiram in auctorem Porphyrii, memoriam de Buddha huic afferentem. similiter modo in ortu Platonis ex Porphyrio deducendo, cum *Speusippi Clearchi, Anaxilidis* nomina apud Hieronymum obvia pendere eum ab auctore litteratissimo annuntiavissent, finem non imposui quaestioni, antequam unde Porphyrius haec nomina accepisset, definirem. de Buddha autem ex virgine edito cum extra litteras Indicas in litteris graecis et romanis testes nulli sint, quorum ex comparatione mutua intellegi possint Porphyrii partes in Buddhae ortu tradendo, generaliter omnia, quaecumque de superstitione Buddhaicorum auctores sollemnes Hieronymi praebent, eo animo breviter percensebo, ut traditionis de ortu Buddhae via ad Hieronymum aperta fiat.

si Megasthenes principalis et summus auctor rerum Indicarum apud Graecos iam memoravisset Buddhae partum ex virgine, aegre intellegeremus, quomodo factum esset, ut Hieronymus solus inter scriptores universos veteres hanc memoriam servaret. Buddhaici tamen innotuerunt Megastheni, Graecorum *Σαρμᾶναι* sive *Σαμαναῖοι*, cf. Schwanbeck, *Megasthenis Indica* (Bonnae 1846) p. 46 seqq. adn. 45 et Tomaschek, *Realenc.* III 805 seq. s. v. *Brachmanes.* atque Buddhaicorum notitia migravit a Megasthene etiam ad christianorum Clementem Alexandrinum, cui *στρωμ.* I 15 (71, 5) p. 45, 26 seqq. Staehl. Megasthenis frg. 43 Schw. debetur, ubi distinguuntur a Bragmanis Buddhaici. item alii scriptores, qui post Megasthenem de India egerunt (cf. Schwanbeck l. l. p. 77 seqq.), christianos erudiebant de secta Buddhaica. *Σαμαναῖοι* ab Origene quoque *κ. Κέλσ.* I 24 p. 74, 21 Koetsch. proferuntur, nec non quos Clemens *στρωμ.* III 8 (60, 3 seq.) p. 224, 2 seqq. descripsit *Σεμνούς*, ascetas Indicos putes Buddhaicos fuisse cum Tomaschekio l. l. p. 806. atque a scriptoribus post Megasthenem res Indicas tractantibus commemoratus est etiam ipse Buddha, de quo Clementis Alexandrini verba sunt *στρωμ.* I 15 (71, 6) p. 46, 4 seqq. *εἰσὶ δὲ τῶν Ινδῶν οἱ τοῖς Βούττα πειθόμενοι παραγγέλμασιν, ὃν δι' ὑπερβολὴν σεμνότητος ὡς θεὸν τετιμήκασι.* quae verba quamquam Megasthenis fragmentum 43 Schw. excipiunt, tamen Strabo XV 59 seqq. p. 712 seqq. cum iis collatus docet a Megasthene ea aliena fuisse. ceterum sola re-

manet usque ad Clementem Alexandrinum haec Buddhae mentio apud Graecos. etiamsi igitur aetate hellenistica qui post Megasthenem Indiam petentes Graeci (cf. Schwanbeck l. l. p. 77 seq.) scientiam a Megasthene acceptam de situ et moribus Indiae amplificaverunt, de Buddha quoque nonnulla narraverint, tamen dogma partus virginei usque ad Clementis tempora occidentalibus ignotum erat. in litteris saeculo II christiano prioribus memoriam Hieronymi de Buddhae partu virgineo fuisse eo maiore cum confidentia negabo, quia ne apud Indos quidem dogma Buddhae ex virgine procreati multo ante aevum Augusteum excultum est. nam opera illa buddhaismi septentrionalis dogma exhibentia vix ante saec. I christianum scripta sunt (cf. Windisch l. l. p. 6).

item vero ut terminum, post quem fons Hieronymi ponendus sit, videor mihi habere etiam terminum ante quem. quem ut aperiam, sermonem repetam ab adnotatione Vallarsiana p. 309, qua Hieronymus confudisse dicitur Buddham gymnosophistarum a Clemente commemoratum cum Buddha Manichaeorum. nimirum quam rem de Buddha gymnosophistarum in litteris graecis et latinis nemo nisi Hieronymus tradidit, partum virgineum de Buddha Manichaeo auctores christiani admodum multi habent; cf. Act. Archel. (Hegem. ed. Beeson Lps. 1906) 63, 2 p. 91, 18, Socr. ἐκκλ. ἱστ. I 22 p. 125 Hussey, Crameri anecd. Paris II p. 93, 10 seqq., Phot. περὶ τῆς Μανιχ. ἀναβλ. I 12 t. 102, 37 B Migne, Suid. s. v. *Μάνης*, Cedren. p. 259 D (p. 455, 18 seq. Bekker). attamen frustra incusari Hieronymum transtulisse in Buddham gymnosophistarum dogma Buddhae Manichaei nos quidem scimus ex litteris Indicis. immo Hieronymus plane liber est a confusione quavis Buddhae Indici cum Buddha Manichaeo, atque hinc meo iure colligo, Hieronymum ad eum fontem redire, qui ante Buddham Manichaeum in litteris christianis et Manichaeis apparentem scripserit.

constat inter doctos, dogma Manichaeum de Manetis antecessore Terebintho illo ex virgine procreato, cui Buddhae nomen impositum esse vetustissimum testimonium est Actorum Archel. 63 p. 91, 17 Bees., confectorum ante medium saec. IV (cf. Bardenhewer, *Gesch. d. altk. Lit.* t. III p. 268), receptum esse ex buddhaismo in manichaeismum, cf. K. Kessler, *Mani* t. I (Berol. 1889) p. 84 et 154. quocirca mirum fit, ut antiqui scriptores ne hariolando quidem incurrerint in hanc Buddhae Manichaei explicationem. quotquot scriptores christiani de Terebintho

Buddha locuti sunt, eorum nemo Terebinthum cum India copulavit. unde in litteris Manichaeis vel iis quae hodie perierint, aut in christianis adversus Manetem pugnantibus Hieronymum invenisse suam de Buddha gymnosophistarum adnotationem veri dissimillimum est. velut Epiphanius *κατὰ αἱρέσ.* 66, 1 p. 16 seqq. Dind. commercium Manichaeorum cum India saepius (p. 17, 17 et 28. p. 18, 1. cf. etiam 66, 3 p. 20, 7) memoravit, idem tamen Buddhae nomen ex lingua Assyria trahebat ibid. p. 17, 8 seqq. *ἐκ Τερεβίνθου τινὸς . . . μετονομασθέντος δὲ Βουδδᾶ κατὰ τὴν τῶν Ἀσσυρίων γλῶτταν.* Suidas s. v. *Μάνης* Bragmanis Manetem adnumerat; idem ubi de Terebintho Buddha loquitur, Buddhae Indici immemor est. praeterea Buddham Manichaeum inducunt tacentes Indicum cum scriptores supra enumerati universi, qui partum illius ex virgine habent, tum Cyrillus Hieros. *κατηχ.* 6, 23 t. 33, 577 A Migne; cf. etiam Kessler l. l. p. 359 et 403.[1])

praeterea prohibet, ne ex litteris Manichaeis aut christianis cum Manichaeis pugnantibus memoriam de partu virgineo Buddhae gymnosophistarum in Hieronymum invectam esse credas, mira illa scientia Hieronymi rerum singularum dogmatis buddhaici. primum quod *e latere* feminae Hieronymus procreatum Buddham dicit, de ea re cf. Windisch l. l. p. 120 al. deinde quod immaculatam *virginem* Buddhae matrem Hieronymus habet, de virgine perpetua et immaculata ex Māyā, matre Buddhae, facta cf. ibid. p. 113 seqq. 138 seqq. 144 seqq. 157 seqq. denique eruditio Indica continetur etiam verbis, quae Hieronymus Buddhae ex virgine edito adiecit in comparandum dogma Buddhaicum cum opinionibus graecis p. 309 C: *nec hoc mirum de barbaris, cum Minervam quoque de capite Iovis et Liberum patrem de femine eius procreatos doctissima finxerit Graecia.* quamquam horum verborum ea, quae de Libero sunt, tantum inserviunt illustrandae rei ante memoratae, i. e. ex latere fetui edito. sed Minervae partus a veteribus non solum propter procreationem ex capite patris celebratur, verum ea praecipue superstitione augetur, quod dea edita sit perfecta statim ab ortu

1) distinguendus est Buddha Terebinthus, praeceptor Manetis, a discipulo Manetis qui *Βουδδᾶς* sim. in scriptura corrupta passim vocatur, cf. Cyrill. Hieros. *κατηχ.* 6, 31 p. 593 A Migne adn. 2, Kessler l. l. p. 405. cuius discipuli Manetis verum nomen est *Addas* Act. Archel. 64 p. 93, 8 Beeson, graece *Ἀδδᾶς* Epiphan. *κ. αἱρέσ.* 66, 5 p. 22, 16; ibid. 12 p. 30, 27; 31 p. 53, 7; Theodoret. *αἱρετ. κακομ.* I 26 t. 83 p. 380 D Migne.

omnique armorum decore praedita, cf. Hesiod. *θεογ.* 924 seqq., Hymn. Hom. *εἰς Ἀθην.* 4 seqq., Pind. *Ὀλυμπ.* VII 35 seqq., Schol. Apoll. Rhod. IV 1310. ergo vel id Hieronymi auctor de Buddhae partu ex traditione Indica compertum habuit, mundum et sui conscium credi Buddham perfectumque omnibus numeris natum esse, cf. Koeppen l. l. p. 77 seq. et Windisch l. l. p. 128; al.

quodsi notitia tam curiosa dogmatis buddhaici in Hieronymo obvia antiquiora potius tempora sapit quam ea, quibus in oriente florebat superstitio Manichaea et Buddha Terebinthus christianis innotescebat, ad auctorem saeculi alterius exeuntis vel tertii vertentis Hieronymus revocandus est. nimirum illud supra evincebatur, ante aetatem Clementis Alexandrini, qui Buddham inter Graecos primus memoravit, dogma de partu virgineo Buddhae vix venisse in orbem occidentem. aequalis autem erat Clementis Alexandrini Bardesanes, gnosticus Edessenus, Indicorum auctor, qui non solum doctrinam tralaticiam de situ et moribus Indiae propagabat — quamquam sunt, ubi ipse quoque a Megasthene pendeat, cf. Schwanbeck, *Meg. Ind.* p. 49 adn. —, sed ab ipsis Indis scientiam superstitionis buddhaicae sibi comparavit in Graecorum et Romanorum orbe antea ignotam. atque a legatis Indicis ad Caesarem proficiscentibus Antoninum Heliogabalum sermonibus a se petitis accepisse Bardesanem rerum Indicarum notitiam, Porphyrii testimonia duo sunt invicem se supplentia *περὶ Στυγός* ap. Stob. *ἀνθ.* I 3, 56 p. 66, 26 seqq. Wachsm. et *περὶ ἀπ. ἐμψ.* IV 17 p. 256, 10 seqq. N.; omnino his Porphyrii testimoniis debentur quaecumque hodie de Bardesane, Indicorum scriptore nota sunt (cf. Harnack, *Gesch. d. altchr. Litt.* eqs. t. I *Die Überlieferung* eqs., Lps. 1893, p. 184 seqq.). iam vero Hieronymus Bardesanem scripturamque eius aliquotiens cursim strinxit *epist.* 70, 4, 2 p. 705, 9 Hilb., *in Nah.* 1, 4 t. VI p. 539 A Vall., *in Os.* 2, 10 t. VI p. 106 B (*Bardesanes cuius etiam philosophi admirantur ingenium*). praeterea reddens Eusebium, *ἐκκλ. ἱστ.* IV 30, 1 seq. p. 392, 14 seqq. Schw. Hieronymus *vir. ill.* 33 operum quorundam Bardesanis de syra lingua in graecam conversorum argumenta designavit. ubi tamen operis Indici Bardesanis ex Porphyrio noti mentio nulla fit. at parum opinor attinet quaerere, num hoc opus aut omnino quodlibet Bardesanis Hieronymus umquam ipse evolverit, cum *adv. Iovin.* II 14 Bardesanis opus Indicum adhibitum sit ab Hieronymo Porphyrio intercedente:

Hier. II 14 p. 344 A seq.:

Bardesanes, vir Babylonius, in duo dogmata aput Indos gymnosophistas dividit. quorum unum appellat Bracmanas, alterum Samaneos; qui tantae continentiae sint, ut vel pomis arborum iuxta Gangen fluvium vel publico oryzae et farinae alantur cibo; et cum rex ad eos venerit, adorare illos solitus sit, pacemque provinciae in illorum precibus arbitrari sitam.

Porphyr. π. ἀπ. ἐμψ. IV 17 p. 256, 1 seqq. N.:

v. 4 τούτων (γυμνοσοφιστῶν παρ' Ἰνδοῖς) δὲ δύο αἱρέσεις· ὧν τῆς μὲν Βραχμᾶνες προΐστανται, τῆς δὲ Σαμαναῖοι. . . . v. 9 ἔχει δὲ τὰ κατ' αὐτοὺς τοῦτον τὸν τρόπον, ὡς Βαρδησάνης, ἀνὴρ Βαβυλώνιος . . . ἀνέγραψεν. . . . v. 19 σιτοῦνται . . ., οἱ δὲ περὶ τὸν Γάγγην ἐκ τῆς ὀπώρας, ἣ πολλὴ περὶ τὸν ποταμὸν γεννᾶται. φέρει δὲ ἡ γῆ σχεδὸν καρπὸν ἀεὶ νέον καὶ μέντοι καὶ τὴν ὄρυζαν πολλήν τε καὶ αὐτόματον, ᾗ χρῶνται. . . . p. 257, 26 ἡ δὲ παρασκευὴ γίνεται ὀρύζης καὶ ἄρτων. . . . p. 258, 9 καὶ τοσοῦτον αὐτῶν . . . σέβας ἔχουσιν οἱ ἄλλοι, ὥστε καὶ τὸν βασιλέα ἀφικνεῖσθαι παρ' αὐτοὺς καὶ ἱκετεύειν εὔξασθαί τι καὶ δεηθῆναι ὑπὲρ τῶν καταλαμβανόντων τὴν χώραν ἢ συμβουλεῦσαι τὸ πρακτέον.

Hoc loco libri II tamquam sigillo quodam mihi obsignari videntur, quae ex generali exploratione superstitionis buddhaicae occidentalibus aspersae aetate hellenistica et saeculis primis christianis efficienda sunt de Porphyrio i. e. Bardesane memoriam de partu Buddhae suggerente Hieronymo.

ad postremum etiam id moneo, Bardesanis auctoritate in Hieronymo cognita, tum demum recte intellegi verba Hieronymi *aput gymnosophistas Indiae quasi per manus huius opinionis auctoritas traditur, quod* .... Bardesanes enim non ex litteris Indicis suam de rebus Indicis notitiam hausit, sed ex colloquio cum legatis Indicis habito, cf. Porphyrium *περὶ Στυγός* Stob. p. 66, 26 seqq. *Ἰνδοὶ οἱ . . . Βαρδισάνῃ τῷ ἐκ τῆς Μεσοποταμίας εἰς λόγους ἀφικόμενοι, ἐξηγήσαντο* .... memoriam autem nullis litterarum testimoniis firmatam spectat si quid video phrasis Hieronymi *tradendae per manus auctoritatis.* translate *tradere per manus* exprimere rei alicuius memoriam sine litteris servatam docent imprimis loci Liviani V 51, 4 *si nobis cum urbe simul positae traditaeque per manus religiones nullae essent*; IX 17, 10 *disciplina militaris iam inde ab initiis urbis tradita per manus.* deinde ut omnem vim sententiae Hieronymianae assequaris, *auctoritatis* vocabulum eodem usu adhibuit Hieronymus in locutione *huius opinionis auctoritas* de gymnosophistarum traditione sacra, quo usu christiani suorum dogmatum traditionem, i. e. Sacram Scripturam *auctoritatis* vocabulo significant, cf. e. g. Aug. *civ.* XII 13 p. 585, 19 Vind. *in nostris auctoritatibus*

legitur (Thes. l. l. II 1225, 29 seqq.). sed qui de scriptis documentis gymnosophistarum nihil ausus est firmare Hieronymus a Porphyrio eruditus de legatis Indicis coram Bardesane dogmata patria expandentibus, feliciter incidit in phrasin per *quasi* inductam *tradendae per manus auctoritatis*. sic ipsum loquendi genus Hieronymi novissima ratio est, qua auctoritas Porphyrii i. e. Bardesanis in memoria de partu Buddhae appareat.[1])

3

Promisso steti, totum caput 42, partem tertiam sermonis Hieronymiani de virginitate, exempla continentem philosophica quae vocavi p. 142, ad Porphyrium rettuli. sequitur ut in alteram partem sermonis de virginitate inquiram, quae efficitur narratiunculis ex graecae gentis historia petitis, c. 41 p. 307 D—309 B. quam partem alteram sermonis Hieronymiani cum ipsam quoque supra pollicitus sim me redditurum esse Porphyrio, tamen desperandum est, posse iisdem rationibus de exemplis historicis agi, quibus adhuc partes aliquot sermonis Hieronymiani Porphyrio addicebam. atque duabus rationibus adhuc utebar ad retegenda furta Porphyriana Hieronymi. proficiscebar ab auctoribus nominatim ab Hieronymo productis, Theophrasto, Plutarcho, Aristotele, Speusippo, Timaeo; quorum scriptorum notitiam vel lectionem egregie concinere cum studiis Porphyrii coarguebam. at quae nunc tractandae sunt, decem numero p. 307 D seqq. narrationum historicarum ipse Hieronymus nullam revocavit ad auctorem, nisi quod novissimam earum induxit verbis p. 309 B *narrant scriptores Greciae*. ergo nulla occasio datur mihi, ut ex historia illustranda auctorum primariorum ab Hieronymo commemoratorum de auctore reapse exscripto ab eo certior fiam. altera ratio ad compilationem Porphyrianam Hieronymi perspiciendam adhibita in rebus haerebat Hieronymi, quarum an cognatio esset cum rebus Porphyrii propriis, sedulo ubique examinabam. sic hierophantam Atheniensium castratum cicuta tritum exemplum neoplatonicum fuisse indicavi p. 79 seqq.;

1) falso verba Hieronymi *apud gymn.* eqs. interpretatus est Windisch l. l. p. 220 adn. 1. qui cum ea vernacule verteret hoc modo: *Bei den Gymnosophisten wird, gleichsam an der Hand dieser Anschauung* (*von dem Vorzug der Jungfräulichkeit vor dem ehelichen Leben*) *als verbürgt überliefert, daß Buddha* eqs., de vi locutionis *tradendi aliquid per manus* plane ignarus est; unde etiam pessime ad *per manus* trahebat *huius opinionis*, quod trahendum est ad *auctoritas*.

Socraticarum uxorum rixa mutua et cum Socrate inventa est in Hieronymo et Theodoreto Porphyrium citante solis occurrere p. 132; Buddha ex virgine natus, quamvis eius famae auctorem nullum Hieronymus prodiderit, nos ad Porphyrium duxit. at diversa est ab his locis narrationum historicarum praeter unam, de qua infra p. 165 seqq. videris, cuiusque interim nullam rationem habeo, condicio. quarum narrationum eae, quae memoria utuntur ubere in litteris antiquis praeter Hieronymum, tamen nulla insignes sunt cognatione cum rebus propriis neoplatonicorum. deinde sunt inter exempla historica vel ea, quae cum ad auctorem nullum referantur ab Hieronymo, tum testimonio nullo nisi Hieronymiano traduntur.

quae cum ita sint, via eadem, qua adhuc progrediebar, pergi nequit in locis Porphyrii eruendis. attamen nolo desistere ab opere ethico Porphyrii ex Hieronymo eliciendo. utilissimum autem in hoc statu quaestionis est deliberare, an varii isti loci Porphyriani, in quos adhuc incurri, unum eundemque omnes spectent finem argumentoque morali uno contineantur. nam si contigerit certam et definitam opinionem parare operis Porphyriani in libro I *adv. Iovin.* adhibiti, sic de origine exemplorum historicorum decernere potero, ut ea ad indolem et argumentum operis illius Porphyriani egregie quadrare demonstrem. quod si feliciter cesserit, id quod effecero, insuper hoc modo comprobare licet, ut rursus illi auctori, cuius usu praeter Porphyrium sermo ethnicus Hieronymi maxime augetur, Senecae dico de matrimonio scribenti, aegerrime convenire narratiunculas istas evincam.

denique novissima ratione firmari potest, iusto iure deduci ex uno opere Porphyrii tantam partem libri Hieronymiani, quanta efficitur exemplis historicis et philosophicis de virginitate, aliis Hieronymi, sive iam deductis a me, sive etiam porro deducendis ex Porphyrio: sustentantur coniecturae meae de usu Porphyriano Hieronymi in libro I *adv. Iovin.* aequali usu librorum Porphyrianorum *περὶ ἀπ. ἐμψ.* in libro II eiusdem operis Hieronymi. atque librorum *περὶ ἀπ. ἐμψ.* compilatio Hieronymiana cum a nemine adhuc integra collecta sit (neque enim sufficiunt tabellae Luebeckii, *Hier.* eqs. p. 67 seqq.), in appendice sub calce libri eruditionem saecularem libri II *adv. Iovin.* cum adnotatione locorum Porphyrianorum recensebo.

Hactenus de consilio et ratione argumentationis meae, iam

ipsam ineo. incipiunt narratiunculae historicae a duabus Atticis, quarum neutra aliunde quam ex Hieronymo nobis nota est. p. 307 D Phidonis filiae narrantur virginitatem morte spontanea servasse illecebris temptatae a triginta tyrannis post parentis necem. *Φείδων* aliquis ab aliis auctoribus traditur ipse fuisse unus ex triginta tyrannis, Theramenae sectator iugulati a tyrannis reliquis; huius tamen Phidonis fata nil commune habent cum Phidone Hieronymi, cf. Ed. Meyer, *Gesch. d. Altert.* t. V (1902) p. 38 seqq. neque omnino inter flagitia plurima triginta tyrannorum, quorum de memoria antiqua cf. Meyer ibid. p. 23 seqq. et I. Beloch, *Gr. Gesch.* t. II (1897) p. 116 seqq., narratiuncula quantum video est, quam Hieronymum reddidisse vel immutatam aut depravatam dixeris. ac ne Hirzel quidem, qui mulieres morte voluntaria defunctas triginta tyrannis saevientibus perstringebat *Archiv für Religionswiss.* t. XI (1908) *Der Selbstmord* p. 90 adn. 2, ad locum Hieronymi a se quoque commemoratum testimonium ullius alterius scriptoris attulit. — item Phidonis filias quae sequitur apud Hieronymum altera narratio Attica p. 307 E de Demotionis, areopagitarum principis, filia virgine se interficiente post auditum interitum sponsi Leosthenis, unius Hieronymi eruditioni debetur. nam cum de Leosthene Atheniensium duce in bello Lamiaco, quem Hieronymus dicit, prolixa sane memoria vetus sit, de sponsa eius unum Hieronymum narrare iam Wesseling ad Diod. XVIII 13 (ed. Amstel. 1746 t. II p. 267, 12) statuit.[1]) ceterum haec narratiuncula quin ex traditione vetusta devenerit in Hieronymum, non est quod dubites. quamquam de instituto *ariopagitarum principis*, quod Hieronymus memorat, breviter adnotandum est. cave ne hoc verbum Hieronymi spectare credas ad munus celeberrimum *τῆς ἐπιστασίας τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς*, quo fungebatur *ὁ κῆρυξ τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς*; hoc enim munus vix ante Romanos Graeciam subigentes institutis Atheniensibus accessit (cf. Hermann-Thumser, *Lehrbuch der gr. Staatsaltertümer*[6], 1892, p. 789, Thalheim, *Realenc.* II p. 632 seq.). immo ab Hieronymo locutione *ariopagitarum principis* dictus est *ὁ ἄρχων βασιλεύς*, qui in

1) Hieronymi commemoratio Leosthenis, nisi male praeteriisset Adolfum Holm, *Gr. Gesch.* t. IV (1894) p. 46, is non haesitavisset, an Leosthenes ille, Atheniensium dux in bello Lamiaco a. 323/2 gesto, idem esset atque Leosthenes rhetor Atheniensis, qui a. 361 fugit in Macedoniam. nempe Hieronymi narratiuncula ad senem non quadrat.

vetusta Atheniensium re publica praeerat ariopagitis iudicibus (cf. Herm.-Thums. ibid. p. 369, Busolt, *Die gr. Staats- u. Rechtsaltertümer*², 1892, p. 256, Schoemann-Lipsius, *Gr. Alterthümer* t. I⁴, 1897, p. 507). atque nomen *Demotionis* in Hieronymo occurrens archontem regem plane decet, siquidem inter archontes eponymos saec. V nomen idem deprehenditur. iam vero lepidissime opinor fit, quod archontis regis filia ab Hieronymo perhibetur castitatis documentum singulare praestitisse. tota enim domus archontis regis castitate excellebat Athenis. velut hunc aliud coniugium nisi virginis inire nefas erat, uxorque eius nobilis erat caerimoniis sacris nuptiarum mysticarum cum Baccho faciendarum (cf. Schoeffer, *Realenc.* III 72 seq. s. v. *Basileus*). exquisitae igitur eruditionis est narratiuncula Hieronymi de filia principis ariopagitarum corpore intacta interficiente se, cum mente nupserit.[1]) qua narratiuncula tradita servavit Hieronymus de vita Atheniensium et genio mystico Atticorum saec. IV exeuntis eam rem, quam nemo non videat dignissimam fuisse attentione peripateticorum περὶ βίων ipsis illis temporibus scribentium, quaeque res abhorret fere a veterum reliquis exemplis coniugum morte iunctorum, qualia Hirzel, *Der Selbstmord* l. l. p. 79 adn. 1 praebet.

Exempla Attica secuntur p. 308 A seqq. duo Messenia disiuncta narratione una Arcadica de Aristoclide, tyranno Orchomeni, vim afferente Stymphalidi virgini ad Dianae templum confugienti. quam Arcadicam narratiunculam ante Messenias absolvam, qua recte intellecta futurum est, ut ordo sermonis Hieronymiani dilucescat. nam

---

1) acumen sententiae *Demotionis . . . filia . . . se interfecit asserens, quamquam intacta esset corpore, tamen si alterum accipere cogeretur, quasi secundum accipere, cum priori mente nupsisset* se non intellegere confessus Immisch *mus. Rhen.* LIV (1899) p. 313 coniecit *adulterum* pro *secundum.* verum miror Immischium; nempe acumen in voce *secundum* positum declaratur ipso huius vocabuli etymo: *alter* potest dici de uno ex pluribus sponsis in eadem linea collocatis iisque remotis a puella distantia aequa, inter *secundum* i. e. *sequentem* et puellam semper prior sponsus intericitur. (similiter *secundae nuptiae* in iure romano vocantur quaelibet nuptiae relatae ad priores quaslibet, sive primas, sive alteras eqs.; v. Puchta-Krueger, *Inst.*¹⁰ II p. 402.) — ceterum in eo recte constituit textum Hieronymi Immisch, quod *se* post *quasi* insertum a Bock, *Aristoteles* eqs. p. 55 sprevit et ex Ioanne Saresberiensi reposuit *accipere* pro *acciperet*; firmatur *accipere* codice vetustissimo *E*, in quo non nisi ab altera manu supra lineam adiectum est *t* (*acceperet*: *S* *acciperet*: *ꝭ A M B C*). infinitivus praesentis pro futuro in sententia irreali quadrat ad Hieronymum (cf. Schmalz, *Syntax*⁴ p. 587).

Arcadicam narrationem ipsam quoque ex Messeniacis, quod dicunt genus litterarum tractatum ab historicis et poetis (cf. G. Busolt, *Gr. Gesch.* t. I^2, 1893, p. 579 seqq.), fluxisse monstrabo, ita ut apud Hieronymum exempla duo Attica tria ex Messeniacis petita excipiant. *Aristoclidis* enim nomini, quod sic scripsisse Hieronymum nolo infitias ire, subest nomen *Aristocratis*[1]), regis illius Arcadum notissimi bello Messeniaco altero. quamquam Pausanias, qui unus VIII 5, 11 seq. et 13, 5 praeter Hieronymum Aristocratis facinus tradit in virginem, simulacrum Dianae tenentem, Aristocratem belli Aristomenei ob Messenios proditos lapidatum ab Arcadibus distinguit VIII 5, 13 in catalogo regum Arcadicorum ab Aristocrate eo, qui ob stupratam virginem lapidatus ipse quoque sit; hunc maiorem Aristocratem avum minoris esse vult. duo tamen reges illi homonymi doctorum demum Graecorum decreto inter se distincti ad eundem hominem reapse redeunt (cf. Hitzig-Bluemner, ed. Paus. t. III, 1907, p. 125). atque Aristocratis mentio apud Hieronymum inter exempla Messenia occurrens merito explicatur traditione Messeniacorum continente etiam Arcadicam de Aristocrate fabellam.

falsa autem nominis *Aristoclidis* scriptione pro *Aristocratis* factum est, ut Hieronymus eos, qui de Aristocrate egerunt (cf. Hiller von Gaertringen, *Realenc.* II 938 seq.), doctos huius aevi praeteriret universos. attamen Aristocratis in virgine peccantis memoria Hieronymiana superat numeris pluribus memoriam Pausaniae.[2]) primum nomen virginis, quod deest in Pausania, testatur Hieronymus *Stymphalidis*, quod

---

1) nominum confusio in scriptoribus ecclesiasticis vel eruditioribus sollemnis est. verbi causa apud Epiphanium *ἀγκυρωτ.* 106 Migne 43, 209 C *Θεαγένης* abiit in *Τιμαγένης* (cf. Wilamowitz, *Sitz.-Ber. d. Ak. z. Berlin* 1911 p. 771). miserrima fata prorsus habuisse nomina propria antiqua medio aevo in litteris latinis res nota est; cf. e. g. Schaarschmidt, *Ioh. Saresb.* p. 105. in Burlaeo (cf. ed. Knust p. 400 seq.) confusa sunt *Epaminondas* et *Epimenides*, *Isocrates* et *Socrates*, *Xenophanes* et *Xenophon*, *Agesilaus* et *Arcesilaus*, al. — in Hieronymi *epist.* 52, 3, 5 p. 417, 12 H. pars. codd. et ed. Vall. p. 256 C *Themistocles* habent pro *Theophrastus*, ubi tamen Hilberg cum codd. quibusdam nomen omisit.

2) de origine huius memoriae cf. Hiller l. l.; quae a Strabone, aliis abhorrens, licet satis recens sit, tamen in diversis partibus operis Pausaniae, tam in Arcadicis (l. VIII) quam in Messeniacis (l. IV), auctoritate eadem utitur. quem in catalogo regum Arcadicorum ab Aristocrate maiore, Aechmidis filio, separat Aristocratem Hicetae filium famosum Messeniis proditis VIII 5, 13, eundem Aristocratem in bello Aristomeneo Pausanias diserte vocat IV 17, 2 *Ἀριστοκράτην τὸν Ἱκέτα*.

nomen decet Arcadem. deinde Pausanias, qui VIII 13, 5 fabellam stringit tantummodo, plenissime de ea refert VIII 5, 11 seq. in catalogo regum Arcadicorum, Aristocratem et maiorem et minorem inter reges Trapezuntios numerat (cf. etiam IV 17, 2). fuit tamen Aristocrates Orchomeni rex ex testimonio Tyrtaei frg. 8 (Strab. VIII 4, 10 p. 362), cui accedit Hieronymus. atque Pausanias ipse VIII 13, 5 Aristocratis sepulcrum prope Orchomenon fuisse tradit. denique arbitraria illa distinctione maioris et minoris Aristocratis in catalogo regum Pausaniae sensus fabulae de tyranno ob virginem stupratam interempto magnopere obscuratur. quam fabulam ad potestatem regiam Orchomeni abolitam spectare recte sentiebat l. l. Hiller von Gaertringen. verum huic, quem exprimi desideraveris, sensui fabulae non sufficit Pausanias, sufficit Hieronymus. Pausanias enim tyranni, qui virginem stupraverit, regnum suscepisse gnatum vult; contra Hieronymi narratiuncula desinit in verba *ob cuius* (*virginis*) *necem tanto omnis Arcadia dolore commota est, ut bellum publice sumeret et necem virginis ulcisceretur*.

quid multa? Hieronymi narratiuncula vetusta traditione plena ea arte condita est, qua erant narratiunculae peripateticorum veterum, quibus tractabantur *τυράννων ἀναιρέσεις ἐκ τιμωρίας*, cf. F. Duemmler, *Kl. Schriften* t. II (1901) p. 468.

Post Aristocratem consequens est, ut reliquae narrationes Messeniacae duae absolvantur, quarum altera praecedit, altera sequitur Aristocratem. hanc autem quae Aristocratem sequitur item ut narrationem de Aristocrate Pausanias solus praeter Hieronymum exhibet. profert enim Hieronymus p. 308 B seq. fabulam de Aristomene rapiente virgines Lacedaemonias festum agentes raptasque a vi comitum suorum Messeniorum defendente armis; quam fabulam eandem esse atque eam quam Pausanias IV 16, 9 seq. narrat, quamvis diversitas nonnulla in singulis rebus sit, extra dubitationem est. discrepant Pausanias et Hieronymus primum ea re, quod apud Pausaniam raptus Caryis interdiu fit virginum Dianae Caryatidi choros ducentium (*τὰς δ' ἐν Καρύαις παρθένους χορευούσας τῇ Ἀρτέμιδι ἐλόχησε μεθ' ἡμέραν, καὶ συνέλαβεν ὅσαι χρήμασιν αὐτῶν ἢ ἀξιώματι πατέρων προεῖχον, ἀγαγὼν δὲ ἐς κώμην τῆς Μεσσηνίας τὴν νύκτα ἀνεπαύετο κτλ.*); contra Hieronymus Hyacinthia infert et sacra nocturna (*Lacedaemoniis . . . quodam tempore nocturna sacra celebrantibus, quae*

vocabantur Hiacintina, rapuit de coris ludentium virgines quindecim, et tota nocte gradu concito fugiens excessit de finibus Spartanorum). atque haec Hieronymi memoria a Pausania abhorrens nequaquam coorta est ex licentia recentiore aut corruptione traditionis in Pausania obviae; immo Hieronymus vetustam eruditionem progagat. nam ut tuo iure contenderis, Hyacinthiorum festum, in litteris antiquis saepe memoratum (cf. S. Wide, *Lakon. Kulte*, 1893, p. 285 seqq.) et apud Latinos quidem vel ab Ovidio *met.* X 217 seqq., potuisse occupare in fabula Hieronymi nullo auctore intercedente locum Dianae Caryatidis, quaero tamen unde nactus sit Hieronymus nisi ab auctore optimo notitiam chororum in Hyacinthiis noctu ductorum a virginibus ludentibus; quorum nulla memoria est in litteris antiquis nisi in Hieronymo et teste altero auctoritatem Hieronymo certam addente, Euripide (cf. Wide l. l. p. 292 seq., M. P. Nilsson, *Griech. Feste* eqs., 1906, p. 137); v. *Ἑλ.* 1465 seqq.: *ἦ που κόρας ἂν ποταμοῦ | παρ' οἶδμα Λευκιππίδας ἢ πρὸ ναοῦ | Παλλάδος ἂν λάβοις | χρόνῳ ξυνελθοῦσα χοροῖς | ἢ κώμοις Ὑακίνθου | νύχιον ἐς εὐφροσύναν κτλ.*[1])

sequente autem parte fabulae consentiunt Hieronymus et Pausanias, uterque tradit Aristomenem interfecisse comites quosdam pudicitiae virginum tutandae causa; dissentiunt rursus in eo, quod post caedem hanc relatam pergit narrare Hieronymus, Pausanias desinit. adicit Hieronymus virgines, quamvis redemptas a cognatis, tamdiu moratas esse in terra Messenia, dum sui sospitatorem Aristomenem in iudicio ipsae defendissent caedis reum factum propter necatos comites. sensibus igitur moralibus etiam acrioribus apud Hieronymum fabula instructa est quam apud Pausaniam, atque genus illud narrandi ad affectus excitandos aptissimum in ipso Hieronymo deprehenditur, quod a peripateticis veteribus conditum et excultum est (cf. Heinze, *Virgils epische Technik*², 1908, p. 468 seq. et P. Scheller, *de hel-*

1) infelix est ratio et loquela (huius tamen veniam habet) Nilssonii de Hieronymo dicentis l. l.: *Die Quelle ist trüb, indem der Raub spartanischer Jungfrauen durch die Messenier, den Hieronymus bei den Hyakinthien geschehen läßt, sonst* [i. e. a Pausania IV 16, 9] *auf das Fest der Artemis Karyatis verlegt wird, wird aber durch Eur. Helena 1465 ff. bestätigt.* iustius existimat de Hieronymi testimonio Hyacinthiorum Wide, qui praeter quod Euripidem l. l. affert, variis rationibus p. 288 seq. adn. 1 Hieronymum defendit. quamquam Wide quoque nimis timide adhibet ecclesiasticum latinum ut incertus plane fontium eius. ceterum magnopere nocturna sacra Hyacinthum, divum infernum, decent, cf. Rohde, *Psyche*³ I p. 137 seqq.

lenistica historiae conscribendae arte, diss. Lps. 1911, p. 57 seqq.). unde eadem fere ratio intercedit in hac fabula inter Hieronymum et Pausaniam, quae inter eos est in fabula de Aristocrate, ubi similiter atque hic finem moralem narratiunculae unus Hieronymus vere excussit. atque in utraque fabula etiam splendore et integritate memoriae veteris Pausanias superatur ab Hieronymo. dubito igitur, an memoriae Messeniacae Hieronymi virtutem omnino sic definire liceat, ut ad originem spectabiliorem, quin vetustiorem quam ad Pausaniae traditionem redeat. ceterum, quem fontem Pausanias IV 16, 9 seq. in narratiuncula Aristomenea reddat, parum liquet. quo loco nec constat de Rhiano neque de Myrone (cf. Susemihl, *Gesch. d. gr. Litt. in d. Alex.* I[2] p. 402 adn. 157[b], Busolt, *Gr. Gesch.* I[2] p. 581), quibus ab auctoribus Pausaniam imprimis pendere in bellis Messeniis referendis testimonio ipsius IV 6, 1 seqq. apertum est.

De vetustate memoriae Messeniacae Hieronymi quae afferri possunt, attuli. superest, ut is terminus aetatis, post quem Hieronymi memoria Messeniaca orta sit, dispiciatur. historiae autem Aristomeneae partes vel antiquissimae non ascendunt ultra Messenam ab Epaminonda a. 370/69 denuo conditam (cf. Niese, *Realenc.* II 948). iam vero accuratius ut aetatis terminus circumscribi possit, ante quem nequeat origo prima narratiuncularum Messeniacarum Hieronymi poni, id fit narratiuncula Hieronymi de causa bellorum Messeniorum, a qua primo loco posita tria illa exempla Messeniaca Hieronymi p. 308 A incipiunt. qua repetitur omnis discordia Spartiatarum et Messeniorum ex Messeniis virgines Spartanas missas in Messeniam ad festum agendum stuprumque aversatas contrucidantibus. atque ex stupratis virginibus causam bellorum Messeniorum deduxerunt Strabo VI 1, 6 p. 257 et VIII 4, 9 p. 362, Pausanias IV 4, 2, Iustinus III 4, 1 (Oros. I 21, 3 p. 75 Vind.), cum haec causa bellorum nondum nota fuerit Ephoro apud Strab. VI 3, 3 p. 279 (cf. Diod. XV 66, 3), omnino post Philippi, regis Macedonum tempora demum nata sit, cf. Niese, *Herm.* t. XXVI (1891) p. 25. e contrario nota fabula erat Timaeo (cf. Strab. VI 1, 6 p. 257. Busolt, *Gr. Gesch.* t. I[2] p. 396 adn. 2 et p. 592 adn. 1), etsi is quoque in singulis rebus differt ab Hieronymo nullaque omnino ratio est revocandae memoriae Messeniacae Hieronymi ad ipsum Timaeum. tamen aetas traditionis, quae Ephoro ignota, Timaeo nota erat, apparet. quorum scriptorum artem et genus narrandi morale

fabulae Aristocratis et Aristomenis maxime produnt, peripateticorum veterum temporibus prima origo narratiunculae Hieronymianae de causa bellorum Messeniorum egregie convenit.

Post Atticas narrratiunculas et Messeniacas tractatas quae reliqua est pars capitis 41 p. 308 D—309 B, efficitur tribus narratiunculis Boeoticis, quibus insertae sunt sedem occupantes post primam narrationem Boeoticam aliae narratiunculae duae, de virginibus Locridis altera, altera de Milesiis. atque inter haec quinque novissima exempla historica virginum castarum inveniuntur etiam duo, quae commemorata fuisse in litteris neoplatonicis firmare testimoniis expressis licet. incipiunt autem Boeoticae narrationes p. 308 D a Scedasi filiis, quam narrationem supra tetigi p. 62 seq.; ubi discrepantem a Plutarcho exposui Hieronymum tradere morte voluntaria excessisse virgines, simul differentiam Hieronymi a Plutarcho ex traditione vetustissima aliqua explicavi consensu Xenophontis, Diodori, aliorum fabulae testium cum Hieronymo indicato. iam vero Scedasi filiarum memoriam viguisse etiam apud neoplatonicos testimonium Gregorii Nazianzeni est, qui neoplatonicorum Iuliano Caesari harum virginum cultum exprobrat *κατὰ Ἰουλ.* I 70 t. 35 p. 592 A Migne (*θαυμάζεις τὸ αἷμα*) *τῶν Σκεδάσου θυγατέρων ἐν Λεύκτροις*. quod verbum Gregorii reticere nolui versans in Hieronymo a litteris neoplatonicis pendente. quamquam Gregorius inter trita exempla mythologica (Herculem, Pelopem, Attin, al.) fabulam affert. insuper nescius non sum, quae fuerunt studia Gregorii Plutarchea maxima, ex hoc quoque scriptore eum fabulam illam notam habuisse. velut etiam qui res mythologicas Gregorii commentando explicuit, Nonnus abbas (saec. VI, cf. Bardenhewer, *Gesch. d. altk. Lit.* III p. 178) in tractatu *περὶ τῶν Σκεδάσου θυγατέρων* (*συναγ. κ. ἐξηγ. κτλ.* 10 t. 36 p. 992 C seq Migne) pro morte voluntaria virginum ab Hieronymo relata adulescentes Lacedaemonios iugulavisse virgines aeque atque Plutarchus narrat.

Reliquae duae Boeoticae narrationes Thebarum interitum spectant. quarum alteram p. 309 B, qua de virgine stuprata ab hoste Macedone agitur interficiente se ipsam post interemptum hostem dormitantem, una cum Scedasi filiis perstrinxi p. 63. quae narratio sapit Plutarcheam de Timoclea; tamen nullo ab auctore nisi ab uno Hieronymo

traditur, etiamsi inducitur ab eo verbis *narrant scriptores Greciae.* nimirum Timoclea illa Plutarchi ab Aristobulo Cassandrensi primo celebrata (cf. frg. 1 a *Script. rer. Alex.* p. 95 Mueller) tanto favore excepta est apud posteros (cf. Droysen, *Gesch. d. Hell.* I 1², 1877, p. 142. Niese, *Gesch. d. gr. u. mak. Staaten* eqs. I, 1893, p. 57), ut sui generis unica haec narratio propagaretur, etsi similes narrationes pullulasse in Graecia post Thebarum fata miserrima consentaneum est.

atque altera quoque narratiuncula de Thebis subversis ab Hieronymo solo traditur. qua p. 309 A Nicanor Macedo perhibetur virginis captivae coniugium et amplexus voluntarios expetivisse praeferentis regno mortem propria manu inferendam. hoc autem de Nicanore si fas est opinari quis fuerit, cogito Nicanorem Stagiritam, qui Alexandri Magni mandatum persecutus honorificentissimum et liberalissimum exules Graecorum in civitates suas redire iussit in conventu Olympiaco a. 324 (cf. Beloch, *Gr. Gesch.* III 1 p. 60 seq., Niese, *Gesch.* eqs. I p. 177); liberalissimum enim et honestissimum apud Hieronymum cluet ingenium Nicanoris, quem ex sententia fabulae inter principes Macedonum fuisse vox *regnum* Hieronymi indicat. itaque etiamsi Nicanoris nomen tulerint plures Macedones illustres aetate Alexandri (cf. Niese l. l. III p. 441 s. v. *Nicanor*), tamen dubito an narratiuncula Hieronymi famae pars eius sit, quam scriptores fabulandi cupidissimi aetate illa peripatetici innexuerint capiti Nicanoris Stagiritae Olympiorum memores anni 1 Ol. 114.

Nicanori antecedit apud Hieronymum p. 308 E seq. narratiuncula de septem virginibus Milesiis, *quae Gallorum impetu cuncta vastante ne quid indecens ab hostibus sustinerent, turpitudinem morte fugerunt.* haec quoque res tacito auctoris nomine ab Hieronymo prolata caret testimonio rerum scriptorum, neque recurrit in historia varia, collectaneis, narratiunculis Plutarchi, Aeliani, aliorum aut graecorum scriptorum aut latinorum. quamquam de pudore et modestia virginum Milesiarum proprius sermo erat veterum et occurrit in servatis litteris: Plutarchus narrat γυν. ἀρετ. 11 p. 249 B seqq. et in fragmento quodam libri I περὶ ψυχῆς (t. VII p. 20 Bern.) a Gellio XV 10 latine servato (cf. etiam Polyaen. VIII 63), Milesias virgines subita mortis cupiditate actas esse ad vitam suspendio finiendam, tunc decrevisse Milesios, ut omnes, quae sibi suspendio mortem conscivissent, nudae per forum efferrentur; *post id decretum virgines voluntariam mortem non petisse pu-*

dore solo deterritas tam inhonesti funeris. atque etiam Theophrastus (frg. 117 Wimmer) dicitur ab Athenaeo X p. 429 A seq. et Aeliano *ποικ. ἱστ.* II 38 Milesiarum modestiam praedicavisse, quamquam non tam virginum, quam mulierum in universum, quarum de abstinentia a vino locutus est. virginum rursus temperantiae Milesiarum documentum est Eubuli verbum frg. 42 Kock (Athen. XIII p. 572 A) *ἀλλ' ἑκάστου μικρὸν ἂν | ἀπεγεύεθ' ὥσπερ παρθένος Μιλησία.* sed quo latius patent apud scriptores lectione miscellanea narratiuncularum et exemplorum veterum utentes Plutarchum, Athenaeum, alios Milesiarum virginum laudes, eo magis miraberis, narratiunculam Hieronymi ab hoc solo, sero scriptore et ecclesiastico, offerri. ne tamen diffideres, veteri eruditioni deberi Hieronymi memoriam, diem tulit epigramma ad eandem rem spectans, quod Anytes Mytilenaeae esse ferebatur, Antonii Thalli Milesii, aetate Octaviani Augusti florentis poetae, potius est[1]), Anthol. Palat. VII 492 p. 344 seq. Stadtm.:

οἰχόμεθ', ὦ Μίλητε φίλη πατρί, τῶν ἀθεμίστων
τὰν ἄνομον Γαλατᾶν ὕβριν ἀναινόμεναι,
παρθενικαὶ τρισσαί, πολιήτιδες, ἃς ὁ βιατὰς
Κελτῶν εἰς ταύτην μοῖραν ἔτρεψεν Ἄρης.
οὐ γὰρ ἐμείναμεν αἷμα τὸ δυσσεβὲς οὐδ' Ὑμέναιον,
νυμφίον ἀλλ' Ἀίδην κηδεμόν' εὑρόμεθα.

Memorabile igitur factum aliquod reddi ab Hieronymo firmatur epigrammate, quod factum nequit evenisse ante annum 278/7, quo anno Galli in Asiam transgressi sunt, cf. F. Staehelin, *Gesch. d. kleinasiat. Galater*² (1907) p. 7. atque Gallorum incursio in fines Milesios illis temporibus facta (cf. Staehelin ibid. p. 9) eorumque raptus mulierum Milesiarum narrantur etiam a Parthenio *περὶ ἐρωτ. παθημ.* 8 p. 53 seqq. Mart., qui usum se esse dicit auctoritate Aristodemi Nysaei scribentis *ἱστορίας* saec. I a. Chr. n. (cf. Susemihl, *Gesch.* eqs. II p. 185). denique fides Hieronymi nequaquam imminuitur ea re, quod ipse de septem virginibus, epigramma Thalli de tribus tantum loquitur.[2])

1) de origine carminis dixit novissimus M. Boas, *mus. Rhen.* LXII (1907) p. 65. Anyte Mytilenaea poetria alias ignota est, neque ad Anyten Tegeatidem (Susemihl, *Gesch. d. gr. Litt.* eqs. II p. 529) epigramma revocari debet, cf. H. Stadtmueller, *Anth.* t. II fasc. 1 (Lips. 1899) p. 345. de Thallo Milesio v. *Prosop. imp. rom.* III (1898) p. 309 n. 107.

2) Staehelin in priore editione libelli sui *Gesch. d. kleinas. Gal.* (diss. Basil. 1897) p. 12 adn. 4 numerum septem virginum ab Hieronymo novatum esse

Iam vero si interrogas, quomodo res Thallo poetae Milesio nota Hieronymo innotuerit, locus de pudore et continentia feminarum Milesiarum, qui iam Eubulo mediae comoediae scriptori dictionem proverbialem *ἀπεγεύεϑ' ὥσπερ παρϑένος Μιλησία* commodavit, cuique loco in scriptura morali Theophrasti et Plutarchi occurrimus, is locus quasi tulisse secum putandus est etiam narratiunculam Hieronymi. fabulam autem Plutarchi de virginibus Milesiis pudore deterritis a morte voluntaria K. Mittelhaus, *de Plut. praec. ger. reip.* (diss. Berol. 1911) p. 35 seq. revocabat ad Theophrasti opus *πολιτι-*

---

voluit, quem finxerit ecclesiasticus ad numerum septem fratrum constantium Vulg. *II Macc.* 7. quam tamen sententiam recte suppressit postea ed. emendatae p. 9 adn. 2. cui cordi est accuratius definire, uter numerus verior videatur, ea via procedere debet, ut ipsam rem, quae evenerit Gallis agros Milesios incursantibus, relatam ab Hieronymo et epigrammate accuratius definire temptet. puto autem rem, quae tantum rumorem excitavit, ut et litteris moralibus et carmine propagaretur, in publica potius clade positam fuisse quam in unius domus privatae interitu. veluti virgines illas ad festum peragendum in unum locum coactas vitam propria manu finivisse in proclivi est opinari. itaque nescio an liceat Hieronymum et epigramma Palatinum ad eam rem referre, de qua Parthenii quoque narratio amatoria supra laudata agit *περὶ ἐρωτ. παϑημ.* 8: *ὅτε δὲ οἱ Γαλάται κατέδραμον τὴν Ἰωνίαν καὶ τὰς πόλεις ἐπόρϑουν, ἐν Μιλήτῳ Θεσμοφορίων ὄντων καὶ συνηϑροισμένων ⟨τῶν⟩ γυναικῶν ἐν τῷ ἱερῷ, ὃ βραχὺ τῆς πόλεως ἀπέχει, ἀποσπασϑέν τι μέρος τοῦ βαρβαρικοῦ διῆλϑεν εἰς τὴν Μιλησίαν καὶ ἐξαπιναίως ἐπιδραμὸν ἀνεῖλεν τὰς γυναῖκας.* nam quin virgines Thesmophoriis Milesiis interfuerint aetate hellenistica, vix quisquam in dubium vocaverit, cum virgines castas sacerdotio Cereris locis pluribus functas esse varia veterum testimonia sint (cf. Fehrle, *Die kult. Keuschheit* eqs. p. 103 seq.), praesertim vero de cultu Cereris Catinensis Cicero tradat *Verr.* V 99 *sacra per mulieres ac virgines confici solent*; cf. K. Lehrs, *Popul. Aufsätze*[2] p. 290 adn., P. Stengel, *Die gr. Sakralalt.* (1890) p. 158 adn. 16. Parthenii igitur narratiuncula usus divinaverim, quarum virginum memoria ad Thallum et Hieronymum pervenerit, eas in Cereris aede extra pomerium Mileti sita a barbaris inclusas atque confectas angoribus, antequam a popularibus liberari possent, necem sibi conscivisse. iam vero si chorus sive collegium quodlibet virginum fuit, cuius interitum Hieronymus et epigramma referunt, septem virginum numerus nullam offensionem praebet, quin spero etiam magis is placebit quam epigrammatis numerus trium virginum. nam chorum numerus septenarius decet magnopere. septem Lesbides Iliadis (I 128 seq. *δώσω δ' ἑπτὰ γυναῖκας ἀμύμονα ἔργα ἰδυίας Λεσβίδας*) chorum mulierum effecisse videntur Iunonem colentium, septeni pueri septenaeque puellae saec. II a. Chr. n. Corinthi Iunonis ministeria subibant, atque etiam in Cerere colenda et in Thesmophoriis hebdomades locum tenuerunt, cf. W. H. Roscher, *Die Sieben- und Neunzahl im Kultus u. Mythus der Gr.* (*Abh. d. ph.-h. Kl. d. sächs. Ges. d. W.* XXIV 1904) p. 27 seq., 31 seq., 43. tale autem in collegium virgines Milesias Hieronymi congregatas fuisse credo, qualia praeter sacerdotes et ministros deo-

κῶν πρὸς τοὺς καιρούς; atque Mittelhausio multa favent. praecipue quod Plutarchus *γυν. ἀρετ.* p. 249 C prudentem hominem inducit, qui contagioni nequissimae feminarum recens exortae opportunam medelam adhibens legem novam suaserit, haec res egregie quadrat ad argumentum operis Theophrastei *πολιτ. π. τ. καιρούς*. deinde quod Mittelhaus Theophrasti frg. 117 W. de abstinentia Milesiarum a vino affert, ut de Milesiis egisse Theophrastum generaliter firmet, versatur hoc fragmentum rursus in lege quadam, cf. Aeliani *ποικ. ἱστ.* II 38 *παρὰ Μιλησίοις τὸν νόμον τοῦτον (γυναῖκας μὴ ὁμιλεῖν οἴνῳ, ἀλλ' ὑδροποτεῖν πᾶσαν γυναικῶν ἡλικίαν) ἰσχύειν, καὶ πείθεσθαι αὐτῷ τὰς Μιλησίων γυναῖκας*; Athen. X p. 429 A *ἐν δὲ Μιλήτῳ ἔτι καὶ νῦν ... τοῦτ' εἶναι τὸ νόμιμον.* de lege autem sermonem licebit sane revocare ad opus politicum. nihilominus vel in hac ratione fragmenti 117 W. adhibendi ad operis *πολιτ. π. τ. καιρούς* argumentum explorandum offensio inest maxima. nam etiamsi Athenaeus et Aelianus nullo titulo operis Theophrastei indicato frg. 117 proferunt, tamen id divelli nequit a fragmentis 116—123 W. oriundis ex Athenaei libris X—XV, quae excepto frg. 117 omnia ab Athenaeo diserte referuntur ad Theophrasti librum *περὶ μέθης*.

atque etiam historia Plutarchea de virginibus Milesiis mori perseverantibus, quamvis concesserim eam convenire magnopere operi *πολιτ. π. τ. καιρούς*, nequaquam tuta ab omni parte ratione dicitur pervenisse ad Plutarchum ex hoc opere Theophrasteo. nam quod Mittelhaus affirmat, Plutarchum hanc historiam ex opere politico Theophrasti deprомptam sic accommodavisse suo diversi argumenti libro

---

rum perpetuos apud Graecos dis colendis passim in festis aderant, cf. Stengel l. l. p. 37.

haec explicatio narrationis Hieronymianae ideo quoque probabilitate satis magna utitur, quia pars fere dimidia exemplorum Hieronymi de castitate virginum in choris aut cultu deorum versatur. sic dicuntur p. 308 A virgines Lacedaemoniae ad sacra missae pro pudicitia occubuisse, p. 308 C virgines Hyacinthia celebrantes ab Aristomene raptae pietatis documenta praestitisse. quin bis id quoque accidit, ut Hieronymus virginum simpliciter fata narrare videatur, aliunde notum sit virginum dis sacrarum fata peragi. p. 308 B Stymphalidem ab Aristocrate tyranno adamatam Pausanias VIII 5, 11 et 13, 5 prodit sacerdotem Dianae Hymniae fuisse; p. 308 D seq. Locridas virgines Ilium ex more missas per annos circiter mille aliunde notum est, quamvis Hieronymus taceat, religionis causa missas esse, functuras servitiis humilibus in templo Palladis Iliensis.

γυν. ἀρετ., ut historiae sensum deflecteret in usum novum peroratione addita plena celebrati pudoris virginei p. 249 C seq. *μέγα δὴ τεκμήριον εὐφυΐας καὶ ἀρετῆς κτλ.*, in Plutarchi opere quoque *περὶ ψυχῆς*, ubi iterum historia eadem profertur ab eo disserente de morbis in animos hominum incidentibus, historiae sensus item deflectitur in laudandum pudorem virgineum. ergo ante Plutarchum narratiuncula Milesia eo sensu instructa est, ut ad pudorem virgineum demonstrandum valeret. nec vero propria sedes loci de pudore et pudicitia feminarum Milesiarum, ex qua posterior de ea re memoria imprimis fluxerit, operi politico Theophrasti probabiliter tribuitur. qui locus, quem iam ante Theophrastum tritum fuisse Eubulo poeta probetur, vigilantiam eorum scriptorum fugisse nequit, qui temporibus Alexandri et postea litterarum genus *περὶ βίων* colentes mores vitamque Graecorum narrationibus exemplis descriptionibus explicaverunt peripatetici potissimum, modo fuerint capita de mulierum virtutibus et pudore in hoc litterarum genere; atque de illa re quaestio infra mihi instituenda erit.

quodsi historia de virginibus Milesiis Plutarchea illa in Theophrasti opere *πολιτ. π. τ. καιρούς* memorata erat, quod etiam nunc libenter dederim, dabo tamen id ea tantum sub exceptione, ut iam aetate Theophrasti virgines Milesiae in diversis generibus litterarum apparuerint, aeque atque Plutarchus simul in diversis scriptis eas in medium protulit. sic infra securus a coniectura Mittelhausii politicum opus habentis pro fonte memoriae posterioris de virginibus Milesiis, Hieronymi exemplum Milesium ex eodem genere litterarum atque reliqua exempla huius partis sermonis Hieronymiani repetam. nimirum id quidem dudum intellexisti, me incitatum sagaci Mittelhausii disquisitione in Theophrasti memoriam mulierum Milesiarum, non tam pugnare adversus luculentum Theophrasti de Milesiis sermonem, quam praevertere, ne in ipso opere *πολιτ. π. τ. καιρούς* propria sedes loci de pudore Milesiarum fuerit. ceterum huic loco, ut habuerit sedem principalem in Theophrasto, sive in *πολιτ. π. τ. καιρούς*, sive in alio opere, tamen Hieronymi narratiunculam Milesiam demum post Theophrastum accessisse, quae rem spectat post a. 278/7 gestam, non est quod moneam.

Venio ad novissimum Hieronymi exemplum historicum virginum castarum, ad Locrides virgines ante Milesias ab eo productas

p. 308 D seq.: *iustum est Locridas virgines non tacere, quae cum Ilium mitterentur ex more per annos circiter mille, nulla obsceni rumoris et pollutae virginitatis ullam fabulam dedit.* diversa autem est huius exempli condicio in hac quaestione a reliquis exemplis omnibus historicis virginum castarum; hoc enim unum ratione certa, ex argumento ipsius tracta, in litteris neoplatonicis propriam sedem habuisse demonstrari potest. nec vero commemoratas fuisse virgines Locrides in litteris neoplatonicis probare generaliter contentus ero eo modo, quo commemoratas fuisse Scedasi filias a neoplatonicis supra p. 160 indicare satis habui, cum peculiaris ratio nulla fuerit fabulae cum doctrina et litteris neoplatonicorum. immo exemplum Locrense ut proprium inventum rationis Pythagoricae ex Porphyrio in Hieronymum devenisse evincam. cuius origo Porphyriana imprimis sic aperienda est, ut poenam Locrensium, ob Cassandram stupratam Ilium virgines binas per saecula mittentium, testimoniis antiquis variis traditam, ab Hieronymo secundum Timaeum Tauromenitanum referri probetur. nimirum ubi Timaeus diserte advocatur ab Hieronymo c. 42 p. 309 D in memoria de filia Pythagorae, ibi supra p. 146 perspectum est a Porphyrio pendere Hieronymum.

docebo igitur primum illud, quem locum Timaeus sibi vindicet in tradenda poena Locrensi, quaque in re cognatio memoriae Hieronymianae cum Timaeo cernenda sit. poenam autem Locrensem per annos circiter mille durasse peculiaris Timaei doctrina est, cf. Timaei frg. 66 M. (Tzetzes in Lycophr. 1141, ed. Scheer Lycophr. t. II, Berol. 1908, p. 336, 5 seqq.): *χιλίων δ' ἐτῶν παρελθόντων μετὰ τὸν Φωκικὸν πόλεμον ἐπαύσαντο* (οἱ *Λοκροὶ*) *τῆς τοιαύτης θυσίας ὥς φησι Τίμαιος ὁ Σικελός.* quamquam Tzetzae, qui hoc fragmentum Timaei servavit, fidem abrogabat Geffcken, *Timaios' Geogr. d. Westens* (*Philol. Unters.* fasc. XIII, 1892) p. 13 adn. 4, ratus conflatum esse Tzetzae locum ex Apollodoro (cf. *Myth. gr.* t. I, Apoll. *epit. Vat.* ed. Wagner, 1894, p. 222 *χιλίων δὲ ἐτῶν παρελθόντων μετὰ τὸν Φωκικὸν πόλεμον ἱκέτιδας ἐπαύσαντο πέμποντες*) et scholiis in Lycophronem, unde etiam Timaei nomen Tzetzes petiverit (cf. schol. v. 1155 p. 337, 1 Scheer = p. 140 Geffcken). ceterum Geffcken Timaeo notum fuisse aevum miliarium poenae Locrensis ipse quoque concedit; probatur id nobis non solum fragmento illo a Geffckeno in suspicionem vocato, verum etiam aliis rationibus. poetae enim Alexandrini Callimachus, Euphorio, Lycophro

spatium poenae miliarium norunt: cf. Lycophr. 1152 seq.: *ποινὰς . . . τίσετ᾽ . . ., τὸν χιλίωρον . . . χρόνον.* de Callimacho cf. schol. Il. N 66: *Ἀθηνᾶ . . . τοὺς Λοκροὺς ἠνάγκασεν ἐπὶ χίλια ἔτη εἰς Ἴλιον . . . παρθένους πέμπειν. ἡ ἱστορία παρὰ Καλλιμάχῳ ἐν Α αἰτίων* et schol. Lycophr. 1141 p. 335, 16 seqq. Scheer: . . . *παρθένους . . . ἀποστέλλειν ἐπὶ ͵α ἔτη.* . . . ibid. v. 31 seq.: *ταύτης δὲ τῆς ἱστορίας καὶ Καλλίμαχος μέμνηται* (Call. frg. 13 d Schneider). Euphorio in *Chiliadibus* poenam Locrensem tractavit, v. F. Scheidweiler, *Euph. fragm.* (diss. Bonn 1908) p. 43.[1]) pendent autem isti poetae Alexandrini multifariam a doctrina Timaei (cf. Geffcken l. l. p. 177 seq.). et praecipue Lycophro, quem in narranda poena Locrensi Timaeum maxime sequi perspicitur ex scholio 1155, ubi Timaeus citatur concordans cum versibus 1155 seqq., unde v. 1153 memoriam *τοῦ χιλιώρου χρόνου* acceperit nisi ex Timaeo, aegre dixeris.

hoc igitur ne Geffcken quidem infitias it, Timaeo aevum miliarium poenae notum fuisse. sed idem iudicat l. l. p. 12 seqq., aliena fuisse a Timaeo ea, quae de poena post bellum Phocense abrupta Apollodorus l. l. refert; tam cognitam habuisse Timaeum famam poenae mille annos durantis quam impugnavisse, ipsumque docuisse, in tempus indefinitum Locrensibus poenam fuisse impositam; recepit Geffcken inter fragmenta Timaei l. l. p. 141 schol. Lycophr. 1159 p. 337, 17 Scheer: . . . (*τοὺς Λοκροὺς*) *φάσκοντας πεπληρῶσθαι τὸν τῶν ἐτῶν χρόνον· . . . ὁ δὲ χρησμὸς οὐκ εἶχεν ὡρισμένον χρόνον.*

Sic factum est, ut partes, quae Timaeo in tradenda poena Locrensi tribuendae sunt, a Geffckeno penitus obscurarentur. quas partes ne illustravit quidem, qui admirabili cum eruditione memoriam universam poenae Locrensis nuper excussit A. Wilhelm, *Jahreshefte des österr. arch. Inst.* XIV (1911) p. 163 seqq. *Die lokrische Mädcheninschrift.* omnis autem error Geffckeni a Tzetzae loco in Lycophr. 1141 exploso immerito ex fragmentis Timaei proficiscitur. Geffckenum nimirum infeliciter fugit, quam evidenter tota loci illius eruditio ipsum Timaeum proderet. nam quod Tzetzes Timaeum docuisse dicit, poenam Locrensem per annos circiter mille durantem post bellum Phocense desiisse confectum a. 346, primus Ed. Thraemer, *Herm.* XXV (1890) p. 59 recte

1) quaestionem de poena Locrensi ab Euphorione agitata non promovit P. Corssen, *Philol.* LXXII (1913) p. 458; debuit in singulis pugnare cum Scheidweilero.

monuit, mille circiter annos interesse inter hunc annum 346 et eum annum, cui Troiae casum unus fere Timaeus ascripserit, a. 1334; qua de computatione eversionis Troiae Timaeo probata atque etiamnunc pro propria eius habenda iusto iure ut nixa testimonio schol. Apoll. Rhod. IV 1216 (Tim. frg. 53 M.) cf. R. Laqueur, *Herm.* XLII (1907) p. 515 seq. adn. 1. patet igitur ne opus quidem esse nomen Timaei citatum a Tzetza ad retegendam Timaei auctoritatem Tzetzae loco in Lycophr. 1141, agente de poena Locrensi abrupta post bellum Phocense. immo hoc vel neglecto Tzetzae loco a nobis efficitur ex tribus rebus: ex generali Timaei notitia etiam a Geffckeno ei concessa aevi poenae miliarii; ex Apollodoro poenae auctore post bellum Phocense a. 346 finitae; ex computatione Timaei propria, qua Troiam cecidisse a. 1334 voluit. quae res tres in unam rationem defendendae fidei Tzetzae concurrunt, atque etiam Scheer l. l. p. 336, 7 Tzetzam, si de suo nomen Timaei addiderit, 'feliciter temerarium' id nomen addidisse professus est, nec minus Holzinger, *Lykophr. Alex.* eqs. (Lps. 1895) p. 330 seq. Geffckeno obloquitur.

quodsi frg. 66 M. Timaei genuinum est, schol. Lycophr. 1159 a Geffckeno inter fragmenta Timaei p. 141 receptum, ut pugnans adversus frg. 66, cum Scheerio et Holzingero ab eo abiudicandum est. verba *ὁ δὲ χρησμὸς οὐκ εἶχεν ὡρισμένον χρόνον* ad Timaeum non quadrant, qui famam poenae per annos mille grassantis non solum novit, sed etiam veram habuit, siquidem post bellum Phocense desiisse poenam docuit. confert tamen scholion illud a Timaeo alienum multum, si quid sapio, ad Timaei partes in tradenda poena Locrensi etiam accuratius definiendas. quo ex scholio colligendum est, spatium poenae miliarium in Timaeo a nobis inventum offendisse doctos aetatis antiquae. Locrenses reapse etiam post bellum Phocense mittebant Ilium virgines (v. infra). iam vero huic rei insistam, et ubi commonuero, largam omnino fuisse dissidentem a Timaeo memoriam veterum de poena Locrensi, monstrabo mille annorum spatium sero demum poenae additum esse omnemque eius spatii miliarii rumorem redire ad unum Timaeum.

Oraculum priscum fertur iussisse Locrenses mille per annos mittere virgines in historia fabulari Apollodori l. l., schol. Lycophr. 1141, Tzetzae in Lycophr. 1141. at historia fabularis sibi non constat: diversum docet non tantum schol. illud Lycophr. 1159 *ὁ δὲ χρησμὸς οὐκ*

εἶχεν ὡρισμένον χρόνον. immo cum hoc scholio conspirat fere Aelianus *ποικ. ἱστ.* frg. 47 (Suidas s. v. *ποινή* p. 538 Bernhardy) *ὁ Ἀπόλλων φησὶ πρὸς Λοκροὺς μὴ ἂν αὐτοῖς τὸ δεινὸν λωφῆσαι, εἰ μὴ πέμποιεν ἀνὰ πᾶν ἔτος δύο παρθένους ἐς τὴν Ἴλιον τῇ Ἀθηνᾷ, Κασάνδρας ποινήν, 'ἕως ἂν ἱλεώσητε τὴν θεόν'.* item memorant oraculum, mille annos tacent Polybius XII 5, 7 *ἔμελλον οἱ Λοκροὶ κατὰ τὸν χρησμὸν κληροῦν τὰς ἀποσταλησομένας παρθένους εἰς Ἴλιον* et Servius auct. *Aen.* I 41. perdubium igitur remanet, num in oraculo, quale apud Locrenses fuit certe inde ab exitu sexti saeculi (cf. Wilhelm l. l. p. 174) qualique explicatus fuit in religione Locrensi mos sive tunc natus sive etiam vetustior mittendarum virginum (cf. Toepffer, *Realenc.* I 938. Wilhelm ibid.), de mille annis vox fuerit. nec vero ulla ratio est, qua dicantur cycli epici carmina, etiamsi noverint poenam Locrensem (cf. Lehmann-Haupt, *Gr. Gesch., Einl. in die Altertumsw.* III² p. 105 seq.), mille annorum spatium poenae memoravisse. immo quae quidem testimonia tria historiae fabularis apposui perhibentia, de mille annis ex oraculo deum ecfatum esse, eorum testimoniorum primum, Tzetzae locum in Lycophr. 1141 Timaei fragmentum esse supra placuit. alterum testimonium, Apollodori *epit. Vat.*, quod sic cum Tzetza conspirat, ut memoria paene eadem sit[1]), ad poetas Alexandrinos a Timaeo pendentes revertitur, cf. Wagner, *cur. myth.* (*epit. Vat. ex Apoll. bibl.*, Lps. 1891) p. 292. nempe pars aliqua historiae fabularis Apollodori procul dubio ex poetis Alexandrinis fluxit (v. Schwartz, *Realenc.* I 2878 seqq.). tertium testimonium, schol. Lycophr. 1141 rursus vix quisquam diverse atque duo priora habebit, quippe quod desinat in verba *ταύτης δὲ τῆς ἱστορίας καὶ Καλλίμαχος μέμνηται.*

itaque nulla re indicatur, ultra Timaeum ascendere oraculum mille annorum. inde audeo discernere, cuius oraculi Locrensis memoria ad Timaeum pervenerit, cuius oraculi memoria ab eo profecta sit. nimirum Timaeus mihi videtur nimis confisus rumori falso poenae Locrensis post bellum Phocense finitae oraculum illud, quod teste Aeliano exiit in verba *ἕως ἂν ἱλεώσητε τὴν θεόν*, sic interpretatus esse, ut post mille annos deae irae satisfactum esset.[2]) philosophiam

1) Apollodorum qui vocatur, in *epitomam Vaticanam* redactum esse ab ipso Tzetza intellegit Schwartz, *Realenc.* I 2875.

2) revera poena Locrensis ad breve tempus intermissa erat deleto Naryco a Phayllo a. 352/1 (Diod. XVI 38, 5), v. Wilhelm l. l. p. 183. — de Timaeo ora-

igitur seu potius superstitionem pythagoricam oraculo Timaeus intulit. qui tamdiu Palladem iratam habuisse Locrenses statuebat, quamdiu poena deorum grassari ferebatur ex fabulis platonicis sive pythagoricis, nobis quidem notis maxime ex Plat. *Φαίδρ.* p. 249 B seq. et *πολ.* p. 615 A seq. (cf. Elter apud Scheidweiler, *Euphor. fragm.* p. 43). Timaeus, qui pythagorico quodam instinctu vacabat numerorum rationibus in rebus gestis retegendis (cf. Susemihl, *Gesch. d. gr. L. i. d. Alex.* I 578 adn. 287), optimo iure mille annos durantis poenae Locrensis auctor primarius nuncupabitur.

quodsi apud veteres aevi poenae miliarii memoria nulla erat, nisi oraculi alicuius interpretatio superstitiosa Timaei, egregie intellegitur, cur historici, qui multi et spectabiles post Timaeum poenam Locrensem tetigerunt, aevum miliarium poenae ignorent. quorum qui de spatio poenae diserte locuti sunt, ii evidenter distant a Timaeo. atque de fine poenae diversum a Timaeo Plutarchi testimonium est, ascendentis fortasse ad Posidonium (cf. Wilamowitz apud Geffcken l. l. p. 13 ad. 5) *περὶ τῶν ὑπὸ τ. θείου κτλ.* 12 p. 557 C seq. *καὶ μὴν οὐ πολὺς χρόνος, ἀφ' οὗ Λοκροὶ πέμποντες εἰς Τροίαν πέπαυνται τὰς παρθένους κτλ.* quo loco id notatu dignissimum est, quod ne conatur quidem Plutarchus vel auctor eius poenae per annos mille grassantis calculos ponere, etiamsi pellectum esse eum pluribus causis credas ad eos calculos. nempe paullo superius Plutarchus exemplum Pheneatarum protulit ab Apolline vexatorum propter peccatum annis mille ante admissum. praeterea variis doctorum computationibus spectata eversio Troiae Plutarcho suppetivit, ita ut oraculum Locrense explicaturus, dummodo fuisset quid in oraculo de annis mille dictum, miliarium numerum complere variis rationibus valuisset, prout verus finis poenae cecidit. nonne cum poena reapse post bellum Phocense etiam longius duraverit, quae traditio Plutarchea est firmata praeclare titulo illo a Wilhelmo l. l. tractato anni circiter 240 Locrensi, spatium mille annorum utique melius concinebat cum calculis Eratosthenis statuentis Troiam a. 1183 eversam esse quam cum Timaei calculis spretis omnino a doctis posterioribus? at otiosum est opinari de rebus, quas nemo non videt numeris pluribus esse incertas;

culorum auctore cf. etiam Wolff, *Porphyrii de phil. ex or. haur. libr. rel.* (1856) p. 70 seq. varia fata oraculorum apud Graecos in universum tangit Diels, *Sibyll. Blätter* (1890) p. 33.

certum tamen discrimen est Plutarchi a Timaeo. iam vero item ut de fine poenae locutus Plutarchus a Timaeo dissentit, de initio eius locutus Strabo sive potius auctor Strabonis Demetrius Scepsius abhorret a Timaeo, cf. Strab. XIII 1, 40 p. 601 *τὰς δὲ Λοκρίδας πεμφθῆναι Περσῶν ἤδη κρατούντων συνέβη*. denique ut omnes scriptores collectos habeas, qui de poena Locrensi dicentes ignorant spatium miliarium poenae, Polybium, Aelianum (Suidam), latinorum Servium iam supra nominavi, quibus addendus est qui ante Timaeum scripsit Aeneas Tacticus 31, 24 p. 89 seq. Schoene.

Itaque nec ante Timaeum nec post eum in traditione historica miliarium poenae aevum locum tuetur. atque post Timaeum scribentes eumque noscentes et corripientes Polybium et Strabonem commovebat sane ad tacendum spatium mille annorum computatio insolens illa Timaei, qua Troiae casum a. 1334 ascripsit, nec non falsa memoria de fine poenae. acceperunt tantum Timaei interpretationem pythagoricam oraculi Locrensis poetae, ut vidimus, Alexandrini, qui quantopere calculos curaverint de numero miliario locuti, non quaero, sciens ne a docto quidem poeta iuratores exigi.[1]) si autem recta via progressus sum, conatus tibi persuadere, pythagoricis indulgentem superstitionibus Timaeum suo periculo docuisse, Locrides Ilium missas esse per annos mille, exspectandum est, ut Timaeum historicum improbatum ab historicis probarint philosophi: Iamblichus mille annorum poenam Locrensem commemoravit *περὶ τοῦ Πυθ. βίου* 8, 42 p. 30, 4 seqq. N. *μόνης τῆς ἀδικίας τὸν θεὸν ... χιλιετῆ τάξαι τὴν τιμωρίαν, χρησμῳδήσαντα ... τὴν τῶν παρθένων ἀποστολὴν παρὰ τῶν Λοκρῶν εἰς τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Ἰλιάδος ἱερόν.* Iamblicho autem accedens Hieronymus *per annos circiter mille* Locrides missas esse cum Timaeo vult.

singularis igitur et pythagorica quae fuit Timaei doctrina eaque a Iamblicho uno praeter poetas recepta, eam Hieronymus ex litteris neoplatonicis traxit. superest ut hoc Locrense exemplum, quo Iamblichus et Hieronymus consentiunt, cur ex Porphyrio malim quam ex

1) Lycophro item ut Callimachus et Euphorio, si eruditi erant de errore Timaei in tradendo fine poenae Locrensis, tamen rationem mille annorum Timaei veram habere potuerunt, dummodo cum Eratosthene Troiam a. 1183 deletam esse sumpserint. Euphorio Eratosthenis calculos secutus esse videtur, cf. Scheidweiler l. l. p. 44. de Lycophrone locutus est Sudhaus, *mus. Rhen.* LXIII (1908) 485 seq. adn. 1.

Iamblicho in Hieronymum descendisse, causam indicem eliciendam ex exemplo ipso. desideratur autem in Iamblicho castitatis, quam Hieronymus celebrat verbis *nulla obsceni rumoris et pollutae virginitatis ullam fabulam dedit,* adnotatio. quae adnotatio, si quid sentio, non debetur inventioni Hieronymi, sed residua pars sermonis maioris est, quo Porphyrius virginum Locrensium castitatem tractaverat. accuratius legem castitatis puellis Ilium missis impositam expiandae arae causa ab Aiace pollutae definire temptavit Wilhelm l. l. p. 219. verum etiam praeter incestum Aiacis veteribus institutorum antiquorum curiosis occasio erat, ut in poena Locrensi versantes de castitate virginum Locrensium longiores essent. Athenaeus narrat XII p. 516 A Locros Epizephyrios meretriciae consuetudini filias suas consecravisse. ex hac consuetudine dissolvenda 'poena Locrensi' veram causam poenae repetere voluit I. Vuertheim, *de Aiacis origine cultu patria* (1907) p. 124; certe isti consuetudini etiam apud veteres apte opponebatur Ilium missarum virginum castitas. itaque vita virginum Locrensium in templo Minervae Iliensis depicta ab Apollodoro l. l. p. 222, 16 seq. W. (cf. Tzetzes in Lycophr. 1141 p. 336, 1 seq. Sch.): κεκαρμέναι δὲ ἦσαν καὶ μονοχίτωνες καὶ ἀνυπόδετοι supplenda est ex Hieronymo, qui Porphyrio intercedente partem memoriae Timaei ab aliis scriptoribus neglectam fideliter servavit.[1])

4

Historica exempla virginum castarum Hieronymi permensus sum. quae cuiusque exempli memoria in litteris reliquis veterum sit patet; retectus est ordo exemplorum, quo Attica exempla duo primum locum occupant, Messeniaca tria alterum, Boeotica tria tertium, post primum exemplum Boeoticum duo alia immixta sunt alienigena, Locrense et Milesium. iam vero has decem narrationes ad unam omnes cum promiserim supra p. 143 ex graeca oratione Porphyrii me repetiturum esse, tamen adhuc nihil nisi id profectum est, quod exemplum Locrense propria indole pythagorica et Porphyriana insigne esse inventum est. nam quod Scedasi filias ipsas quoque in litteris neoplatonicis commemoratas fuisse supra p. 160 monui, nihilo-

1) in vasis pictas puellas Locrides illustravit Fr. Hauser, *Die lokrischen Mädchen, Jahreshefte des österr. arch. Inst.* XV (1914) p. 168 seqq.

minus plane aberam, ut hoc exemplum proprie sapere quid neoplatonici dicerem; immo in maxima copia tralaticia exemplorum et narratiuncularum neoplatonicarum etiam Scedasi filiae fuere. quodsi ratio spectatur, quae inter unamquamque narrationum decem Hieronymi et philosophiam resque proprias neoplatonicorum intercedit, et simul spectatur ordo iam retectus harum narrationum, in partes duas eae discedunt: pars prior efficitur corpore exemplorum octo, Atticorum, Messeniacorum, Boeoticorum, quorum nullum quid commune habet cum rebus neoplatonicis; altera pars efficitur exemplis, quae Boeoticis inserta sunt, Locrensi et Milesio, quorum Locrense quidem auctorem aperte prodit Porphyrium. atque corpus illud narrationum octo secundum regiones Graeciae dispositum, simplex et unum esse intellegitur non solum ex narrationum ordine, sed etiam ex temporum ratione certa quadam, quae harum narrationum omnium communis est; nulla enim earum de re agit post finem saec. IV gesta, nex Leosthenis in annum 323 cadens rerum in his tractatarum recentissima est. quod vero priscae res nonnullae recensionibus recentioribus inter has fabulas narrantur, nulla priscarum rerum recensio coloris tam recentis est, ut demum post saec. IV videatur orta esse. nempe priscarum rerum fabula de origine bellorum Messeniorum recensionis recentissimae est, quae demum post Philippi, regis Macedonum tempora nata est (v. p. 159). sed haec quoque fabula, quamquam Ephoro nondum nota erat, tamen nota erat Timaeo; quin nulla res impedit, quominus ea viguerit etiam aliquanto ante Timaeum saec. IV. e contrario quae turbat ordinem octo exemplorum secundum regiones Graeciae dispositorum narratio Milesia, de re agit post annum 278/7 gesta. nec non poena Locrensis sensum talem in Hieronymo prae se fert, qualis a Timaeo primo poenae inditus est scribente vix ante initium saec. III. sic rationibus compluribus secedunt a corpore octo narrationum Locrensis et Milesia.

iam vero videndum est, num haec partitio vel potius hoc discidium exemplorum Hieronymi, quod ex sermone eius pellucet, lucrum afferat ad dispiciendos fontes eius. apparet autem ordinem narrationum octo secundum regiones Graeciae dispositarum ab Hieronymo profectum non esse, qui ordo ab eo disturbatur, ut ab nesciente eum, interpositis narrationibus Locrensi et Milesia. deinde fabulam Arcadicam de Aristocrate, Orchomeni tyranno, quae inter Messenias fabulas

duas apud Hieronymum media occurrit, ex litterarum genere Messeniacorum fluxisse, equidem confido me probavisse; sed voluisse ipsum Hieronymum fabulam Arcadicam cohaerere cum memoria narrationum Messeniarum, nullo iure sumpseris. quodsi quod causis illis compluribus simplex et unum esse corpus exemplorum octo perspectum est, eius corporis conditor Hieronymus agnosci nequit, unus ex auctoribus Hieronymi in sermone saeculari de nuptiis et virginitate excitandus erit, cui haec exempla ad unum omnia reddantur. duae autem opiniones poni mihi posse videntur maxime arridentes de origine exemplorum. nam qui ei praecipue rei institerit, quod doctrinae neoplatonicae colores nulli in corpore narrationum octo inventi sunt, narrationum duarum additiciarum alterius certe origo Porphyriana aperta est, is haud scio an sic statuere animum inducat, ut Hieronymus duos auctores diversos coniunxerit et additamentis Porphyrianis auctorem corporis narrationum octo locupletaverit. atque hunc auctorem facile quis Senecam nuncupaverit, quam ad opinionem sustentandam rationes aliquas probas protrahi posse ne ipse quidem denego. quamquam non curo, quod Bock, *Aristoteles* eqs. p. 12 seq. et Grossgerge, *de Senecae* eqs. p. 21 totum locum Hieronymi inde a p. 307 D *triginta Atheniensium tyranni* eqs. usque ad p. 309 B *existeret* — historica exempla, quae distinxi a philosophicis sequentibus Hieronymi et antecedentibus tractis ex superstitione gentilium, universa — Senecae tribuebant, hariolantes potius quam quaestionibus ducti strenuis. sed etiamsi Bock et Grossgerge spernuntur, tamen corpus ut Annaeanum habeatur Porphyrianis auctum, nonnulla suadent. nam cum Seneca ex testimonio Hieronymi ipsius c. 49 p. 318 B inter praecipuos auctores saeculares eius in l. I *adv. Iovin.* numerandus sit, tum dialogus eius de matrimonio largam seriem exemplorum historicorum procul dubio praebuit (cf. c. VII), auctoresque stoici Senecae sollemnes tanta eruditione exornati erant, ut copiam Hieronymi ad eos referre utique liceat.

At edixi alteram etiam opinionem constitui posse. est enim ratio, qua probabile fiat, exempla illa octo ante exitum saec. IV exorta item atque exempla duo recentiora ex Porphyrio ab Hieronymo petita esse. cui rationi tantum abest, ut noceat id quod vacua sunt exempla illa octo vetustiora a coloribus neoplatonicis, ut hoc ipsum huic rationi faveat. repetam enim rationem eam a consuetudine Porphyrii, qua vetustos scriptores passos mutationem sententiarum nullam, quin

ad litteram fere transcriptos recipiebat in libros suos. sed accuratius rationem, qua usurus sum ad deducendum corpus exemplorum octo ex Porphyrio, sic explicabo, ut simul tractem offensiones quasdam, quae eum vexare debeant, qui Senecae tribuere haec exempla audeat.

quae exempla fac modo fluxisse ex Seneca, primum declarare non poteris, cur nullum eorum ultra saec. IV descendat. neque enim in servatis scriptis Senecae ulla amplior exemplorum congeries, nedum tanta, quantam exempla Hieronymiana octo efficiunt, est quae integra ex vetusto scriptore saec. IV exeuntis vel III ineuntis recepta esse videatur, quamve puram ab additamentis rhetoricis et exemplis recentioribus conversam latine Seneca praestare contentus fuerit. at Porphyrio compilatio scriptorum vetustorum talis optimo iure tribuitur, neque hoc loco opus est de illo centones consarcinante scriptorum vetustorum sermonem redintegrare. ac vel id constat, Porphyrium eos ipsos auctores compilavisse sollemniter, quorum aetas aetati, qua corpus exemplorum octo congestum videtur, conveniat. sicut Theophrasti usus Porphyrianus notissimus est, de Aristoxeno exscripto a Porphyrio modo dixi p. 132. succurrit igitur de origine corporis exemplorum octo sic opinari, ut id corpus ecloga esse existimetur ex opere quodam peripatetico circa initium saec. III confecto, quae ecloga Porphyrio intercedente in Hieronymum devenerit; qua opinione accepta de recentioribus exemplis Hieronymi Locrensi et Milesio rursus aut sic statui debebit, ut Porphyrius ipse eclogam peripateticam exemplis recentioribus auxerit, aut Hieronymus ex alia parte libri Porphyriani a se compilati exempla illuc vocaverit. nempe compilatorum est, diversas partes operis compilati miscere, atque etiam in l. II *adv. Iovin.* excerpta operis Porphyriani περὶ ἀπ. ἐμψ. nequaquam ordinem huius operis servare cognosces ex appendice. iam vero librum peripateticum, ex quo corpus exemplorum octo a Porphyrio excerptum sit, ut in censum vocem, non solum movent me aetas exemplorum et studia Porphyrii probata veterum litterarum peripateticarum; immo accedit, quod ars narrandi in exemplis illis octo obvia sponte etiam supra nos commonebat saepius artis narrandi a peripateticis veteribus exercitatae exeunte saec. IV florentibus. cf. quae de Aristocratis regno ex vindicta abolito exposui p. 157, de affectibus excitatis in narratiuncula Aristomenea apud Hieronymum acrius quam apud Pausaniam p. 158; Nicanorem Stagiritem a peripateticis veteribus celebratum esse tibi persuadere

conabar p. 161. ergo Porphyrium fac fontem esse omnium decem narrationum historicarum Hieronymi; rationem habebis, qua aetas peculiaris exemplorum octo declaretur; simul eadem ratione clarum erit, quomodo factum sit, ut vestigium neoplatonicum in exemplo Locrensi, recentiore illo et extra ordinem corporis exemplorum octo relicto inveniretur, nullum exemplorum illorum octo originem suam Porphyrianam proderet.

Adducor autem, ut pro Seneca Porphyrium fontem exemplorum historicorum omnium Hieronymi esse sumam, etiam ea re, quod nulla nisi graeca exempla historica virginum castarum ab Hieronymo, scriptore romano, afferuntur. Seneca nimirum quo ordine, quibus legibus praecepta moralia exemplis defendere consueverit ex historia romana et peregrina pariter petitis, c. VII fusius enarrabo, ubi Hieronymi exempla matronarum pudicarum tam peregrina quam romana ex Seneca repetam. veri autem dissimillimum est, philosophum romanum eam rem narratiunculis nullis nisi peregrinis illustravisse, quam ad illustrandam historia romana exempla peridonea et accepta a rhetoribus in promptu habuit. quid? num illud tu putas probabile esse, Senecam, si exempla collegisset virginum morte pudicitiam servantium, Verginiam praetermissurum fuisse? quae pro pudicitia occubuit et in exemplum abiit rhetorum conclamatissimum, una cum Lucretia vocata a Seneca patre *contr. exc.* I 5 *refer Verginiam, dic Lucretiam.* at Lucretiam Hieronymus, Senecam se sequi professus c. 49 p. 320 A nominavit; quam altero quoque loco c. 46 p. 312 A inter exempla posuit, quem non minus repetam infra ex Seneca. Verginia contra abest ab Hieronymo. — porro cum virtutem virginum castarum etiam aliter quam morte probatam Hieronymus celebraverit graeco exemplo virginum Lacedaemoniarum apud Messenios in hostili terra permanentium, dum Aristomenem defensorem pudicitiae suae in iudicio ipsae defendissent, nonne Romanorum Cloelia erat? cuius virtutem apud hostes probatam rhetores romani ex virginitate deducebant, cf. Manil. I 780 *maiorque viris et Cloelia virgo.* Liv. II 13, 6 *Cloelia virgo* eqs. ibid. 10 *quod et virginitati decorum ... erat.* quod exemplum ipse Seneca agitavit pluribus *ad Marc.* (dial. VI) 16, 2, unde eum apparet in dialogo de matrimonio, modo ut in eo exempla virtutis virgineae posuisset, Cloeliae locum insignem concessurum fuisse. attamen in Hiero-

nymo de illa nec vola nec vestigium. ac praeter trita exempla virtutis virgineae annales romani etiam remotiora habent, quae Valerius Maximus una cum exemplo Verginiae l. VI cap. 1, cui inscripsit *de pudicitia,* suppeditat. eiusmodi igitur exempla romana praeter graeca in eo scriptore adsint oportet, quem putaturus tuo iure es pendere a Seneca in virginitate celebranda narratiunculis historicis.

Hactenus de offensionibus, quibus deterreamur a Seneca pro fonte Hieronymi habendo in exemplis historicis. compilatione Annaeana Hieronymi nec peculiaris aetas exemplorum octo declaratur, nec id, quod romanum exemplum nullum est inter exempla decem Hieronymi. e contrario utraque offensio succidit Seneca seposito atque ratione illa accepta, qua vetus ecloga peripatetica Porphyrio intercedente in Hieronymum delapsa exemplis Porphyrianis aliis aucta sit, Locrensi et Milesio. huic igitur rationi nunc supponendum est etiam fundamentum altius, opinionibus de bono coniugali moralibus Senecae et Porphyrii inter se comparatis. a Senecae dialogo de matrimonio virginitatem afuisse colligam ex philosophia morali eius et loci stoici *περὶ γάμου* natura et historia; ascetica Porphyrii ratione intellecta perspicuum erit, opus eius ex Hieronymo restituendum non tam vitae coniugalis quam vitae purae a venere praeconium fuisse.

5

Porphyrium non potuisse aliter *περὶ γάμου* loqui nisi sic ut abiret subinde in cohortationem asceticam, optime illustratur libro eius ad uxorem scripto, ubi abstinentiam a venere commendavit, cf. *πρὸς Μαρκ.* 28 p. 292, 7 seqq. N. *ἁγνεύειν οὖν καὶ οἱ θεοὶ δι' ἀποχῆς . . . ἀφροδισίων προσέταξαν.* ibid. 33 p. 296, 4 seq. *ἐκ παρθένου γὰρ ψυχῆς . . . τὰ τικτόμενα μακαριώτατα.* ibid v. 6 seq. *ἃ δὲ τίκτει τὸ σῶμα, μιαρὸν πᾶσι τοῖς θεοῖς ἐνομίσθη.* ea nimirum fuit Porphyrii castitas, ut viduam in matrimonium duceret ex verbis Eunapii *βί. φιλ. κ. σοφ. Πορφ.* p. 457 Boiss. (Paris. 1849) *οὐχ ἵνα παῖδας ἐξ αὐτῆς ποιήσηται, ἀλλ' ἵνα οἱ γεγονότες παιδείας τύχωσιν*; v. etiam Porphyrium ipsum *πρὸς Μ.* 1 p. 273. asceticam Porphyrii rationem infra etiam plus persequar conferens eam cum doctrina coniugali Iamblichi. hoc tamen vel ex solo libro eius ad uxorem abunde intellegitur, boni coniugalis aestimationem eandem Porphyrii fuisse atque Hieronymi in opere *adv.*

Iovin. virginitatem nuptiis praeponentis. facilitate igitur eadem Porphyrius transire potuit atque Hieronymus ab argumento matrimonii ad virginitatem celebrandam exemplis historicis. etenim ex abstinentia a venere pro summo bono habita omnis pendet mixtio loci de matrimonio cum loco de virginitate, qualis deprehenditur in sermone ethnico l. I *adv. Iovin.* item plane atque in christiano sermone nuptiali eiusdem libri Hieronymiani nec non in aliis litteris christianis nuptias et virginitatem tractantibus plurimis. libri *adv. Iovin.* narratiunculae historicae de virginibus sic cohaerent cum loco *περὶ γάμου*, ut coniugalis virtutis, i. e. pudicitiae summus gradus abstinentia a venere, i. e. virginitas sit. iam vero quaero, num Senecae cohortatio coniugalis pariter atque Porphyriana rationem asceticam spiraverit, Senecaeque opus coniugale spectaverit Hieronymus c. 41 p. 306 C iactans, apud ethnicos quoque antiquitus *virginitatem tenuisse pudicitiae principatum.* nam ut vacuus fuerit Senecae dialogus *de matr.* a sensibus asceticis penitus, aegerrime cogitari, opinor, poterit via in Seneca, quae duxisset a matrimonio ad virginitatem celebrandam sermone longo eoque exornato historicis narratiunculis plurimis.

atque adeo dignam esse quae expediatur, quaestionem, num fuerit ascetica ratio cohortationis coniugalis Annaeanae, dabunt libenter qui animo memori tenent, iam Senecae aetate a philosophis pythagoricis quibusdam pro summo bono abstinentiam a venere habitam esse; cf. W. Capelle, *Altgriechische Askese, Neue Jahrb.* t. XXV (1910) p. 705. quos philosophos pythagoricos rationis certae etiam in ipso coniugio abstinentiam a venere locum suum tueri voluisse monuit Reitzenstein, *Hellenist. Wundererzähl.* (1906) p. 45 adn. 1 collato Clem. Alex. *στρωμ.* III 3 (24, 1) p. 206, 20 seqq. St. *ταύτῃ οὖν φασι καὶ τοὺς Πυθαγορείους ἀπέχεσθαι ἀφροδισίων. ἐμοὶ δὲ ἔμπαλιν δοκοῦσι γαμεῖν μὲν παιδοποιίας ἕνεκα, τῆς δὲ ἐξ ἀφροδισίων ἡδονῆς ἐθέλειν κρατεῖν μετὰ τὴν παιδοποιίαν.* quin ipse Posidonius, cuius auctoritatem maximam in Seneca omnino fuisse nemo nescit[1]), inclinavit in asceticas rationes

1) quamquam in morali parte philosophiae auctoritatem Posidonii apud Senecam praesertim prae Hecatonis auctoritate parvam puto. velut in opere perdito *de officiis* Hecatonem praetulisse Senecam Posidonio probabam *mus. Rhen.* LX (1905) p. 550. de dissensu Senecae a Posidonio in *epist.* 90 cf. Reinhardt, *Herm.* XLVII (1912) p. 511 seq. et Pohlenz, *Berl. ph. W.* XXXIII (1913) p. 4. in servato opere *de beneficiis* Chrysippus et Hecato compilati sunt (v. infra c. VII 6). deinde quae de Hecatonis auctoritate in *epistulis* Senecae qui-

(cf. Sen. *epist.* 92, 10. Schmekel, *Die Phil. d. mittl. Stoa* p. 276. Capelle, *Berl. Ph. Woch.* XXXIII, 1913, p. 398).

Hac igitur argumentatione novissima prohibebo a dialogo Senecae *de matr.* exempla virginum, ut coarguam asceticae rationis nil admodum in hoc dialogo fuisse; Senecam pudicitiam sic intellexisse, ut arceret ab huius virtutis notione abstinentiam a venere et *ἁγνείαν* Porphyrii sive pythagoreorum temporum ipsius.

pluribus autem indiciis assequi licet, purum a cohortatione ascetica fuisse dialogum Senecae. primum de praeceptis in matrimonio dandis forte fortuna accidit, ut Senecae sermo sit *epist.* 94, 15 *in matrimonio praecipies, quomodo vivat cum uxore aliquis, quam virginem duxit, quomodo cum ea, quae alicuius ante matrimonium experta est, quemadmodum cum locuplete, quemadmodum cum indotata. an non putas aliquid esse discriminis inter sterilem et fecundam, inter provectiorem et puellam, inter matrem et novercam?* quid sentiam de hac enumeratione praeceptorum in matrimonio dandorum, quae ratio inter hanc fuerit et ordinem dialogi *de matr.*, c. VII 6 una cum reliquis quaestionibus de ordine huius dialogi tractabitur. interim statuo, in isto plenissimo praeceptorum coniugalium catalogo nullum tamen locum esse, a quo profectum esse sermonem asceticum aliquem de virginitate merasque laudes virginitatis commode dicturus sis. quamquam exstitit qui hoc ipso catalogo praeceptorum coniugalium abuteretur, ut laudibus virginitatis locum pararet in Seneca; praecepta danda marito ei, qui virginem in matrimonium duxerit, occasionem celebrandae virginitatis voluit Grossgerge, *de Sen.* eqs. p. 40 seq. Senecae obtulisse. hoc incaute Grossgerge, si colores exemplorum diligentius intueris, quorum pleraque sunt virginum exempla pro virginitate occumbentium. immo ei parti praeceptionis Annaeanae, ubi dictum erat, *quomodo viveret aliquis cum uxore, quam virginem duxerit,* eiusmodi potius cohortatio infuit, quae indicatur versu recepto a Ps.-Aristotele *οἰκον.* I 4 p. 1344 a 17 Hesiodi *ἔ. κ. ἡ.* 699: *παρθενικὴν δὲ γαμεῖν, ἵνα ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς*; cf. etiam ipsum Senecam *de rem. fort.* 16, 6 p. 109, 8 seq.

busdam Arnim coniecit, composuit Sonntag, *Sen. de benef.* (diss. Lips. 1913) p. 6 seq. adn. 1. — tantum therapeuticus libri II *de ira* totus Posidonium exprimere videtur (v. Rabbow, *Antike Schriften über Seelenheilung* eqs. I, 1914). in praesentia taceo res non morales in moralibus scriptis Senecae ad Posidonium revocandas, velut in *cons. ad Marc.* (d. VI) doctrinam de anima Posidonii (cf. Reitzenstein, *Poimandres,* 1904, p. 253 seqq.).

Rossb. *hanc facile ad mores tuos rediges, quam nondum corruperunt publici.*

Praeceptionis igitur asceticae in loco de matrimonio nulla plane vestigia libri servati Senecae offerunt. proximum est, ut Hieronymi Annaeana fragmenta de matrimonio perlustremus, tam eos locos, qui expresse sub nomine Senecae referuntur, quam eos, quorum de origine Annaeana suspicio est, ut plana res fiat, num ratio aliqua ascetica philosophiae coniugalis Senecae fuerit. occurrit autem in capitis 49 ea parte, quam et priores ad Senecam revocaverunt, et interim ego supra p. 108 ei addixi distribuens totum caput inter auctores principales Hieronymi Aristotelem sive Porphyrium, Plutarchum, Senecam, p. 319 A seq. praeceptio quaedam de abstinentia a venere gravidarum, coloribus imbuta videlicet asceticis: *certe qui dicunt se causa reipublicae et generis humani uxoribus iungi et liberos tollere, imitentur saltem pecudes, et postquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos.*[1])

hoc igitur praeceptum de concubitu maritali interpolamentum ecclesiasticum vel neoplatonicum memoriae Annaeanae nuncupo[2]); nam etiamsi inde a p. 318 D *refert praeterea Seneca* eqs. usque ad p. 320 B *quam ut excidere possit infixit* Seneca principalis auctor Hieronymi sit, tamen subsidiarios fontes et interpolationes christianas etiam in c. 49 praeter principales fontes illos in censum venire per se patet. velut

---

1) falso Grossgerge p. 33 hunc locum ad conceptum medicaminibus dissolvendum traxit. quae interpretatio corruit propter verbum *imitentur saltem pecudes.* ceterum etsi Hieronymus nil indicat, tamen libenter credo, in dialogo *de matr.* invectum esse Senecam vehementer in vitium dissolvendi conceptus. quod tangit *ad Helv.* (d. XII) 16, 3; deinde *τόκος* est litterarum coniugalium stoicarum, cf. Praechter, *Hierokl.* p. 86; Wendland, *Philo u. d. k.-st. D.* p. 37; Schick, *Favorin περὶ π. τρ.* (Lps. 1912) p. 5. differt igitur stoa ab Aristotele suadente, ut adhibeantur abortiva sub condicione certa (v. Zeller, *Die Phil.* II 2^3 p. 731); toti a stoa stant sane christiani ut Tertullianus *de exh. cast.* 12; *ad ux.* I 5; *de pudic.* 5 p. 227, 15 Vind.; *apol.* 9. cf. etiam I. Ilberg, *Zur gynäkologischen Ethik der Griechen, Archiv f. Rel.* XIII (1910) p. 1 seqq. et O. Immisch, *Philol.* LXXI (1912) p. 563 seq.

2) genus dicendi de origine loci nil docet. *non* in enuntiato dehortativo, etiamsi plebeium imprimis sit aut latinitatis inferioris, tamen non plane abest a litteris argenteae aetatis (cf. Schmalz, *Synt.*[4] p. 478); in codicibus Senecae *de benef.* VII 16, 4 est *non rapias*, ubi Gertz *ne rapias.* fortasse nota etiam *epist.* 83, 13 *non semper confugiamus,* ubi *Q ne* pro *non* (v. *Berl. ph. Woch.* XXXIV, 1914, p. 607).

p. 320 C in cumulo capitis Tertullianus Plutarcho et Porphyrio accedit (v. p. 78 seq.), nec non Annaeanis Sexti sententia p. 318 E seq. ab Hieronymo inserta est (v. c. VII 5).

prohibituro autem mihi istud praeceptum de concubitu maritali a Seneca non tantum pugnandum est adversus Haaseum, cuius in frg. 85 locus legitur, sed praesertim etiam adversus Zellerum, qui *Die Phil.* eqs. III 1[4] p. 302 adn. 1 ad praeceptionem stoicorum de matrimonio enarrandam hunc locum Hieronymi ut fragmentum Senecae adhibuit. debuit autem Zellerum vel ea, quam ipse denotavit, similitudo deterrere praeceptionis Annaeanae, quam putavit, cum Essaeorum partis cuiusdam regula a Iosepho tradita *ἱστ.* *'Ιουδ. πολ.* II 161 (8, 13) *ταῖς δ' ἐγκύμοσιν οὐχ ὁμιλοῦσιν, ἐνδεικνύμενοι τὸ μὴ δι' ἡδονὴν ἀλλὰ τέκνων χρείαν γαμεῖν.* nimirum sententiae nequaquam Senecae diserte ab Hieronymo tributae consensus cum Essaeis ecclesiasticum potius auctorem Hieronymi indicat quam stoicum. praesertim autem ea re Zeller impeditus erat originem sententiae Hieronymianae recte perspicere, quia non suppetiverunt ei alii loci iique antiquitatis infimae cum loco *adv. Iovin.* etiam magis concinentes quam Iosephus. primum Hieronymus ipse in commentario *in epist. ad Eph.* scripto a. 386/7 (Gruetzmacher, *Hier.* I 62) annis aliquot ante opus *adv. Iovin.* de abstinentia gravidarum a venere sic locutus est, ut pecudum ad exemplar item ac postea in opere *adv. Iovin.* homines se formare iuberet; v. 5, 27 t. VII p. 657 A seq. Vall. *hoc legens omnis vir et uxor intellegant, sibi post conceptum magis orationi quam conubio serviendum. et quod in animalibus et bestiis ipso naturae iure praescriptum est, ut praegnantes ad partum usque non coeant, hoc in hominibus sciant arbitrio derelictum, ut merces esset ex abstinentia voluptatum.*

nonne dedecet eam cohortationem de concubitu maritali in opere *adv. Iovin.* ex Seneca repetere, quam dudum in mente Hieronymi fuisse hic locus commentarii *in epist. ad Eph.* luculenter indicat? neque enim sic statui potest, ut dialogi Annaeani *de matr.* imitatio iam in commentario *in epist. ad Eph.* ponatur. in quo exemplum Hasdrubalis uxoris 5, 25 p. 656 C, recurrens in sermone ethnico *adv. Iovin.* (c. 43 p. 310 B seq.), a dialogo *de matr.* alienum fuit, neque Haase neque ego Senecae tribuimus, sed derivabitur a me in c. VI 3 ex Tertulliano. ceterum de auctoribus maxime compilatis ab Hieronymo in commentario *in epist. ad Eph.*, Origene, Apollinario, Didymo Hiero-

nymus ipse in praefatione huius operis l. l. p. 543/4 rettulit (cf. Gruetzmacher, *Hier.* II 37 seqq.).

quam late autem antiquitate cadente apud defensores vitae asceticae patuerit pecudum exemplar gravidis commendatum in praeceptione coniugali, illustrant etiam loci quidam Porphyrii[1]) et Nemesii, cf. Porph. *π. ἀπ. ἐμψ.* III 10 p. 200, 11 seqq. N. *ζωογονεῖ δὲ (τὰ ζῷα) τέκνων ἕνεκα, καὶ τὰ πλεῖστα, ὅταν ἐγκύμονα ποιήσῃ τὴν θήλειαν, οὔτε αὐτὰ ἐπιβαίνειν ἐπιχειρεῖ, οὔτε τὸ θῆλυ ἀνέχεται. ἡ δὲ ὕβρις ὅση ἐν τούτοις ἡ ἀνθρώπειος καὶ ἀκολασία δήλη.* Nemes. *π. φύσ. ἀνθρ.* 25 p. 115 (p. 248 Matthaei) *αἱ δὲ γυναῖκες, ὡς ἐν τοῖς ἄλλοις τὸ αὐτεξούσιον ἔχουσιν, οὕτω καὶ ἐν τῇ συνουσίᾳ τῇ μετὰ τὴν σύλληψιν. τὰ γὰρ ἄλογα τῶν ζώων οὐκ ἀφ᾽ ἑαυτῶν, ἀλλ᾽ ὑπὸ τῆς φύσεως κανονίζεται.*

itaque eorum auctorum aetas et ratio qui pariter cum Hieronymo praeceptum de gravidarum abstinentia a venere offerunt, vetant nos in opere *adv. Iovin.* cogitare fontem Senecam. nec non allocutio provocatoria stoicorum apud Hieronymum *certe qui dicunt se causa rei publicae et generis humani uxoribus iungi et liberos tollere* — stoicos enim hoc verbo appellari clarum est (v. infra) — plus convenit scriptori christiano vel neoplatonico quam stoicorum Senecae.[2])

Absolvi locum unicum in sermone Hieronymiano de sapientia coniugali gentilium', ubi ex Seneca asceticam aliquam praeceptionem imperitus exemplorum a me allatorum potuerit putare in Hieronymum

---

1) pecudum exemplar etiam a Porphyrio usurpari noto vel ideo, quia diatribe stoicorum et cynicorum in variis quaestionibus id exemplum adamat; cf. W. Schick, *Favor. περὶ παίδων τροφῆς* eqs. (1912) p. 20 adn. 34. Praechter, *Hierokl.* eqs. p. 144.

2) Senecae fortasse aetatis aut Seneca antiquius est apopthegma de re veneria gravidarum sub corrupto vocabulo *Populiae* traditum a Macrobio *sat.* II 5, 10 (post apopthegma obscaenum Iuliae "*numquam enim nisi navi plena tollo vectorem*"): *simile dictum Populiae Marci filiae quae miranti cuidam, quid esset, quapropter aliae bestiae numquam marem desiderarent, nisi cum praegnantes vellent fieri, respondit: "bestiae enim sunt"*. quo apopthegmate exemplum castitatis bestiarum fortasse iam ab Essaeis adhibitum, quin castitatis leges pythagoricae et platonicae velut *Νόμων* Platonicorum, prima aetate imperatoria a Philone Iudaeo aliisque auctoribus diatribae defensae (v. infra p. 200), in urbe illuduntur. (de fonte Macrobii in dictis Iuliae et "Populiae" cf. c. VII 2.)

illud igitur nequaquam nego, aetate Senecae iam fuisse in litteris moralibus praeceptionem de abstinentia gravidarum atque eam praeceptionem

descendisse. neque vero casu accidit, ut et servata opera Senecae et fragmenta certiora ab Hieronymo suppeditata amissi libri *de matr.* praeceptis coniugalibus rationis asceticae penitus careant. etenim ad illud demonstrandum iam accingor, consulto Senecam abstinuisse a virginitate celebranda in universa scriptura sua morali; eum aversatum genus vivendi asceticum pythagoreorum quorundam sibi haud ignotum, scientem prohibuisse a dialogo suo *de matr.* laudes abstinentiae a venere; a pudicitiae virtute civili distinxisse eum dedita opera castitatis virtutem pythagoricam. efficiam autem eam rem, id quod condonabis philologo, ex observatione aliqua lexicographica, ex usu Annaeano vocabulorum *castus* et *castitas.*

Seneca adiectivum *castus* saepissime (21^ies^) in tragoediis adhibuit, ubi saepius i. q. *pudicus* sim. valet, cf. Thes. l. l. III 564, 27 et 566, 49 seqq.; at in pedestri sermone idem Seneca *castus* non nisi uno loco *epist.* 108, 14 dixit. nec vero ideo Senecam *castus* vitavisse in dialogis et epistulis, quia dictionem poeticam id vocabulum solam decere putaverit, ex ipso loco ubi *castus* posuit, intellegitur. quo loco Attali philosophi doctrinam depingere Senecae in animo erat sub Tiberio Romae declamantis; cf. l. l. 13 *ego certe cum Attalum audirem in vitia . . . perorantem* eqs., ibid. 14 *cum coeperat voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem non tantum ab inlicitis voluptatibus, sed etiam supervacuis.* iam vero Seneca in hac epistula pergens narrare de vita sua refert, quem sibi *amorem Pythagoras iniecerit* (17), quomodo adulescens Sotione praeceptore adhortante animalibus abstinuerit, dum a patre rogatus philosophos aversante redierit ad consuetudinem civium (22). Attalus autem idem, ex quo Senecae sermo de casta vita proficiscitur, hunc sermonem claudit ibid. 23: *laudare solebat Attalus culcitam, quae resisteret corpori; tali utor etiam senex in qua vestigium apparere non possit.* atque ex hac Attali exhor-

firmans exemplar pecudum. quin ne sic quidem turbari poterit argumentatio mea de Hieronymo hoc loco non pendente a Seneca, ut quis praeceptionem de gravidis, quae apud Porphyrium et Nemesium sit, revocaturus sit ad primariam in graecis litteris auctoritatem Posidonii, stoici philosophi ratione ascetica insignis. velut de Posidonio in neoplatonicorum scripturam delapso multa disseruit W. Iaeger, *Nemesios von Emesa* (Berol. 1914). cautius tamen primaria sedes apud Graecos praeceptionis de concubitu gravidarum ponitur in litteris pythagoreis aetatis hellenisticae (cf. eundem Iaeger, *Berl. ph. Woch.* XXXIII, 1913, p. 166).

tatione castitatis sibi quaedam permansisse ad omne vitae tempus, diserta Senecae vox est 15 *ad civitatis vitam reductus ex bene coeptis pauca servavi.* quid ergo est? Attalum apparet, qui praecepta ad culcitam duram et corpus castum pertinentia dedit pugnantia cum civium vita, voluisse *castus* non in universum i. q. *pudicus* valere; sed proprio sensu pythagorico *castus* de abstinentia a venere adhibuisse videtur. cum igitur Sotion, Senecae praeceptor notior ille, commendaverit discipulo partem tantum castitatis pythagoricae, abstinentiam ab animalibus, Attalus adulescentem eius sectae pythagoricae praeceptis imbuerat, cuius auctor saec. I p. Chr. n. praecipuus factus est Apollonius Tyanaeus, virginitatis nomine illustris apud posteros (cf. Philostr. *τὰ ἐς τὸν Τυαν. Ἀπ.* I 13 p. 13 Kayser; Apollonii rationem Attalo tribuendam esse parum perspexerunt Zeller, *Die Phil.* eqs. III 1^4 p. 712 adn. et Arnim, *Realenc.* II p. 2179). hac igitur re, quod Seneca castae vitae, i. e. virginitatis pythagoricae suasionem ab Attalo sibi adulescenti suggestam memoria recenti etiam vir et senex tenuit dudum reductus ad civitatis vitam, explicatur unice, cur vitia insectatus cohortationibus stoicis dialogorum et epistularum defendentibus pudicitiam civilem, noluerit tamen *casti* vocabulum usurpare usquam. verbi causa Seneca locutus est *de benef.* IV 33,2 *quis enim pollicetur . . . marito pudicam uxorem,* nusquam de *casta* uxore locutus est, etsi formulam fuisse *castam uxorem* tituli docent, *Carm. epigr.* 959,2 *casta pudens, volgei nescia, feida viro,* CIL. III 10222 *uxori optim(ae) castissim(ae),* alii plurimi collecti Thes. III 567,5 seqq., scriptorum Cicero *Verr.* VI 28 *castiores* dixit puellas virum expertas pudiciores, passim in litteris latinis uxori fidae et pudicae epitheton *castae* tribuitur.

idem autem usus Annaeanus qui adiectivi *casti* est etiam nominis *castitatis*: in sermone philosophico nullo loco usurpavit Seneca *castitas*[1]), cum in tragoedia non dubitaverit de fide coniugali ex consuetudine sollemni civium vocabulum adhibere *Phaedr.* 261 *castitatis vindicem armemus manum.* atque servatur etiam testimonium expressum patris Senecae, quo demonstratur, Romae aevo illo rhetores deliberavisse, num *castitas* proprie *virginitatem* spectaret *contr.* I 2,13 *utrum castitas tantum ad virginitatem referatur an ad omnium turpium et obscenarum re-*

1) hoc non adnotavit Elsperger Thes. l. l. III 539, 11, sed nullum locum Senecae me fugisse affirmavit mihi per litteras officiositate rara I. B. Hofmann cooperator Thesauri, qui inspexit gazas Monacenses.

rum abstinentiam. quae Senecae patris divisio *castitatis* rhetorica sane non curat philosophos, neque pudicitiam civilem et castitatem pythagoricam inter se opponit; nihilominus docet, quanto iure equidem philosophum Senecam in doctrina morali sic sibi indulsisse censeam, ut certi cuiusdam termini provinciam *castitati* reservaret. cum igitur apud alios scriptores fere aequales Senecae *castitas* passim attribuatur uxoribus pudicis et fidelibus, ut apud Val. Max. VIII 15, 12 (*Flacci uxor*) *cunctis castitate praelata est* (cf. Thes. III 540, 80 seqq.), Seneca in mores romanos invectus locutus non est de *castitate* maritarum, locutus est de *pudicitia*, qua voce crebro usus est; cf. *de benef.* III 16, 3 *nulla virum habeat, nisi ut adulterum inritet. argumentum est deformitatis pudicitia. epist.* 94, 26 *scis inprobum esse, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum.* ibid. 49, 12 *disputa ... de pudicitia utraque, et illa, cui alieni corporis abstinentia est, et hac, cui sui cura.*

Itaque ex usu Annaeano vocum *castus* et *castitas* certum cognoscitur, Senecam castitatem pythagoricam per omnem scripturam moralem suam distincte ante oculos habuisse; mirum tamen fieri, ut neque hoc a se impetraverit, ut eam, in quam adulescens magno inceptu venerat (*epist.* 108, 15), Attali rationem impugnaret postea reversus ad civium vivendi modum, neque illud impetraverit a se, ut aemulari cives castitatem Attali iuberet. immo sciens abstinuit Seneca in servatis scriptis philosophari de *castitate* utique, cuius virtutis sive vivendi rationis ne mentionem quidem iniecit.

Quaerendum est, num perditus dialogus *de matr.*, quod usum vocabulorum *castus* et *castitas* attinet, concinuerit cum scriptis servatis. iam vero fac aliquando, Senecam sermonem suum de matrimonio sic instituisse, ut vis eius moralis praecipue haereret in casti corporis laudibus pythagoricis, quales ab Attalo adulescens Seneca audiverat. nonne tum exspectandum erat, ut fragmenta dialogi Hieronymiana, cum ea, quae probabiliter ad Senecam referantur, tum ea praesertim, quae sub Senecae nomine afferuntur, *castitati* locum largum concederent? nunc vero in his fragmentis *pudicitiae* partes easdem esse atque in servatis scriptis Senecae, vocum *castus* et *castitas* auctoritatem perdubiam remanere demonstrabo.

in sapientia ethnica libri I *adv. Iovin.* adiect. *castus* adhibetur c. 41 p. 306 C de Atalante, c. 43 p. 310 B de Didone, c. 48 p. 317 A de Gorgia rhetore, ibid. p. 317 B de uxore Romani nobilis in narra-

tiuncula Plutarchea. *castitas* occurrit in exemplis c. 41 p. 309 B Thebanae virginis, c. 42 p. 309 D filiae Pythagorae, c. 43 p. 310 B maritae Hasdrubalis, c. 44 p. 310 D Teutae Illyriorum reginae, ibid. p. 311 A coniugum Indorum; c. 47 p. 313 C *castitatem* discendam esse clamat Hieronymus ex Theophrasto, cuius in ecloga p. 314 D *castitas* pro *caritas* varia lectio est; denique c. 49 p. 319 B mariti iubentur uxoribus praecipere *castitatem*. late igitur patet usus vocum *castus* et *castitas* in hac parte libri Hieronymiani, id quod mirum non est; nempe valde acceptae sermoni ecclesiastico hae voces fuerunt; praecipue substantivum *castitas* praeter Ambrosium et Augustinum omnium fere scriptorum latinorum saepissime Hieronymus adhibuit (Thes. l. l. III 539, 10). quod si accingimur ad examinandum, num consuetudo Senecae, *castus* et *castitas* vitantis, etiam in fragmenta dialogi *de matr.* ceciderit, metus subibit, ne Hieronymus, quae fuit ars veterum scribendi versata sollemniter in instituenda paraphrasi eclogarum ex scriptoribus antiquioribus transcriptarum, pessumdederit proprietatem sermonis Senecae inculcato alienae vocis usu in loquelam Annaeanam. nimirum p a r a p h r a s i s rhetorica ubique in censum venit, ubi fragmenta Senecae Hieronymiana constituantur, cum veteres vel eos locos aliorum scriptorum, quos sub nomine auctorum et allato titulo operum proferunt, passim inverterint et transposuerint in suum quisque dicendi genus (cf. Stemplinger, *Das Plagiat* eqs. p. 247 seqq). unde et supra tam p. 7 seqq., quam p. 69, ubi eclogam Theophrasteam et locum c. 48 p. 317 C de Pasiphae propter sermonem expuli ex fragmentis Senecae, antequam perfecissem iudicium, interrogavi utroque loco, num habita ratione paraphrasis auctoritatem Senecae in Hieronymo agnoscere fas esset. nec non infra in capite VII, ubi singula fragmenta Annaeana Hieronymi constituenda erunt, ad paraphrasin passim provocabo.

sed facile putaveris frustra me et praepropere timuisse, ne paraphrasi vitatio Annaeana vocum *castus* et *castitas* in Hieronymo obscurata esset, si propius ad eos locos libri I *adv. Iovin.* accesseris, quibus aut Seneca citatur, aut auctoritas eius neminem fefellit, neque quemquam fallere poterit. *pudicitia* enim his locis Hieronymi partes summas possidet. velut laudatio virtutis, quae propria mulierum dicitur esse sub calce fere l. I *adv. Iovin.*, ad Senecam ab Hieronymo diserte relata, *pudicitiae* est, non *castitatis*: c. 49 p. 319 C *doctissimi viri vox est, pudicitiam inprimis esse retinendam, qua amissa omnis virtus ruit. in hac muliebrium*

virtutum principatus est. eqs.; ibid. p. 320 A *mulieris proprie virtus pudicitia est.* item primo loco eorum, quibus Seneca in l. I *adv. Iovin.* auctor Hieronymi nuncupatur, in Claudiae narratione navem Matris Idaeae cingulo ducentis c. 41 p. 307 B seq. bis *pudicitia* legitur. cuius vocis usus in hoc exemplo Claudiae eo magis notandus est, quia Claudia apud Hieronymum virgo Vestalis perhibetur fuisse, virginibus autem Vestalibus *castitatis* et *casti* notio convenit ratione propria (cf. Thes. l. l. III 541, 71 seqq. et 568, 50 seqq.). sed etiam qui Claudiam, Matrem Idaeam accipientem, unam ex matronis romanis fuisse item ut alii huius narratiunculae testes complures putavit, Cicero epitheto *castus* Claudiam ornavit *har. resp.* 27 *femina ... quae matronarum castissima putabatur, Q. Claudia.* nequeo autem in transcursu explicare hoc loco, cur Senecam cum Cicerone aliisque scriptoribus romanis antiquioribus concordantem, de matrona Claudia, non de Claudia virgine Vestali fabulam narravisse in dialogo *de matr.* censeam; qua de re cf. c. VI 1. interim satis sit ex hoc quoque exemplo intellegi, vitavisse Senecam *castus* et *castitas* etiam in dialogo *de matr.* — idem caput 46 Hieronymi, quod romanis exemplis refertum mulierum fide coniugali eminentium verissime Haase aliique integrum ex Seneca deduxerunt (v. c. VII 1), suadet maxime. quod incipit p. 312 A a Lucretia *pudicitiae* nolente supervivere; ubi iuvabit meminisse, *spectatam castitatem* et *castissimum sanguinem* Lucretiae in Livio esse (I 57, 10 et 59, 1), aliorum ecclesiasticorum Tertullianum *ad mart.* 4 de *castitate* Lucretiae loqui, quin ipsum Hieronymum *epist.* 123, 8 p. 906 B non pendentem a Seneca haec habere *Lucretiam quae amissa gloria castitatis noluit pollutae conscientiae supervivere.* — praeterea aliis etiam locis duobus p. 312 A et 312 C *pudicitia*, nec non bis *pudicus* p. 312 B et 313 A in capite 46 Hieronymi ad Senecam referendo occurrunt.

quid multa? inter omnes lectiones libri I *adv. Iovin.*, quas aut ipse Hieronymus originem ex Seneca trahere prodidit, aut certa ratione Senecae tribuere licet (v. c. VII), una tantum lectio *castitas* exhibet c. 49 p. 319 C. ac sane scire magni aestimabis, ne Haaseana quidem fragmenta dialogi *de matr.*, quamvis rationibus collecta sint valde abhorrentibus a meis rationibus, ullo alio loco *castitas* offerre, nisi in ecloga Theophrasti (frg. 53 H.), quam mihi iam licebit extra rationem relinquere, et hoc loco c. 49 p. 319 C (frg. 87 H.). hoc vero *castitas* paraphrasi deberi optima spes est persuasurum me tibi esse.

Accipe igitur, quomodo constituam et interpreter Senecae frg. Hier. l. l. p. 319 B seq.: *nam quid, ait Seneca, de viris pauperibus dicam, quorum in nomen mariti et ad eludendas leges, quae contra caelibes datae sunt, pars magna conducitur? quomodo potest regere mores et praecipere castitatem et mariti auctoritatem tenere qui nupsit?* cuius fragmenti oratio, qualem Hieronymus tradit, Seneca dignissima est excepto uno membro *et praecipere castitatem,* quod pro accessione habeo ecclesiastica. nimirum praeter generalem consuetudinem Senecae *castitas* vitantis etiam speciales rationes complures favent mihi sumenti, membrum illud, quo resoluto ex periodo reliqua sententia salva remanet, a Seneca afuisse. primum apud Hieronymum paullo supra hunc locum in eadem pagina 319 B legitur phrasis *praecipiendi pudicitiam,* i. e. phrasis eadem, quam per paraphrasin Senecae addidisse Hieronymum inferiore loco probaturus sum, voce synonyma *pudicitia* pro *castitate* reposita. quae superior sententia haec est: *idem illis pudicitiam praeceperunt qui abstulerant.* cum vero haec quoque sententia in perdito dialogo Senecae fuerit (v. c. VII 5; frg. 86 Haase), nonne pronum videbitur suspicari, illinc traxisse Hieronymum phrasin *praecipiendi pudicitiam,* eamque paullulum immutatam inferiore loco illo iterasse adulterantem genuinam Senecae orationem? atque recte me sentire hoc loco de Hieronymo auctorem interpolante *castitatis* voce acceptissima, rursus *casti* vox Plutarcho obtrusa documento est in narratiuncula de Gorgia rhetore c. 48 p. 317 A; ubi Gorgiam vocat Hieronymus *castissimum virum,* cui dictioni in Plutarchi γαμ. παϱ. 43 p. 144 B seq. graeci nil respondet (v. p. 64).

novissima denique ratio, cur periodus Hieronymiana purganda sit a membro *et praecipere castitatem,* ut fragmentum Senecae evadat, apparebit acumine sententiae Annaeanae recte intellecto. quae sententia versatur in feminis divitibus, quae salse a Seneca dicuntur maritos pauperes *conducere*; nam puellas, meretrices *conducere* in sermone latino sollemniter virorum est (cf. Thes. l. l. IV 159, 48 seqq.)[1].

1) de structuris Senecae convenientibus *conducere in nomen mariti* et *conducere ad eludendas leges* cf. Cic. *prov.* 9 *consulem . . . ad caedem faciendam . . . conduceret,* Quint. *decl.* 260, p. 66, 4 seq. *percussorem in fata parentis sui conduxisset.* — obiter adnoto in ed Vall. pessime *et* omitti inter *in nomen mariti* et *ad eludendas leges,* recte *et* offerri libris *ESδAMBC.* neque enim harum duarum dictionum *in nom. mar.* et *ad elud. leg.* altera alteri accedit ita ut rei unius notio fiat, sed duplex finis harum dictionum remanet: verba *in nomen*

idem autem coniugiorum genus, in quo marita virum *conducat*, sic pergit irridere Seneca, ut in eiusdem generis coniugiis virum *nupsisse* dicat feminae. acumen igitur sententiae Annaeanae positum est in usu praepostero verbi *nubendi*, quod acumen sane Hieronymus non iam valuit facile percipere. commutatus enim est in latinitate inferiore usus verbi *nubendi*, quod verbum fere inde a saec. II christiano promiscue de viro et femina adhiberi coeptum est, apud Tertullianum quidem passim sic adhibetur (cf. Oehler, ed. Tert. t. II *ind. verb.* p. CLXXI), cum priore aevo non nisi de feminis usurpatum sit, si poetas excipis et salsum loquendi genus, quale in Annaeo est. peccavit autem in fatis verbi *nubendi* enarrandis, quem multi secuti sunt, praecipue Casp. Barth, *Adversar.* (Francof. 1648) VI 14 p. 277 seq.; qui antiquitus etiam de viris *nubere* simpliciter latine dici potuisse putabat, nixus locis duobus, et argumenti Plaut. *Trin.* v. 9 *quoius nubunt liberi*, et Nonii p. 143 *nubere veteres non solum mulieres, sed etiam viros dicebant, ita ut nunc Itali dicunt. Pomponius Pannuceatis* [frg. 87]: *'frater ... nupsit ... dotatae, vetulae, varicosae, vafrae'*. sed Plaut. *Trin.* argumentum non ante saec. II christianum scriptum est (cf. Leo, *Plaut. Forsch.*[2] p. 14), et in versu Pomponiano *nubere* sic explicari posse, ut spectet ad imperium uxori propter dotem traditum, Barthius ipse adnotat. nec vero post Barthium locus latinitatis vetustioris, quoad video, aut argenteae latinitatis retectus est, ubi *nubere* simpliciter de viris dictum esset. nam quae apud Val. Max. leguntur IV 6 ext. 3 *quid aliud adiecerim quam dignas fuisse quibus Minyae nuberent*, peculiaris huius loci condicio est, ubi de viris fabula narratur, qui maritarum suarum ope ab interitu retrahantur fugientes e carcere induti illarum vestibus atque velati capitibus. ad summam Senecae aetate *nubere* de viris usurpatum quemvis offendere debuit, acumen verborum Senecae *qui nupsit* neminem fallere potuit. atque etiam aliquanto post Senecam Martialis temporibus *nubere viros* salsi quid sapiisse apparet, cum sic luserit Martialis *epigr.* VIII 12, 1 seq. *uxorem quare locupletem ducere nolim quaeritis? uxori nubere nolo meae.* at Hieronymum, qui *nubere* aequali usu cum dictione *ducendi uxorem* ex more ecclesiastico adhibebat (cf. *epist.* 22, 19, 2 *nubat et nubatur ille* eqs.; Vulg. *Luc.* 20, 34 *filii huius*

mariti spectant commodum feminarum, verba *ad eludendas leges* commodum virorum pauperum, leges adversus caelibes datas circumvenientium. de sensu morali fragmenti v. p. 190 adn. 2.

saeculi nubunt. al.), quo acumine Seneca cumulari voluerit sententiam *quomodo potest regere mores et mariti auctoritatem tenere qui nupsit?* facillime praeteriit. sic pessumdedit ecclesiasticus acumen sententiae Annaeanae verbis *et praecipere castitatem* post *mores* insertis. nimirum additamento illo, mentione *castitatis* animis in aliud detorsis, reapse obtundi miserrime acumen sententiae Annaeanae, nemo non sentit et insuper testis est vel invitus Henricus Goelzer, *Lat. de S. Jérôme* p. 277, qui Hieronymi locum exscriptum in haec verba *quomodo potest ... praecipere castitatem ... qui nupsit?* pro exemplo habuit verbi *nubendi* ex consuetudine ecclesiastica de viris simpliciter adhibiti. Wachsmuthium quoque apud Bockium, *Arist.* eqs. p. 69 pro *qui nupsit* proponentem *cui nupsit ditior* acumen sententiae in Hieronymo desideravisse apparet, cum usum salsum verbi *nubendi* neglexisset.[1]) nobis tamen pristinus splendor verbi Annaeani restitutus est.[2])

Quo igitur loco uno traditur *castitas* in fragmentis Senecae de matrimonio, eo iubent nos id verbum prohibere a Seneca rationes plane aliae atque consuetudo Senecae collecta ex servatis scriptis eius, in quibus *castitas* et *castus* vitantur excepto uno loco illo, ubi Attali de *casto corpore* cohortatio refertur.

Hactenus de lucro, quod efficitur ex exploratione usus Annaeani vocabulorum *castus* et *castitas* ad intellegendam rationem philosophiae coniugalis Senecae. unum relinquitur negotium etiamnunc mihi absolvendum firmaturo ab omni parte, dialogum *de matr.* caruisse asce-

1) Wachsmuthio recte oblocutus est Immisch, *mus. Rhen.* LIV (1899) p. 313, quem cavillatio in verbo *nubendi* posita non fugit. at fugit illum latior usus verbi *nubendi* de viris uxorem ducentibus dicti sollemniter in latinitate inferiore. inde qua labe vacillaret sententia tradita Hieronymi, non perspexit.

2) ad sensum moralem fragmenti nonnulla addo. qui optime illustratur ab ipso Hieronymo hunc locum operis *adv. Iovin.* spectante *epist.* 127 (anni 412) 3 p. 952 E: *unde et pauperes eligunt, ut nomen tantum virorum habere videantur, qui patienter rivales sustineant.* Senecam maritos dixisse fructum ex adulterio uxoris capientes, ex usu *conducendi* vocabuli intellegitur (cf. Marquardt-Mau, *Das Privatl. d. R*^{2}. t. I p. 78 adn. 7). de marito coniugem suam aliis permittente loquitur Seneca etiam *de benef.* I 9, 3. femina moechos admittens cum assensu mariti avari locus saturae est, cf. Iuv. 6, 140 seq. et Lucilianum illud v. 1223 *non omnibus dormio* (Marx, *Luc. rel.* t. II p. 388). denique possunt adhiberi ad illustrandum Senecae fragmentum Tertullianus *ad uxor.* II 8 *pleraeque ... re beatae passim ... mediocribus sibi coniunguntur ad luxuriam inventis,* et fortasse etiam Clem. Alex. *παιδ.* III 3 (21, 3) p. 249, 4 St.

ticis exemplis virginum. inspicienda sunt reliquorum stoicorum fragmenta librorum *περὶ γάμου*, quos ipsos quoque vacuos remansisse a ratione ascetica evicturus sum, ita ut Senecam in hoc ipso, quod virginitatem praeteriit, se accommodavisse intellegatur ad veterem *περὶ γάμου* locum stoicorum.

Servantur autem philosophorum *περὶ γάμου* scribentium eorum, quos sectae stoicae adnumero, fragmenta Antipatri Tarsensis frg. 63 Arnim[1]) (*Stoic. vet. fragm.* t. III p. 254 seqq.), Musonii Rufi frgg. XIII^{A}—XV^{B} Hense (*C. Mus. Rufi rel.*, Lps. 1905, p. 67 seqq.), Hieroclis fragmenta quinque (cf. Arnim, *Hierokles eth. Elementarlehre* eqs., Berol. 1906, p. 52 seqq.). atque etiamsi horum quoque librorum stoicorum argumenta ex fragmentis refingere cogimur, tamen ratio moralis eorum *περὶ γάμου* ea est, ut laudibus castitatis pythagoricae locus concedatur nullus. nam cum sapientem ipsum initurum esse coniugium rei publicae et generis humani causa, in loco *περὶ γάμου* decernant et Antipater frg. 63 in. et Musonius XIV in. p. 70 H. et Hierocles p. 52 Arn. (Stob. IV 22, 22 p. 502 Hense), apparet stoicos eodem loco morali castitatem cum vita civili pugnantem non potuisse defen-

---

1) Tarsensi, non Antipatro Tyrio, recentiori philosopho stoico, tribuunt eclogam Stobaei IV 22, 25 p. 507, 6 H. *Ἀντιπάτρου ἐκ τοῦ Περὶ γάμου* et Arnim et Zeller, *Die Phil.* III 1^{4} p. 301 adn. 2 (cf. etiam 302 adn. 1) probabiliter. atque eidem Antipatro Tarsensi addicitur etiam vulgo eiusdem capitis Stobaeani *περὶ γάμου* ecloga 103 p. 539, 5 seq. *Ἀντιπάτρου ἐκ τοῦ Περὶ γυναικὸς συμβιώσεως*. haec ecloga *μνηστείαν* tractat, summam cautionem in electione uxoris praecipit, quocirca eam quodammodo occurrere quis dixerit Theophrasti verbo de matrimonio apud Hier. p. 313 E seq. *adde quod nulla est uxoris electio.* quae vero ratio intercesserit inter eiusdem philosophi sermones duos coniugales *περὶ γάμου* et *περὶ γυναικὸς συμβ.*, difficile est dictu. tamen Antipatrum credas nonnullas quaestiones ad locum *περὶ γάμου* pertinentes oeconomici potissimum generis libro *περὶ γυν. συμβ.* seorsum tractavisse, neque cogimur alterutrius libri auctorem Antipatrum Tyrium cogitare (cf. Susemihl, *Gesch. d. gr. L.* eqs. II p. 713). librum *περὶ γυν. συμβ.* componebam cum libro Aristoteleo *περὶ συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός* supra p. 123. verum quod imitatus titulum Aristoteleum cum Bock, *Arist.* eqs. p. 25 in Antipatro *περὶ* ⟨*ἀνδρὸς καὶ*⟩ *γυν. συμβ.* scribas, non est; neque Praechteri, *Hierokl.* eqs. p. 124 additamenta *περὶ* ⟨*τῆς μετὰ*⟩ *γυν. συμβ.* accipio, sed acquiesco cum Arnim et Hense in titulo tradito. praesertim *ἀνδρός* addere superfluum est, quia stoica scriptio per se sapientem spectat.

quod Hierocles quoque duobus locis operis ethici de matrimonio locutus est, in capite *περὶ καθηκόντων* et in sermone proprio *περὶ γάμου*, id cave conferas cum duobus libris coniugalibus Antipatri, quorum alter oeconomica praecipue tetigit; de Hierocle v. c. VII 6.

dere.[1]) quin quibus rationibus de rebus veneriis in stoicorum sermonibus *περὶ γάμου* actum fuerit, etiam accuratius definire licet. duplex enim finis ineundi coniugii stoicis fuit: *ἐπὶ παίδων γενέσει καὶ βίου κοινωνίᾳ* uxor ducenda erat ex verbis Hieroclis p. 55, 7 Arn., Musonii XIII^A p. 67, 6 H., aliorum (cf. Praechter, *Hierokl.* p. 82 adn. 2). cum igitur praeter procreationem liberorum etiam ipsa societas vitae coniugii finis esse in loco *περὶ γάμου* a stoicis diceretur, hanc societatem viri cum uxore sic secta explicabat, ut sermonem multum haberet de mare et femina ex providentia in unum coeuntibus, nec non de communitate viri cum uxore in omnibus rebus, quod corpora coniugum et animas eorum attineret, apparente; cf. Antip. l. l. p. 255, 16 seqq. *οὐ γὰρ μόνον τῆς οὐσίας καὶ τῶν φιλτάτων πᾶσιν ἀνθρώποις τέκνων καὶ τῆς ψυχῆς, ἀλλὰ καὶ τῶν σωμάτων οὗτοι μόνοι κοινωνοῦσι* (*ἀνὴρ καὶ γυνή*). Mus. XIV p. 74, 7 seq. *τίσι δὲ νενόμισται κοινὰ εἶναι πάντα, καὶ σώματα καὶ ψυχαὶ καὶ χρήματα, πλὴν ἀνδρὸς καὶ γυναικός*; Hier. p. 54, 21 seq. *συμφωνούντων μὲν ἀλλήλοις καὶ πάντα κοινὰ πεποιημένων μέχρι καὶ τῶν σωμάτων, μᾶλλον δὲ καὶ αὐτῶν τῶν ψυχῶν.* Mus. XIV p. 71, 11 seqq. *ὁ τοῦ ἀνθρώπου δημιουργὸς . . . ἐποίησεν αὐτῷ διττὰ αἰδοῖα, τὸ μὲν εἶναι θήλεος, τὸ δὲ ἄρρενος, εἶτα δὲ ἐνεποίησεν ἐπιθυμίαν ἰσχυρὰν ἑκατέρῳ θατέρου τῆς θ' ὁμιλίας καὶ τῆς κοινωνίας καὶ πόθον ἰσχυρὸν ἀμφοῖν ἀλλήλων ἐνεκέρασεν, τῷ μὲν ἄρρενι τοῦ θήλεος, τῷ δὲ θήλει τοῦ ἄρρενος* . . . ibid. p. 75, 16 seq. *τί δὲ καλοῦντες ἀφροδίσιον ἔργον προσηκόντως ἂν μᾶλλον καλοῖμεν ἢ τὴν γαμετῆς τῷ γεγαμηκότι σύνοδον*; Hier. p. 52, 30 seq. (*ἡ φύσις ἡμᾶς ἀπειργάσατο*) *συνδυαστικούς, μετὰ τοῦ καὶ ἕν τε καὶ κοινὸν ἔργον ὑποθεῖναι τῷ συνδυασμῷ.*

Eiusmodi igitur cogitationibus haerentibus in altero stoicorum fine matrimonii, societate coniugum, accedente ad finem alterum, pro-

1) inter *officia media* sapientis numerat doctrina stoica coniugium; cf. Stob. II 7 p. 85, 20 seqq. Wachsm.: *κατορθώματα δ' εἶναι τὰ κατ' ἀρετὴν ἐνεργήματα, οἷον τὸ φρονεῖν, τὸ δικαιοπραγεῖν. οὐκ εἶναι δὲ κατορθώματα τὰ μὴ οὕτως ἔχοντα, ἃ δὴ οὐδὲ τέλεια καθήκοντα προσαγορεύουσιν, ἀλλὰ μέσα, οἷον τὸ γαμεῖν, τὸ πρεσβεύειν, τὸ διαλέγεσθαι, τὰ τούτοις ὅμοια.* Praechter loquitur de vita coniugali sapientis *Hierokl.* p. 5 adn. 1; p. 69; 76; 130. de Musonio, equite romano, uxorem ducere praecipiente cf. Hirzel, *Der Dialog* t. II (1895) p. 246 adn. 1. dictum Senecae *epist.* 9, 17 *quamdiu quidem illi* (sapienti) *licet suo arbitrio res suas ordinare, se contentus est et ducit uxorem, se contentus est et liberos tollit* tunc recte intellegimus, si *officii medii* notionem ante oculos habemus. cf. etiam Sen. *de benef.* I 1, 10 *et liberi et coniuges spem fefellerunt, tamen et educamus et ducimus.*

creationem liberorum effectum est, ut in ipso loco *περὶ γάμου* stoici legem certam de rebus veneriis, qua ne in matrimonio quidem aliter nisi liberorum procreandorum gratia homines uterentur venere, non exsequerentur. aliena est a genuino loco stoico *περὶ γάμου* ratio moralis de rebus veneriis, quae ex Platonis *Νόμων* p. 839 A seqq. nota (v. infra p. 201) in Philone Iudaeo occurrit saepius vetante coniuges aliter atque liberorum procreandorum causa coire (cf. Wendland, *Philo u. d. kyn.-st. Diatribe* p. 35 adn. 2). qua cum Philonis ratione consentit Ps.-Ocellus *περὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσ.* IV 1 p. 402 Mullach *πρῶτον μὲν τοῦτο διαλαβεῖν, ὅτι οὐχ ἡδονῆς ἕνεκα πρόσιμεν, ἀλλὰ τέκνων γενέσεως.*[1]) sed Senecae verba apud Hier. c. 49 p. 319 A *sapiens vir ... regit impetus voluptatis nec praeceps fertur in coitum* quod philosophorum ope platonissantium explicemus, non est. quamquam Musonium quoque stoicum praecepta illa Philonis et Ps.-Ocelli de rebus veneriis praestare nequaquam fugit me. at praestat ea Musonius (quae res ad genuinum locum stoicum *περὶ γάμου* recte circumscribendum magnum momentum habet) non in uno ex iis sermonibus, quibus locus *περὶ γάμου* agitatur XIII^A—XV^B, sed in sermone XII *περὶ ἀφροδισίων* servato in Stobaei capite *περὶ ἀκολασίας* (III 6, 23 p. 286 seqq. H.). quem sermonem *περὶ ἀφροδισίων* nescio quo iure Praechter, *Hierokl.* p. 121 ad locum *περὶ γάμου* traxerit; quo incipiente a verbis *μέρος μέντοι τρυφῆς οὐ μικρότατον κἀν τοῖς ἀφροδισίοις ἐστίν* vita luxui venerio dedita omnis corripitur, amor puerorum, scorti, servae respuitur, matrimonium non tam quam temperantia praecipitur.[2]) atque Musonii eclogae *περὶ γάμου* etiam Stobaei capite *περὶ γάμου* (IV 22 p. 494 seqq.) traduntur, praeter quod duo sermones XV^A et XV^B, quorum uterque titulo utitur *εἰ πάντα τὰ γινόμενα τέκνα θρεπτέον,* ex Stobaei capitibus *περὶ παίδων* (IV 24, 15 p. 605, 17 seqq.) et *ὅτι κάλλιστον ἡ φιλαδελφία κτλ.* (IV 27, 21 p. 664, 19 seqq.) originem ducunt. quos tamen sermones titulo illo instructos a Musonio

1) discrimen quo Ps.-Ocellus a loco stoico de matrimonio Antipatri, Musonii, Hieroclis seiungitur, sensit etiam Heyden-Zielewicz, *Bresl. phil. Abh.* VIII 3 (1901), *proleg. in Pseudocelli de universi natura* p. 50 seq., etsi is non vidit hoc discrimen ex stoicorum duplici fine matrimonii repetendum esse, temereque de eclectica ratione Antipatri, Musonii, Hieroclis in hac re locutus est.

2) differentiam loci *περὶ γάμου* a loco *περὶ ἀφροδισίων* tetigit etiam Bloch, *de ps.-Luc. Am.* l. l. p. 276 adn. 3.

habitos esse inter partes loci stoici *περὶ γάμου*, concludendum est ex Hierocle, cuius ipsius quoque sermo de multitudine liberorum in Stobaei capite *περὶ παίδων* (IV 24, 14 p. 603, 8 seqq.) servatur, ubi verbis disertis Hierocles istum sermonem ad locum *περὶ γάμου* pertinere professus est p. 55, 22 seq. Arn.: *ἐν δὲ τῷ περὶ τοῦ γάμου καὶ τῆς παιδοποιίας τόπῳ θετέος ἐστὶ καὶ ὁ τῆς πολυτεκνίας λόγος*. inde in eo Praechter l. l. p. 84 seqq. recte fecit, quod hoc Hieroclis fragmentum ad fragmenta eius *περὶ γάμου* ex Stobaei capite *περὶ γάμου* oriunda (cf. IV 22, 21—24 p. 502 seqq. H.) aggregavit.

at paullulum deflexi a definiendo, num partes virginitas et abstinentia veneris in stoicorum loco *περὶ γάμου* tenuerint, statuens, quae fragmentorum Musonii omnino ad locum *περὶ γάμου* trahenda sint. redeo igitur eo, unde digressus sum, ad Musonii fragmentum *περὶ ἀφροδισίων*, praecepta secum ferens de rebus veneriis vel ad matrimonium spectantia, quae cum Philone Iudaeo et Ps.-Ocello congruunt. iuvat ipsa verba Musonii inspicere XII p. 63, 17 seqq.: *χρὴ δὲ τοὺς μὴ τρυφῶντας ἢ μὴ κακοὺς μόνα μὲν ἀφροδίσια νομίζειν δίκαια τὰ ἐν γάμῳ καὶ ἐπὶ γενέσει παίδων συντελούμενα, ὅτι καὶ νόμιμά ἐστιν· τὰ δέ γε ἡδονὴν θηρώμενα ψιλὴν ἄδικα καὶ παράνομα, κἂν ἐν γάμῳ ᾖ.* duplex his verbis sententia inest; in matrimonio vetat Musonius coniuges aliter atque liberorum procreandorum gratia coire, in concubitum utique omnem extra matrimonium increpat. a qua praeceptione facillimus sane transitus erat ad virginitatem. at in ipso loco *περὶ γάμου* ne Musonius quidem illic, ubi de rebus veneriis fusius locutus est XIV p. 71, 11 seqq., abstinentiam caelibum tetigit.

Ac comprobantur quae efficiuntur ex fragmentis Senecae, Antipatri, Musonii, Hieroclis de stoicorum loco vitae coniugalis secedente a descriptione vitae castae, luxuriosae, aliorum vitae generum, tabula locorum philosophiae moralis stoicae Stob. II 7, 2 p. 42, 7 seqq. Wachsm., qua ab E u d o r o sub Caesare Augusto florente constituta singuli loci morales stoicorum designantur, vocabulis significantur, discribuntur in sedes proprias. nempe Eudorum illum, quamquam philosophum *Ἀκαδημιακὸν* eum Stobaeus l. l. appellavit, locos ethicos s t o i c o r u m proprios in tabulam rettulisse post Zellerum (*Die Phil.* III 1[4] p. 634 cum adn. 3) illustrare inutile est. discitur autem ex hac Eudori tabula, apud stoicos locum *περὶ γάμου* sibi vindicavisse peculiarem litterarum partem; cf. Stob. l. l. p. 44, 24 seqq.: *πάλιν δ' ἐπεὶ τῶν καθη-*

κόντων καὶ τῶν κατορθωμάτων ἃ μὲν λέγεται σύνθετα, ἃ δὲ ἀσύνθετα, συνέστη ⟨ἐκ τοῦ⟩ κατὰ τὰ σύνθετα ὁ περὶ βίων λόγος, οὗ μέρος ὢν ὁ περὶ γάμου κατ' ἰδίαν ἐτάχθη διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐν αὐτῷ ζητημάτων. ὥστ' εἶναι τοὺς πάντας τόπους κατὰ τὸν ⟨περὶ⟩ τῆς πράξεως λόγον ... περὶ καθηκόντων, περὶ κατορθωμάτων, περὶ χαρίτων, περὶ βίων, περὶ γάμου.

6

Molestissima pars laboris, quo Senecae fragmenta de matrimonio ex Hieronymo recuperentur, in argumento dialogi Annaeani sic definiendo posita est, ut sermo ethnicus de virginitate arceretur a Seneca; quam rem iam absolvisse mihi videor. Senecam ex narratiunculis historicis de virginibus saecularibus capitis 41 expulsum relinquo, nec vero relinquo collectanea illa exquisitae eruditionis plena, quae ex Porphyrio venisse in Hieronymum supra p. 175 seqq. demonstrare coepi.

Hieronymus cum *de matrimonio* libros auctorum diversorum in sapientia ethnica adhibuisse se ipse dixerit p. 318 B, nec non ii Hieronymi fontes, qui nobis etiamnunc ante oculos sunt, Plutarchi *γαμικὰ παραγγέλματα* et Tertulliani liber *de monogamia* in matrimonio versentur, Porphyriani operis cuiusdam usum tacitum Hieronymi me ponentem decebit primo loco de scripto quodam coniugali instructo titulo *περὶ γάμου* cogitare. atque praeter hanc generalem suspicionem etiam speciales causae duae sunt, cur ex litterarum genere *περὶ γάμου* fuisse quis divinaverit librum Porphyrii. primum pars magna rerum singularum, quas ex illo repetebam, nuptias spectat: Theophrasti eclogae quaestio est *an vir sapiens ducat uxorem,* narratiuncula de Socrate bigamo maritum ab ambabus uxoribus vexatum profert, in coniugalis operis Plutarchei excerptis vestigia eruditionis Porphyrianae indagabam. denique ne Aristotelis quidem ecloga de amore in odium vertente ab argumento *περὶ γάμου* aliena est. praeterea maxime nos movebit, ut *περὶ γάμου* inscriptum fuisse sumamus operi Porphyriano, quod viguisse etiam neoplatonicorum aetate litterarum genus *περὶ γάμου* Iamblichus auctor est, cuius eclogam Stobaeus servavit IV 23, 57 p. 587, 13 seqq. H. *Ἰαμβλίχου ἐκ τῆς ἐπιστολῆς Περὶ γάμου χρήσεως.*

At res eaedem, quae primo obtutu iubere videntur *περὶ γάμου* Porphyrii opus poni, reapse vetant id fieri. atque exstirpaturus opinionem *περὶ γάμου* operis Porphyriani, exordium sumam a ratione quadam peculiari rerum ad matrimonium spectantium omnium, quas in Hieronymo ad Porphyrium rettuli. nimirum in respuendo matrimonio, in molestiis nuptiarum unaquaeque harum lectionum versatur: Theophrastus non esse ducendam sapienti uxorem clamat; Socratis mariti exemplum a coniugio deterret; inter Plutarchi locos ab Hieronymo adhibitos, qui infecti esse visi sunt p. 76 eruditione Porphyriana p. 317 A Hermionae versus Euripideae *malarum me mulierum decepere consilia* et p. 317 B Herodoti apopthegma *mulier cum veste deponit et verecundiam*, mulieribus detrahunt. in excerpto Aristotelis, quo amor perversus reprehenditur, ut coniugium ex honesto amore natum approbetur, frustra quaeris. atque etiamsi in sapientia ethnica Hieronymi pudicitia quoque et amor coniugalis quibusdam locis efferuntur, tamen haec non ad Porphyrium redeunt, sed Senecae sunt, cf. c. VII. Porphyrianis locis coniugalibus Hieronymi vita coniugalis constanter infestatur. iam vero parum idoneus sermo nuptialis huius generis est, ex quo *περὶ γάμου* scripsisse Porphyrium concludatur. immo hac prima ratione abducam te a ponendo opere Porphyrii *περὶ γάμου*, ut vituperationem et molestias nuptiarum in alio litterarum genere atque in tractatibus *περὶ γάμου* sedem certam occupavisse doceam saeculis illis, quibus Porphyrius est.

In tanta clade scripturae Porphyrianae christianas litteras aevi eiusdem adire utile est. nam quamvis religionem christianam neoplatonici impugnaverint, tamen genium saeculi eundem regnavisse in castris neoplatonicorum et christianorum verissime Geffcken, alii (cf. p. 103) identidem dixerunt, sermones morales saepissime hic atque illic cursum consimilem tenuerunt. possederunt autem molestiae nuptiarum locum praecipuum in libris christianis saec. IV *περὶ παρθενίας*.[1]) imprimis quibus coloribus et sententiis Theophrasti ecloga pollet, eaedem sententiae simillimaeve recurrunt in libris *de virginitate*. velut Theophrastus liberorum causa coniugium ineuntem corripit p. 315 C seq. tam propter alias res quam ideo, quia liberi nimis saepe morte acerba

1) tene hos libros utriusque sexus virginitatem plerumque tractare, item atque Pauli *epist. I ad. Cor.* caput 7, quo in interpretando locus christianus *περὶ παρθενίας* ex magna parte versatur, ad mares et feminas pariter spectat.

ante parentes decedant aut mali facti calamitatem parentibus afferant. atque iisdem usi causis deterrent a matrimonio christiani *de virg.* scribentes. cum Ioannis Chrysostomi verbis *περὶ παρθενίας* 58 t. 48, 579 Migne *μὴ θάνατον ἄωρον ὑποστῇ, μὴ μεταβάλῃ πρὸς κακίαν τινά (τὸ τεχθέν)* lubet conferre Theophrastea *qui aut prior te forte moriatur aut perversissimis moribus sit,* nec non cum Gregorii Nysseni *περὶ παρθενίας* 3 t. 46, 336 B Migne *ᾧ μὲν γὰρ τέθνηκεν ἠγαπημένος παῖς, ᾧ δὲ ἐπεβίω ὁ ἄσωτος· ἐλεεινοὶ δὲ ἀμφότεροι* atque etiam cum Gregorii Nazianzeni carmine *παρθενίης ἐπαίνου* v. 483 seq. p. 324 Maur. *θνητὸς δ' οὐ σάφα οἶδε γόνου φύσιν, εἰς ὅτι λήξει, οὐ κακός, οὐδὲ μὲν ἐσθλός κτλ.,* v. 636 seq. p. 332 *ἄλλος ἄτεκνος ἐξαπίνης.* denique in liberis versantur afferentibus molestias parentibus etiam Ps.-Basilius (Bas. Ancyranus) *περὶ τῆς ἐν παρθενίᾳ ἀληθοῦς ἀφθορίας* 23 p. 639 t. 30, 716 C seq. Migne, inter Latinos Ambrosius *de virginibus* I 6, 25 seq. p. 153 t. 16, 196 A et Augustinus *de sancta virginitate* 16 p. 249 Zycha.[1]) — curro ad alias similitudines Theophrasti cum christianis virginitatem celebrantibus; locus de electione uxoris Hier. p. 314 A *equus, asinus, bos, canis et vilissima mancipia . . . probantur prius et sic emuntur; sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat quam ducatur* similiter a Ps.-Chrysostomo tractatur *ἐκλογ.* 14 *περὶ γυναικῶν καὶ κάλλους* t. 63, 657 Migne *εἰ γὰρ οἰκίας ὠνεῖσθαι μέλλοντες καὶ οἰκέτας περιεργαζόμεθα καὶ πολυπραγμονοῦμεν, τούς τε πωλοῦντας τούς τε ἔμπροσθεν κτησαμένους, τῶν μὲν τὴν κατασκευήν, τῶν δὲ καὶ τὴν τοῦ σώματος ἕξιν καὶ τὴν τῆς ψυχῆς προαίρεσιν· πολλῷ μᾶλλον γυναῖκας ἄγεσθαι μέλλοντας πρόνοιαν τοσαύτην καὶ πολλῷ πλείονα ἐπιδείκνυσθαι χρή.* deinde quae in eadem Ps.-Chrysostomi ecloga leguntur ibid. verba *δεινὸν οὖν πενιχροτέραν λαβεῖν γυναῖκα, δεινὸν εὐπορωτέραν* comparanda sunt cum dicto Theophrasteo Hier. p. 313 E *pauperem alere difficile est, divitem ferre tormentum*; item veri Chrysostomi libro locupletissimo *περὶ παρθενίας* demonstratur c. 53 seq. t. 48, 576 seq. coniugium divitum expetendum non esse, immo pauperum conubio molestius esse. denique idem Chrysostomus quae l. l. 52 p. 574 de zelo-

---

1) originem loci de liberis in curas parentum natis tetigi *Archiv für Gesch. d. Philos.* XXI (1908) p. 540 seq.; cf. etiam Reitzenstein, *Hellen. Wundererzähl.* p. 148. ante Theophrastum Euripides frg. 908 N.², post eum Ps.-Plato *Ἀλκιβ.* II p. 142 B seq. fata praematura moresque perversos liberorum in unum coniunxerunt.

typiae malo disputat, ea ad argumentum Aristoteleae eclogae de amore falso proxime accedunt.

exemplis illustravi rem exemplorum parum indigentem; nam sermonem *περὶ γάμου* sic comparatum, ut reprehensio imprimis nuptiarum sit, ex litteris virginitatem celebrantibus deduci posse elucet vel ex ipsius Hieronymi disputatione *adv. Iovinianum*. Porphyrii locis de matrimonio, quae est eorum condicio peculiaris, librum *περὶ γάμου* confecisse Porphyrium indicatur nequaquam. immo illud litterarum genus protrahere meum est, quod apud neoplatonicos abstinentiam a venere commendans, *περὶ παρθενίας* generi litterarum christianarum posteriore aetate imperatoria responderit. neque enim a tractatibus christianis *περὶ παρθενίας* ad ponendum opus Porphyrii *περὶ παρθενίας* simpliciter ascendere licet. adeo peculiaris est condicio virginitatis apud christianos, quorum religio dogmate splendet domini ex virgine nati quorumque sermones de virginitate propriam vim acceperunt a Pauli *epistulae I ad. Cor.* cap. 7.

Etsi unum exiguum fragmentum scripti Iamblichei *περὶ γάμου χρήσεως* servatur, tamen vel ex hoc, quae ratio summa coniugalis Iamblichi fuerit, intellegitur. inter instituta civilia philosopho probanda Iamblichus matrimonium numeravit, in quo civile imperandi genus exercere voluit virum in feminam, cf. haec verba eius l. l. p. 587, 15 seqq. *τὸ δὲ σχῆμα τῆς ἀρχῆς (τοῦ ἄρρενος) ἔσται οὐχ οἷον τὸ δεσποτικόν ... οὐδ' οἷον τὸ τῶν τεχνῶν ... ἀλλ' οἷον τὸ πολιτικόν, κηδόμενον ἐξ ἴσου τοῦ κοινῇ συμφέροντος.* populari quadam doctrina Iamblichum civibus, ut uterentur conubio, in epistula *περὶ γάμου χρήσεως* suasisse probabile fit etiam ex libro Iamblichi *περὶ τοῦ Πυθ. βίου*, ubi recepit praecepta coniugalia talia, qualium ratio haeret omnis in approbatione vulgari coniugii. velut foedus cum uxore initum liberis contineri in orationibus ad Crotoniatas habitis 9, 47 p. 33, 10 seqq. N. Pythagoras dixisse perhibetur a Iamblicho, praeterea paelices dimisisse Crotoniatae iussu Pythagorae narrantur ab eo ibid. 50 p. 35, 7 seqq. deinde in iisdem orationibus ad Crotoniatas habitis feminis praecipitur 11, 54 seqq. p. 37 seqq., ut sui quaeque viri amore uxor contenta sit. atque in hac parte libri Iamblichei legitur etiam apopthegma 11, 55 p. 37, 19 *ὡς ἀπὸ μὲν τοῦ συνοικοῦντος ἀνδρὸς ὅσιόν ἐστιν αὐθημερὸν προσιέναι τοῖς ἱεροῖς,*

ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ προσήκοντος οὐδέποτε, quod Theanoni ascriptum recurrit 27, 132 p. 96, 10. denique invenitur in hoc Iamblichi libro 18, 83 p. 61, 9 seq. coniugalis doctrina illa, qua Plato *Νόμ.* p. 773 E postque Platonem multi alii (cf. Praechter, *Hierokl.* p. 135) matrimonium defenderunt, tracta ex deorum cultu propagando tempore perenni: δεῖ τεκνοποιεῖσθαι· δεῖ γὰρ ἀντικαταλιπεῖν τοὺς θεραπεύσοντας τὸν θεόν. — item autem ut libro Iamblichi de vita Pythagorae etiam Theanonis feminae pythagoricae nomen prae se ferente disputatione rhetorica περὶ γάμου *Rhet. Gr.* I 274, 12 seqq. W. opinor illustratur, quae doctrina infuerit Iamblichi epistulae perditae περὶ γάμου χρήσεως. quo in sermone coniugium celebratur ut mortalibus immortalitatem procreatis liberis et nepotibus daturum, cf. p. 275, 2 seq. ἃ γὰρ ἡ φύσις ἀπορεῖ τελευτῶσα, ταῦτα γάμος ταῖς διαδοχαῖς ἀναπληροῖ τῶν γενῶν. quae sententia rursus ex Platonis *Νόμ.* (773 E et 776 B) descendit et in doctrinam moralem variarum litterarum inrepsit (v. Praechter, *Berl. phil. Woch.* XXXI, 1911, 30 seq.).

Diversas igitur in partes philosophia coniugalis sectae neoplatonicae discessit; Iamblichus ab ea parte stat, quae liberorum procreationem et vitam coniugalem pudice exactam inter officia humana et bona maxima habeat. sed hanc Iamblichi opinionem de coniugio minime communem fuisse cunctis neoplatonicis Porphyrius docet, cuius epistulam πρὸς Μαρκέλλαν insignem praeceptis castitatis et abstinentiae a venere supra p. 177 in medium protuli collatam cum stoica praeceptione Senecae de matrimonio. ad stoicos rei publicae et generis humani causa coniugium ineuntes Iamblichi epistula περὶ γάμου χρήσεως prope accessisse videtur, quae a Porphyrii epistula πρὸς Μαρκ. rationem asceticam pagina quavis spirante plane abhorruit. et scientem quidem Iamblichum obstitisse Porphyrio in doctrina coniugali et veneria iudicaveris; adeo in universum superbiebat θεῖος Ἰάμβλιχος correpto Porphyrio, qua de re post alios adnotavit C. Rasche, *de Iamblicho, libri qui inscr. de myst. auctore* (diss. Monast. 1911) p. 23 adn. 2.

Sequitur, ut discrimen Iamblichi a Porphyrio in aestimandis nuptiis Porphyriique continentia veneris etiam amplius dilucidentur. primum praetereundum non est, quod praecepta coniugalia libri Iamblichei περὶ τοῦ Πυθ. βίου desiderantur in Πυθ. βίῳ Porphyrii. quamquam nimis insistere huic rei nolo, quia orationes ad Crotoniatas.

pleraque praecepta coniugalia Pythagorae offerentes, totae absunt a Porphyrio auctores multo meliores exprimente in vita Pythagorae, quam auctor is est, qui orationes istas Iamblicho suggessit Apollonius Tyanaeus (cf. Rohde, *Kl. Schr.* II p. 131 seqq., Mewaldt, *de Aristoxeni* eqs. p. 46 seqq., Bertermann, *de Iambl. v. Pyth. font.*, diss. Regim. 1913, p. 75). omnino librum *Πυθ. β.* Porphyrii ad sententias Porphyrii ipsius de rebus veneriis cognoscendas non nisi cum cautione magna adhibeo. nam Porphyrius, quae ipsi optima vivendi ratio visa est, eam non transtulit in Pythagoram, neque in conficiendo *Πυθ. βίῳ* antiquitatis studium nimis postponebat morum castigationi et laudibus vitae asceticae. nil sibi indulsit nisi quod in librum illum recepit vituperationem, quae a Iamblicho abest, hanc rei veneriae 39 p. 37, 18 seqq. (*ἡδονῶν*) *τὴν μὲν γὰρ γαστρὶ καὶ ἀφροδισίοις διὰ πολυτελείας κεχαρισμένην ἀπείκαζε ταῖς ἀνδροφόνοις τῶν σειρήνων ᾠδαῖς.* ceterum etiamsi Pythagoram abstinuisse a venere pars pythagoreorum docuit aetate Porphyrii, quae res nobis efficienda est ex Laert. Diog. VIII 19 *οὐδέποτ' ἐγνώσθη . . . ἀφροδισιάζων,* tamen Porphyrius lautiorem traditionem secutus (cf. Zeller, *Die Phil.* I 1^5 p. 314 adn. 4 et III 2^4 p. 162 adn. 1) de uxore et progenie Pythagorae 4 p. 19, al. plene rettulit.[1])

ut igitur *Πυθ. βίον* mittam, ratio ascetica Porphyrii ex aliis libris eius melius intellegitur, etsi ne illorum quidem omnis locus philosophiam eandem spirat. velut sententia qualis legitur *πρὸς Μαρκ.* 35 p. 297, 4 seq. *ψιλῆς δὲ ἕνεκα ἡδονῆς μηδέποτε χρήσῃ τοῖς μέρεσι* haud scio an commoneat verborum Musonii supra p. 194 laudatorum *τὰ δέ γε ἡδονὴν θηρώμενα ψιλὴν ἄδικα καὶ παράνομα, κἂν ἐν γάμῳ ᾖ;* atque metuo, ne eiusmodi consensus indicare videatur, tribuisse aliquantum Porphyrium Musonii praeceptis, aliorum, qui sapientem ducere uxorem et procreare liberos iubentes de concubitu sic statuerunt, ut liberorum procreandorum gratia cives venere uterentur. nimirum Plato quoque, cuius auctoritas apud neoplatonicos rationis cuiusvis maxima fuit, *Νόμ.* 773 E, 776 B, 835 D—842 B coniugium et res ve-

1) fortasse etiam id quod caret ratione ascetica Porphyrii *Πυθ. βίος*, aetate explicandum est, qua scripsit librum (v. Bidez, *vie de Porphyre* p. 34). utique conspirat maxime ratione ascetica cum Plotino Porphyrius, atque hinc aliquatenus definitur aetas scripti Porphyriani ex Hieronymi libro I *adv. Iovin.* restituendi.

nerias opinionibus cum loco Musonii illo ex parte magna concordantibus tractavit, cf. praesertim *Νόμ.* p. 839 A ... *ἀπεχομένους δὲ ἀρούρας θηλείας πάσης, ἐν ᾗ μὴ βούλοιο ἄν σοι φύεσθαι τὸ σπαρέν.* 841 D *μηδένα τολμᾶν μηδενὸς ἅπτεσθαι τῶν γενναίων ἅμα καὶ ἐλευθέρων πλὴν γαμετῆς ἑαυτοῦ γυναικός, ἄθυτα δὲ παλλακῶν σπέρματα καὶ νόθα μὴ σπείρειν.* atque *Νόμων* Platonicorum defensione coniugii, cuius vim ad Iamblichum et Theanonis personatae scriptum *περὶ γάμου* spectantem modo tetigi, factum est, ut ea quoque pars sectae neoplatonicae, quae vitam asceticam reliquis vivendi generibus praeferebat, *γάμον* et *πορνείαν* sic copulare nollet, ut copulavit ea vir superstitiosus sive philosophicus papyri graecae Argentoratensis 92 a Reitzensteinio, *Hell. Wundererz.* p. 146 seqq. in censum vocatus aggregatusque sectis variis vitam asceticam profitentibus primis saeculis aetatis imperatoriae. omnino exempla illa gnostica hominum superstitiosorum impudicissimam vitam ex opinione vulgi degentium, revera castitate summa florentium, nec non tota ascetica ratio *Actorum* apocryphorum apostolorum Petri, Ioannis, al., differunt a Porphyrio, coniugium ex ritu patrio ineunte cum Marcella. nec vero Porphyrio simpliciter tribuo Encratitarum infestationem coniugii effrenatam, qualem Iulius Cassianus libro *περὶ ἐγκρατείας ἢ περὶ εὐνουχίας* instituit, cf. Clem. Alex. *στρωμ.* III 13 (91, 1 seqq.) p. 238, 9 seqq. St. — agnovisse Porphyrius videtur utilitatem praeceptorum coniugalium in *Νόμ.* Platonis occurrentium a Iamblicho aliisque neoplatonicis receptorum; nihilo setius habuit optimam vivendi rationem dignissimamque vero philosopho sibique ipsi solam placentem abstinentiam a venere despectis nuptiis carnalibus. quam rem ante me Zeller, *Die Phil.* III 2[4] p. 719 perstrinxit, ponam etiam sub oculos locos quosdam graviores ex aliis scriptis Porphyrii petitos atque ex epistula *πρὸς Μαρκ.* supra p. 177 respecta: *περὶ ἀπ. ἐμψ.* I 41 p. 117, 4 seqq. *ἀφεκτέον ... τῶν ἀφροδισίων. ... ὅπου γὰρ αἴσθησις καὶ ταύτης ἀντίληψις, ἐκεῖ τοῦ νοητοῦ ἡ ἀπόστασις.* II 52 p. 178, 4 seqq. *ὧν γὰρ ἕνεκα αἱ μαντεῖαι, τούτων οὗτος* (i. e. *ὁ φιλόσοφος*) *μεμελέτηκεν ἀφίστασθαι. οὐ γὰρ εἰς γάμον καθίησιν, ἵνα περὶ γάμου τὸν μάντιν ἐνοχλήσῃ κτλ. ἀφορμ. πρὸς τὰ νοητά* 32 p. 24, 10 seqq. Mommert *σίτων δὲ καὶ ποτῶν οὐκ αὐτὸς ἕξει, ᾗ περ αὐτός, ἀφροδισίων δὲ τῶν φυσικῶν οὐδὲ τὸ ἀπροαίρετον* ⟨*ἐχουσῶν*⟩, *εἰ δ' ἄρα, ὅσον μέχρι φαντασίας προπετοῦς τῆς κατὰ τοὺς ὕπνους. ὅλως δὲ αὐτὴ μὲν πάντων ἡ ψυχὴ ἡ νοερὰ τοῦ καθαι-*

ρομένου τούτων ἔστω καθαρά. de regressu animae[1]) frg. 10 Bidez p. 38* (Aug. *civ.* X 29) *Porphyrium in his ipsis libris ... quos d. r. a. scripsit, tam crebro praecipere omne corpus esse fugiendum, ut anima possit beata permanere cum deo.* cf. etiam Porph. apud Proclum *εἰς τὸν Τίμ.* 64 B (t. I p. 208, 9 seqq. Diehl): *καὶ διότι ἐν φρουρᾷ ὄντες οἱ τῆς ἀρετῆς ἀντεχόμενοι καὶ ὑπὸ τοῦ σώματος ὡς δεσμωτηρίου συνειλημμένοι δεῖσθαι τῶν θεῶν ὀφείλουσι περὶ τῆς ἐντεῦθεν μεταστάσεως κτλ.* denique gravissimum testimonium de vivendi genere, quod Porphyrio optimum esse visum sit, libellus eius *περὶ Πλωτίνου βίου* est; imaginem veri philosophi in Plotini vita, non Pythagorae delineabat Porphyrius. quae cum incipiat a verbis *Πλωτῖνος ὁ καθ' ἡμᾶς γεγονὼς φιλόσοφος ἐῴκει μὲν αἰσχυνομένῳ, ὅτι ἐν σώματι εἴη*, inutile est asceticam huius vitae rationem exscriptis locis pluribus significare.

Quodsi Plotini praeceptoris sui exemplar Porphyrius secutus est a venere abstinens et liberorum procreatione, Iamblichum apparet, tertium a Plotino caput sectae neoplatonicae, hanc sectam reduxisse a vita ascetica ad vitam civilem et matrimonium defendendum. ergo nunc demum ab omni parte intelleges, quanto iure veritus sim equidem, ullum inter Hieronymi exempla virginitatis et narratiunculas historicas de virginibus saeculi ad Iamblichi epistulam deperditam *περὶ γάμου χρήσεως* referre. observationibus, quibus obsecutus singulas res Hieronymi cum Iamblicho item atque cum Porphyrio ratione iunctas — memoriam de filia Pythagorae (v. p. 145) et de poena Locrensi (v. p. 171) — ex Porphyrio deducere malui quam ex Iamblicho, accedit approbatio generalis ex universa doctrina philosophica et ethica Iamblichi. item iis locis, ubi propriam similitudinem Porphyrii et Hieronymi parum mihi contigit retegere, demonstravisse generaliter contigit Hieronymum versatum esse in rebus neoplatonicis, spretum recte esse Iamblichum a me ratione optatissima firmatur. etiamsi p. 320 C hierophanta Atheniensium cicuta castratus in nullis litteris neoplatonicis nisi in Iuliano pendente a Iamblicho recurrat (v. p. 82), p. 317 D nuptiae corripiantur exemplo mythologico coloribus fucato notis ex libro Iamblicheo *περὶ τοῦ Πυθ. β.* (v. p. 66), tamen res easdem in epistula *περὶ γάμου χρήσεως* sive in alio coniugali opere Iamblichi

1) voce *regressus* reddi in titulo graecam vocem *ἐπανόδου* assentior totus Bidez, *vie de Porphyre* p. 161.

locum tenuisse nullo iure sumitur. Iamblicho excluso mea de Porphyrii auctoritate in Hieronymo sententia ab integro fulcitur. ac quanti faciendus sit Iamblichus exclusus a disquisitione fontium Hieronymi, vel circa Macrobium quaestiones obortae monstrant doctorum acriter ambigentium, Iamblichum an Porphyrium auctorem Macrobius habuerit in rebus theologicis graecis, cf. Reinhardt, *de Graecorum theol. cap. duo* (1910) p. 101 seqq.; Gruppe, *Berl. philol. Woch.* XXXI (1911) p. 478. inde velim discas, in theologicis controversias fundamento iusto niti, quibus de Iamblichi auctoritate ponenda pro Porphyriana decertetur; cum laudibus vitae asceticae revocandis ad fontem neoplatonicum cui res sit, eum Iamblichum merito praeterire. nec vero peritus aliquis scripturae Iamblicheae illud dabit, periculum esse, ne in epistula *περὶ γάμου χρήσεως* exempla virginitatis et vituperationem nuptiarum eo animo Iamblichus expresserit, ut alienam a se rationem asceticam aliorum philosophorum describeret potius quam defenderet. quae diem tulere scripta Iamblichi recole; usus litterarum doctarum idem, qui in Hieronymo obvius provocavit nos maxime ad ponendam compilationem Porphyrianam Hieronymi, ab eruditione Iamblichi abest. praesertim in *προτρεπτ.* Iamblichi ne Plutarchum quidem aut Theophrastum usurpatum esse miramur, nedum Bardesanis, auctoris rari, vestigium ullum habeas in scriptis Iamblichi. quin Timaeus quoque Tauromenitanus, cuius memoria Iamblichi libro *περὶ τ. Πυθ. β.* saepius servatur, nominatim inibi nusquam citatur.

ergo nullae partes Iamblichi sunt in quaestionibus de fontibus libri I *adv. Iovin.*, etiamsi inter auctores quos noverit Hieronymus, Iamblichus numeratur (v. Luebeck, *Hier.* p. 86). Porphyrius in his quaestionibus in censum venit, etsi Iamblichei scripti coniugalis testimonium Stobaei est, Porphyriani operis ex Hieronymo restituendi titulus periit. atque eadem disputatio, qua a Iamblicho abduxi habendo inter fontes Hieronymi, dehortatur, ne litterarum generi *περὶ γάμου* librum Porphyrii attribuamus. discrimen inter Iamblichum et Porphyrium in philosophiae coniugalis rebus respondisse discrimini eorum in generibus litterarum probabile est. quocirca succidit utraque causa earum, quas concessi p. 195 primo obtutu posse nos impellere, ut *περὶ γάμου* scriptum edidisse Porphyrium sumeremus. non tam aemulatus est quam vexavit praeceptorem suum Porphyrium Iamblichus *περὶ γάμου* scribens; iique loci Hieronymi, qui ex Porphyrio

deducti *περὶ γάμου* agunt, ut concordantes cum argumento christiano *περὶ παρθενίας* flagitant, ut exquiratur, quo sub titulo incesserit neoplatonicorum scriptura de abstinentia a venere respondens christianae *περὶ παρθενίας*.

7

Spreto igitur *περὶ γάμου* loco pergo in definiendo genere litterarum, cuius fuerit Porphyrii opus ab Hieronymo compilatum. occurrit inter litteras coniugales neopythagoreorum cum neoplatonicorum litteris cognatas *Φιντύος τᾶς Καλλικράτεος θυγατρὸς Πυθαγορείας* liber *περὶ γυναικὸς σωφροσύνας* (Zeller, *Die Phil.* III 2^4 p. 117 adn.). quem librum praeterire nolo, etsi fragmenta eius duo, quae servantur a Stobaeo IV 23, 61 et 61^a p. 588, 17 seqq., monstrant, cum ascetica Porphyrii ratione Phintyi nil fuisse. officia enim maritatae mulieris apud Stobaeum Phintys doctrina vulgari usa exponit[1]); velut distributio officiorum inter maritum et uxorem Stob. p. 589, 8 seqq. crebro legitur in litteris moralibus veterum.[2]) sic autem uxoris officia exsequitur Phintys, ut ea ex *σωφροσύνας* virtute repetat, qua vita coniugalis imprimis nitatur, plane ut Seneca *pudicitiam* proprie virtutem coniugalem habet. atque adeo mire his verbis consentit Seneca frg. 79 H. Hier. c. 49 p. 320 A *mulieris proprie virtus* (codd., *virtus proprie* Vall.) *pudicitia est* cum Phintye p. 589, 1 *γυναικὸς δὲ μάλιστα ἀρετὰ σωφροσύνα.*[3]) quem consensum memorabilem Phintyis cum Seneca ex stoicae doctrinae usu neopythagoreorum explico, de quo cf. Zeller l. l. p. 158. supplebo autem c. VII 5 ex Phintye Annaeanam Hieronymi descriptionem *pudicitiae*; nunc illud perspicitur ex cognatione doctrinae coniugalis neopythagoricae cum stoica, quantum ab ascetica Porphyrii ratione Phintys abhorreat. ceterum vocabuli *σωφροσύνης* usum, proprie i. q. *pudicitia* significantis, fusius

1) similis rationis est sermo a Stobaeo servatus IV 28, 19 p. 688, 9 seqq. H. *Περικτιόνης Πυθαγορείας ἐκ τοῦ Περὶ γυναικὸς ἁρμονίας.*

2) cf. Lasaulx l. l. (v. p. 16) p. 107 adn. 292; Praechter, *Hierokl.* p. 64. 133. 152; Bloch, *Archiv f. Gesch. d. Phil.* XXI (1908) p. 340. — v. etiam supra p. 32.

3) cave ne pro adverbio *proprie* (*ẞ propriae ESAC*) adiectivum *propria* (sic *B*) exigi puro sermone latino dicas, graeco *μαλίστα* tantummodo adverbium *proprie* declarari ratus. revera is usus adverbii in castissima oratione latina cuiusvis aevi deprehenditur, cf. Schmalz, *Berl. ph. Woch.* XXXII (1912) p. 891 seqq. *Adiectiv oder Adverb?*

persequi longum est; lubet tamen titulo Phintyis *περὶ γ. σωφροσύνας* aggregare titulum carminis Gregorii Nazianzeni *εἰς σωφροσύνην* p. 386 Maur. (t. 37 p. 643/4 Migne), incipientis a versu *καλὸν γάμῳ δεδέσθαι, σωφρόνως μόνον*; quo exemplo illustratur, etiam posteriore aetate imperatoria retinuisse terminum *σωφροσύνης* peculiarem vim coniugalis virtutis, respondentem Latinorum termino *pudicitiae.*[1])

Ratio ascetica, a qua vacat Graecorum *σωφροσύνη*, inest aetate imprimis imperatoria virtuti *ἐγκρατείας*, quae Latinorum *continentia* est.[2]) qua virtute Encratitarum Iulius Cassianus suum vivendi modum

1) Hieronymi loco *adv. Iovin.* I 27 p. 281 C *non enim ut male habetur in latinis codicibus "sobrietas" est legenda, sed "castitas" id est "σωφροσύνη"* i. q. *pudicitia* valet *castitas.* spectat enim hic locus Hieronymi interpretationem verborum Vulg. *I Tim.* 2, 15 *et sanctificatione cum sobrietate,* quae verba etiam sic reddit Hier. ibid. (cf. etiam *epist.* 107, 6, 1) *in sanctificatione et pudicitia.* deinde v. *adv. Iovin.* I 35 p. 292 D *"pudicum", hoc enim significat "σώφρων".* I 37 p. 297 E ... *ad pudicitiam. siquidem graece scriptum est εἰς τὸ σωφρονεῖν.* terminos *pudicitiae* et *castitatis* in unum titulum iunxit Ps.-Ambros. *de pudicitia et castitate,* cf. G. Mercati, *studi e testi* 12 (Romae 1904) 43/46. — ceterum *σωφροσύνη* tantum in coniugali philosophia *pudicitia* est; qui terminus philosophicus Graecorum quomodo alias latine reddatur, discitur ex Cicerone *Tusc.* III 16 *eam ... virtutem "σωφροσύνην" vocant, quam soleo equidem tum "temperantiam", tum "moderationem" appellare, non numquam etiam "modestiam".* praeterea de voce *σώφρων* generaliter i. q. *σπουδαῖος* valente in litteris paedagogicis peripateticorum v. Dyroff, *Die Ethik d. a. Stoa* p. 261 seq. et Schick, *Favorin περὶ παιδ. τρ.* (1912) p. 27. — noli denique credere pro Romanorum virtute *pudicitiae* apud Graecos terminum *αἰδώς* poni, quae vox latine i. q. *verecundia* sive i. q. *pudor* valet, cf. R. Schultz, *ΑΙΔΩΣ* (diss. Rostoch. 1910) p. 105. quamquam ne Schultzius quidem totus remansit immunis ab errore interpretandi vocem *αἰδώς* notione *pudicitiae,* cuius apertissime convincitur in apopthegmate Herodoti I 8 *συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή* i. q. *pudicitiam* valere *αἰδῶ* autumans p. 52 et 106. hic enim fugerunt Schultzium interpretationes latinae verbi Herodotei, Cypriani per *pudor,* Hieronymi per *verecundia αἰδώς* reddentium, item fugit paraphrasis graeca apopthegmatis Laert. Diog. VIII 43 *καὶ τὴν αἰσχύνην ἀποτίθεσθαι* (v. p. 70). contra placent alia quae de usu philosophico vocis *αἰδώς* observavit ibid. p. 101 seq.; quae vox in litteris philosophicis Graecorum numquam adeo ut *σωφροσύνη* in terminum certum abiit, posteri tamen philosophi, Plutarchus, Epictetus, Marcus coepere saepius ea uti.

2) cf. Thes. l. l. IV 699, 30 et 57. *mus. Rhen.* LX (1905) p. 550. — quamquam *ἐγκράτεια* recentioribus quoque temporibus sic dicitur, ut virtus sit, quae non solum cupiditates venerias, verum etiam reliquas cupiditates cohibeat. hac significatione latiore intellexit *continentiam* librum condens Augustinus *de continentia*; cf. e. g. 28 p. 178, 9 seqq. Vind. *melius profecto illi, qui ... generaliter libidinem sive cupiditatem regendam dicunt ad continentiam pertinere.* artiorem virtutis notionem expressit Augustinus ibid. 5 p. 146, 3 seq. *quae in genitalibus membris pudicitia refrenatis solet maxime ac proprie continentia nominari.* origo

significabat. ne tamen Porphyrium putes similiter ut Cassianum *περὶ ἐγκρατείας* ἢ *περὶ εὐνουχίας* scripsisse, cavet natura locorum Hieronymianorum ad Porphyrium a me relatorum illorum, qui restant post locos de molestiis nuptiarum supra p. 196 a me respectos. quibus ex locis unus tantum p. 320 C hierophanta cicuta castratus proprie convenit argumento *περὶ ἐγκρατείας* ἢ *περὶ εὐνουχίας* (cf. p. 82); reliqui loci, p. 309 B seqq. et Buddha et Plato nati ex virginibus, p. 309 D Timaei memoria de virgine filia Pythagorae, castitatis magistra, p. 308 D seq. narratio de virginibus Locrensibus servitio Palladis vitam castam impendentibus, minus quadrant ad argumentum *περὶ ἐγκρατείας*. quae exempla cum circa virginitatem versentur apud Hieronymum, quandoquidem *virginitas* religionis christianae notio propria est, religionis paganae notionem *ἁγνείαν* sive *castitatem* esse, circa quam haec exempla Hieronymiana apud ethnicos versata sint, vix quemquam praeteribit, neque equidem de hac re longus sum. nimirum notionem religiosam *ἁγνείας* sive *castitatis* prolixe nuper explicuit Fehrle, *Die kult. Keuschheit im Altertum* p. 3 seqq., qui etiam historiam harum vocum, et graecae et latinae perscrutatus, proprium usum earum p. 49 seq. et p. 210 excussit, quo i. q. *virginitas* et *abstinentia a venere* in cultu deorum velut Vestae et Dianae valent. atque inter exempla Hieronymiana maxime partus immaculati exempla *castitatis* religiosae paganorum exempla sunt, cum *castitatis* notio superstitiosa paganorum praecipuam vim acceperit ex conubio numinis cum muliere humana inito.

habes igitur rem argumento virginitatis christiano respondentem, notionem paganae religionis *ἁγνείαν*. nec tamen in hac superstitiosa notione *ἁγνείας* cardinem sermonis Porphyriani ex Hieronymo restituendi versatum esse iudico. sed ex religiosa notione *ἁγνείας* pro-

---

significationis latioris apud Augustinum obviae peripatetica est; cf. Zeller, *Die Phil.* II 2^3 p. 627; Ps.-Arist. *περὶ ἀρ. κ. κακ.* 2 p. 1250a 9 seqq. *ἐγκράτεια δ' ἐστὶν ἀρετὴ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, καθ' ἣν κατέχουσι τῷ λογισμῷ τὴν ἐπιθυμίαν ὁρμῶσαν ἐπὶ τὰς φαύλας ἡδονάς.* de stoicorum definitione *ἐγκρατείας* cf. Laert. Diog. VII 93 *τὴν δ' ἐγκράτειαν διάθεσιν ἀνυπέρβατον τῶν κατ' ὀρθὸν λόγον ἢ ἕξιν ἀήττητον ἡδονῶν* (Dyroff, *Die Ethik d. a. St.* p. 84. Bonhoeffer, *Epictet u. d. St.* p. 254). inter ecclesiasticos latinos Zeno Veronensis *tractatum* I 5 *de continentia* scripsit, I 4 *de pudicitia*; inter ecclesiasticos graecos aetatis serae Ioannes Ieiunator librum *περὶ μετανοίας καὶ ἐγκρατείας καὶ παρθενίας* condidit (Migne 88, 1937/78), Ioannis Chrysostomi quod fertur *de continentia* scriptum (Migne 56, 291/4) non nisi latine traditur.

prius terminus moralis sectae platonicae ἁγνεία philosophica facta est, ad quam Porphyrianae lectiones Hieronymi universae, tam aliae quam lectiones de molestiis nuptiarum, Theophrasti, aliorum partim sane ex longinquo spectant. atque ut de litteris platonicis περὶ ἁγνείας, quas fuisse suspicor, deque Porphyrii opere huius generis opinio clarescat, antea constare debebit de termino proprio ethico ἁγνείας platonicae, cum christianos notionem ἁγνείας sensu longe diverso atque platonicos adhibuisse probandum sit.

etenim otiosum non est differentiam platonicorum et christianorum efferre in usu graecae vocis ἁγνείας sive latinae *castitatis*. quae voces quamquam in litteris christianis etiam de *virginitate* incorrupta passim adhibentur (cf. Fehrle l. l. p. 50. Thes. l. l. III 541, 79 seqq.), tamen gravissimi auctores dogmatis christiani in definitionibus *castitati* latiorem significatum quam *virginitatis* tribuunt. velut Ambrosius praeter *virginitatem* etiam *continentiam* et *pudicitiam* nomine *castitatis* comprehendit: cf. *de viduis* 4, 23 p. 192 (t. 16 p. 241 D Migne) *docemur itaque triplicem castitatis esse virtutem: unam coniugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis.* praeterea cf. *exhort. virg.* 10, 62 p. 294 (16, 355 A Migne) *quid candidius virginitate? . . . bona quidem castitas coniugalis et castitas viduitatis: munda omnis castitas, sed forte non omnis candida* (*de virg.* I 8, 51 p. 159 t. 16, 202 D *castitas virginalis*). atque ad hanc notionem *castitatis triplicis* spectant etiam plurimi loci alii doctorum ecclesiae; cf. e. g. Hier. *epist.* 49, 9, 3 p. 364, 11 seq. Vind. *tres gradus: virginitatis, viduitatisque et continentiae, et coniugii fecerim.* Aug. *civ.* I 27 p. 48, 14 seqq. Vind. *ad virginalem integritatem sive ad continentiam vidualem sive ad ipsam tori coniugalis fidem. de bono coni.* 23, 28 p. 224, 1 seq. Vind. *meliorem esse castitatem continentiae quam castitatem nuptialem.* Gregorius Nazianzenus, cum carmini cuidam titulum p. 388 Maur. περὶ ἁγνείας indiderit, noluit ἁγνείαν proprie i. q. παρθενίαν valere, tres gradus ἁγνείας distinxit, *virginitatis*, ἐγκρατείας, σωφροσύνης:

ἀρετὴ πᾶσα δικαίοις | ἕνα βαθμὸν προβιβάζει.
ὁ μὲν ἀλλότριος εὐνῆς | ἴσος ἀγγέλοις ὑπάρχει.
ὁ δέ τ' ἐγκράτειαν ἀσκῶν | μετὰ παρθένων τετάχθω
ὁ δὲ τὸν γάμον φυλάσσων | ἴσος ἐγκρατεῖ γενέσθω.
μόνον ἀσκεῖτε τὸ σῶφρον, | ἵνα μειζόνων τύχοιτε.

ceterum eadem notio *castitatis triplicis*, quam expressis explicationibus scriptores christiani saec. IV approbant, iam Tertullianei libri *de exhortatione castitatis* titulo subest; qui liber secundi matrimonii dissuasio est et continentiam potius quam castitatem virginalem commendat. ubi similiter, atque ecclesiastici quarti saeculi tres gradus castitatis distinguunt, sanctificationis, quam vocat Tertullianus, gradus tres discernuntur, c. 1 p. 738 Oehler *prima species est virginitas a nativitate; secunda virginitas ... quae aut in matrimonio purificat ex compacto, aut in viduitate perseverat ex arbitrio; tertius gradus superest monogamia.*

Sed si recte sensero, possedisse religionis paganae *ἁγνείαν* apud neoplatonicos in philosophia morali vim specialem *virginitatis*, postulabis, ut litterae antiquitatis exeuntis etiam definiendo hic illic notionem illam angustiorem *ἁγνείας* exprimant. sic ab Ambrosii definitione *castitatis* abhorret Isidorus *diff.* 1, 84 *inter castitatem et continentiam hoc interest, quod castitas est corporis incorruptio, continentia vero post corruptionem sexui renuntiatio.* deinde Cassiani quoque verba *conl.* XII 11, 1 p. 351, 14 seq. Vind. *perfectio castitatis a laboriosis continentiae rudimentis perpetua tranquillitate discernitur* finiunt *castitatem*, diserte eam opponentia *continentiae*, cum alioquin apud christianos, ubi *castitas* specialiter i. q. *virginitas* est (verbi causa Ambr. *de virg.* I 8, 52 p. 159 t. 16, 202 D Migne *et quid pluribus exsequar laudem castitatis*), nomen generale *triplicis castitatis* pro una eius specie per synecdochen dictum accipi possit. denique memorabile vestigium sensus angustioris — platonici quem dico — vocis *ἁγνείας* Methodius platonissans offert in titulo libri *συμπόσιον ἢ περὶ ἁγνείας.*[1]) quo in titulo *ἁγνεία* aliter intellegenda est atque *castitas* in titulo libri Tertullianei *de exhort. cast.*, viduum ad continentiam cohortantis, et *ἁγνεία* in titulo carminis Gregoriani celebrantis *castitatem triplicem.* in libro Methodii *ἁγνεία* simpliciter dicta opponitur continentiae et conubio pudico *λόγ. β′* 7 p. 50 Allat. *τὴν ἐκκλησίαν, οὐ μόνον τοῖς τῆς ἁγνείας πεποικιλμένην καὶ κατεστεμμένην ἄνθεσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς τῆς τεκνογονίας καὶ τοῖς τῆς ἐγκρατείας.* synonyma in Methodio *ἁγνεία* et *παρθενία* sunt, cf. cum hoc loco alterum: *λόγ. γ′* 13 p. 85 *καὶ περὶ μὲν ἐγκρατείας καὶ γάμων καὶ σωφροσύνης ... σχεδὸν ἤδη*

1) de titulo libri cf. Photium *Bibl. cod.* 237 *ἀνεγνώσθη τοῦ αὐτοῦ (Μεθοδίου) ἐκ τοῦ περὶ ἁγνείας ... ᾧ ἐπιγραφὴ συμπόσιον ἢ περὶ ἁγνείας.* cf. etiam ipsum Meth. p. 2 Allat. *περὶ τῶν τῆς ἁγνείας λόγων.*

μοι τέλος ἔχει· περὶ δὲ παρθενίας εἰρῆσθαι λείπεται λοιπόν. ad tantam imitationem neoplatonicorum Methodius in libro *περὶ ἁγνείας* processit, ut *λόγ. ε'* 5 p. 120 *ἀναγωγὸν εἶναι τὴν παρθενίαν* sententiam consimilem de *virginitate* proderet ei, quae in neoplatonicorum Iuliano de *castitate* legitur or. 5 *εἰς τ. μητ. τ. θ.* p. 175B *αὐτῆς δὲ τῆς ἁγνείας φαμὲν τὸν σκοπὸν ἄνοδον τῶν ψυχῶν* (Fehrle l. l. p. 51); simul hic qui *virginitate* purgatarum animarum ascensum caelestem tangit *λόγ.* 5 libri Methodiani, desinit in verba 8 p. 132 *ταῦτά σοι . . . ὑπὲρ ἁγνείας συμβάλλομαι.* Methodius igitur, cuius studia Porphyriana nota sunt (de opere eius adversus Porphyrium v. Hier. *vir. ill.* 83), quique haud scio an etiam propter nimiam imitationem philosophorum platonicorum eas offensiones tulerit, quas ex testimonio suo post librum *περὶ ἁγνείας* absolutum tulit (cf. N. Bonwetsch, *Meth.* t. I, 1891, p. 290), titulum *περὶ ἁγνείας* a neoplatonicis mutuatus est.[1]) christiani, qui post Methodium saec. IV argumentum idem quod Methodius libro *περὶ ἁγνείας* tractarunt, *περὶ παρθενίας* inscripserunt libris suis.[2])

Relinquitur, ut Porphyrii usus vocabuli *ἁγνείας* locis servatorum scriptorum eius illustretur. distinxit Porphyrius corporis *ἁγνείαν* et animi; plenissima *ἁγνείας* descriptio legitur *περὶ ἀπ. ἐμψ.* II 45 p. 174, 13 seqq. *ἀνδρὸς ἄρα θείου ἡ ἔσω καὶ ἡ ἐκτὸς ἁγνεία, ἀποσίτου μὲν παθῶν ψυχῆς σπουδάζοντος εἶναι, ἀποσίτου δὲ καὶ βρώσεων αἳ τὰ πάθη κινοῦσιν, σιτουμένου δὲ θεοσοφίαν καὶ ὁμοιουμένου ταῖς περὶ τοῦ θείου ὀρθαῖς διανοίαις καὶ ἱερωμένου τῇ νοερᾷ θυσίᾳ καὶ μετὰ λευκῆς ἐσθῆτος καὶ καθαρᾶς τῷ ὄντι τῆς ψυχικῆς ἀπαθείας καὶ τῆς κουφότητος τοῦ σώματος προσιόντος τῷ θεῷ, οὐκ ἐξ ἀλλοτρίων καὶ ὀθνείων χυμῶν καὶ παθῶν ψυχικῶν βεβαρημένου.* cum igitur Porphyrius *ἁγνείαν* alte haerere voluerit in mente veri philosophi sapientia et pietate imbuti, tum animus ab affectibus liber ei nequaquam sufficiebat ad obtinendam *ἁγνείαν*, nisi corporis ascesis accesserat, cui plurimum tribuisse illum Zellero, *Die Phil.* eqs. III 2^4 p. 721 assentiendum est. quae corporis ascesis sane non solum abstinentia a venere, sed etiam abstinentia a cibis efficienda erat, v. epist. *εἰς*

1) nimis breviter egit de Methodio pendente a Platone et platonicis in rebus ethicis Bonwetsch, *Die Theologie des M. v. Ol., Abh. d. Ges. z. Gött. ph.-h. Kl.* VII 1 (1903) p. 132 et 156.

2) *παρθενίαν* et *ἁγνείαν* adversus consuetudinem catholicam haberi eandem in Actis quibusdam apocryphis apostolorum recte monuit Lipsius, *Die apokr. Apostelgesch.* II 1 (1887) p. 457.

Μαρκ. 28 p. 292, 7 seq. *ἁγνεύειν οὖν καὶ οἱ θεοὶ δι' ἀποχῆς βρωμάτων καὶ ἀφροδισίων προσέταξαν.* attamen quantum momentum habuerit apud Porphyrium notio specialis illa *ἁγνείας* i. q. *virginitas* valentis, nota ex cultu Vestae et Dianae, rursus is locus demonstrat, quo res *ἁγνείᾳ* obstantes enumerans *τὰ ἀφροδίσια* primo loco ponit *περὶ ἀπ. ἐμψ.* IV 20 p. 262, 14 seqq. *διὸ ἐν πᾶσιν ἡ ἁγνεία ἐν ἀποθέσει μὲν καὶ ἀφέξει τῶν πολλῶν καὶ ἐναντίων, μονώσει δὲ καὶ λήψει τῶν οἰκείων καὶ προσφυῶν. διὸ καὶ τὰ ἀφροδίσια μιαίνει. σύνοδος γὰρ θήλεος καὶ ἄρρενος.* huic igitur loco maxime insisto, cum Porphyrium *περὶ ἁγνείας* scribere animum inducentem, praeteriisse dicam abstinentiam a cibis, sed vocabulo *ἁγνείας* solam complexum esse puritatem animi natam ex abstinentia a venere.

Ceterum in argumentum summum operis Porphyriani ab Hieronymo compilati inquirens illud intendi ut rem tenerem; de verbis, quibus in titulo philosophus rem expresserit, minus certam opinionem esse nemo non videt. plurimorum operum Porphyrii ne titulos quidem nobis tradi, ex Suidae catalogo librorum Porphyrianorum s. v. *Πορφ.* p. 373 seq. Bernh. compertum habemus desinente in verba *ἔγραψε* ... *καὶ ἄλλα πλεῖστα*; inter titulos servatos librorum perditorum nullus ad scriptum ex Hieronymo restituendum quadrat. quamquam duo scripta amissa Porphyrii, quorum de argumento ad conubium et res venerias spectante memoria nobis suppetit, hoc loco silentio praeterire nolo. ipse enim Porphyrius *περὶ τ. Πλωτ. βίου* 15 narrat, Diophanem rhetorem scripsisse apologiam Alcibiadis, qua virtutis addiscendae gratia ephebum pati debere venerem magistri exposuisset; adversus Diophanem scriptum conficere a Plotino se iussum esse, confectumque recitatumque sermonem alacriter exceptum a Plotino esse versu Homerico: *βάλλ' οὕτως, αἴ κέν τι φόως ἄνδρεσσι γένηαι.* quo in sermone Porphyrii multa de castitate animi et integritate corporis disputata fuisse sane veri simillimum est, atque sic sensit Lucas Holstenius, *de vita et scriptis Porph. phil. diss.* c. VIII (ed. Cantabr. 1655) p. 50; tamen parca et brevia tantum quae sunt verba Porphyrii de refutatione Diophanis, ea nihil docent de ambitu huius scripti, titulo, litterarum genere, indole in rebus singulis. unde memoriam huius refutationis cum opere ex Hieronymo restituendo Porphyrii coniungere nil expedit.

Deinde alterius etiam scripti Porphyriani de castitate ipse nobis memoriam suggerit, quae eidem capiti 15 libelli *περὶ τ. Πλωτ. βίου* inest, cui notitia refutationis Diophanis debetur. cuius capitis primis sententiis refert Porphyrius, Platonis natali se recitavisse *τὸν ἱερὸν γάμον*, carmen mysticum. carmine sane consentaneum est excerpta Hieronymiana Theophrasti, Aristotelis, aliorum reddenda Porphyrio non potuisse contineri. nihilo setius propter argumenti cognationem, quae *ἱερῷ γάμῳ* Porphyrii cum opere eius ab Hieronymo compilato intercessit, spero veniam mihi datum iri immoranti paullisper in argumento huius carminis.

quod carmen ut recitatum natali Platonis si modo memoravit partum Platonis, virginitas et conubium castum Perictionae cum Apolline tractanda se obtulere. deinde Holstenius l. l. c. IX p. 54 nonnulla indicavit, quae *ἱερῷ γάμῳ* Porphyrii infuissent. velut Platonem ex *ἱεροῖς γάμοις* philosophos suos nasci voluisse *πολιτ.* 458 E, al. apte monuit.[1]) praeterea caerimonias in festo *ἱεροῦ γάμου* agendo, communi Atticorum aliorumque Graecorum (v. Scheuer, *de Iunone Attica*, diss. Vrat. 1914, p. 18 seqq.), praebuisse Porphyrio materiem disserendi in modum theologicum et theurgicum, coniectura proclivis est.[2]) denique illud uni-

1) alios locos ubi de humanis nuptiis iure sacro initis *ἱερὸς γάμος* dicitur, affert Lasaulx l. l. (cf. p. 16 adn.) p. 91 adn. 225.

2) lavationis Iunonis caerimonia est in festo *ἱεροῦ γάμου*, unde mos graecus lavationis nuptialis repetitur (cf. Plutarch. *περὶ τ. ἐν Πλατ. Δαιδάλων* 6 t. VII p. 47 Bernard.; Nilsson, *Griech. Feste* eqs. p. 44 seq. et 48; Roscher l. l. p. 2100). hunc morem, quamquam de Iunone tacet, allegorice Porphyrius sic interpretatus est *περὶ τ. ἐν 'Οδ. τ. νυμφῶν ἄντρου* 12 p. 64, 25 seqq. N.: *ναΐδες οὖν νύμφαι αἱ εἰς γένεσιν ἰοῦσαι ψυχαί. ὅθεν καὶ τὰς γαμουμένας ἔθος ὡς ἂν εἰς γένεσιν συνεζευγμένας νύμφας τε καλεῖν καὶ λουτροῖς καταχεῖν ἐκ πηγῶν ἢ ναμάτων ἢ κρηνῶν ἀενάων εἰλημμένοις.* — deinde varia de interpretatione allegorica *ἱεροῦ γάμου* Iovis et Iunonis congessit O. Gruppe, *Gr. Myth. u. Religionsgesch.* (1906) p. 421 seqq., al.; quem de coetu solis et lunae *ἱερῷ γάμῳ* supposito cf p. 937 seq. adn. 2, de coetu aetheris et aeris p. 1312 adn. 5. verum has allegorias Porphyrio tribuere nefas est, qui solis vim intellexit Apollinem *περὶ ἀγαλμ.* frg. 8 p. 12* Bidez (Euseb. *εὐαγγ. προπ.* III 11, 24 p. 112 b) et in uno numine Iunonis aethera simul cum aere posuit, cf. frg. 4 p. 7* B. (Euseb. III 11, 1 p. 108 b) *τὴν δὲ Ἥραν σύνοικον τῷ Διὶ πεποιήκασιν, τὴν αἰθέριον καὶ ἀέριον δύναμιν Ἥραν προσειπόντες. ἔστι γὰρ ὁ αἰθὴρ ἀὴρ λεπτομερέστατος.* Iovem denique *τὸν νοῦν τοῦ κόσμου* intellexit, cf. frg. 3 p. 3* seqq. (Euseb. III 9 p. 100 a seqq.). atque has Iovis et Iunonis allegorias declarat diserte Eusebius fuisse Porphyrii proprias *εὐαγγ. προπ.* III 13, 11 p. 119 b seq. *ἔστω γὰρ ὁ Ζεὺς μηκέθ' ἡ πυρώδης καὶ αἰθέριος οὐσία, ὥσπερ οὖν τοῖς παλαιοῖς ἐνομίζετο κατὰ τὸν Πλούταρχον, ἀλλ' αὐτὸς ὁ ἀνωτάτω νοῦς, ὁ τῶν ὅλων δημιουργός κτλ. ... τὴν*

cuique succurret, quod idem Holstenius primus dixit, tetigisse hymnum Porphyrii *ἕνωσιν* mentis cum deo. hac ratione mystica, quae consimilis sit nuptiis spiritualibus medii aevi descendentibus a ratione platonica (cf. c. II p. 38), explicavisse Porphyrium *ἱερὸν γάμον* probabile est toto testimonio Porphyrii de carmine illo: *ἐμοῦ δὲ ἐν Πλατωνείοις ποίημα ἀναγνόντος τὸν ἱερὸν γάμον, καί τινος διὰ τὸ μυστικῶς πολλὰ μετ' ἐνθουσιασμοῦ ἐπικεκρυμμένως εἰρῆσθαι εἰπόντος μαίνεσθαι τὸν Πορφύριον, ἐκεῖνος* (ὁ *Πλωτῖνος*) *εἰς ἐπήκοον ἔφη πάντων· ἔδειξας ὁμοῦ καὶ τὸν ποιητὴν καὶ τὸν φιλόσοφον καὶ τὸν ἱεροφάντην.* unde *ἱερὸς γάμος* Porphyrii similia spiravit atque hymnus Methodii platonissantis, in animam virginis, Christo se devoventis, sponso virginalis castitatis, quo cumulatur liber Methodii *περὶ ἁγνείας λόγ. ια'* p. 284 seqq.[1])

Argumento igitur carmen Porphyrii et scriptum pedestre eius Hieronymianum de castitate non possunt non congruisse ex bona parte. attamen si utrumque opus diem tulisset, vereor ne miraturus fueris, quam diversus in eodem argumento tractando hic et illic Porphyrius exstitisset. nimirum in Porphyrio inerant ingenia quasi duorum hominum, qui tantundem pollebat somniis theurgicis et furore mystico, quantum sobrietate philologica et studio vigilantissimo antiquitatis, quibus virtutibus saeculum suum superavit. colores autem theurgici et mystici '*ἱερὸν γάμον*' fucantes aberant a pedestri opere de castitate, cuius loci in Hieronymo retecti eandem speciem eruditionis et cognitionis rerum prae se ferunt, qua opus *περὶ ἀπ. ἐμψ.* in libro II *adv. Iovin.* compilatum eminet.

Itaque nullo cum fructu recolitur notitia scriptorum Porphyrii,

---

γὰρ Ἥραν οὐκ οἶδ' ὅπως τὸν ἀέρα τὸν καὶ αἰθέρα προσειπών, ἀδελφὴν ὁμοῦ καὶ γυναῖκά φησιν εἶναι τοῦ κοσμοποιοῦ καὶ ζωοποιοῦ πάντων νοῦ. — obiter addo Chrysippi interpretationem aliquam allegoricam *ἱεροῦ γάμου* institutam in pictura obscaena Orig. *κ. Κέλσ.* IV 48 p. 321, 8 seqq. K. *λέγει ... ὁ σεμνὸς φιλόσοφος ὅτι τοὺς σπερματικοὺς λόγους τοῦ θεοῦ ἡ ὕλη παραδεξαμένη ἔχει ἐν ἑαυτῇ εἰς κατακόσμησιν τῶν ὅλων* (cf. Arnim, *stoic. vet. frg.* II p. 314). de Posidonii explanatione *ἱεροῦ γάμου* cf. Ios. Kroll, *Die Lehren des Hermes Trism.* (1914) p. 138 seq.

1) praeter Methodii hymnum fortasse etiam utiles sunt ad naturam carminis Porphyriani intellegendam Procli et Synesii hymni, de quibus cf. Wilamowitz, *Sitzungsb. der Berl. Akad.* 1907, *Die Hymnen des Pr. u. S.* p. 272/95. atque hoc loco Wilamowitz egit etiam de festo *τῶν Πλατωνείων*, quo Porphyrius carmen suum recitaverat. — denique de hymnis in *Γάμον*, ad quos Porphyrius hymnum *ἱεροῦ γάμου* scribens hic illic se applicare poterat, cf. *Realenc.* VII 693 s. v. *Gamos* (v. etiam Foerster, *Lib. opp.* t. VII praef. p. XIV).

quaecumque nobis post maxima damna scripturae omnisque memoriae Porphyrianae remansit, cum titulus et genus litterarum operis perditi de castitate accuratius circumscribenda sint. nisi forte hoc lucrum reportatur ex adducto carmine *ἱεροῦ γάμου*, ut variae opiniones, quibus ludere possit quis in titulo operis pedestris dicendo, in artius restringantur. nempe remotam longe putabo fuisse a titulo carminis mystici inscriptionem operis eruditi quae periit. inde *περὶ ἱεροῦ γάμου* sive quam forsitan pro hac inscriptione supponere licuerit respondentem christianorum termino *πνευματικοῦ γάμου* (Greg. Nyss. *π. παρθ.* 19 t. 46 p. 397 A Migne), *περὶ ἁγνοῦ γάμου* inscriptiones Porphyrio tribuendae non sunt. rursus tamen nomen *ἁγνείας* sive adiectivum *ἁγνός* in titulo operis pedestris apparuisse, nec vero ex similitudine librorum *περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων* titulum qualem possis effingere *περὶ ἀποχῆς ἀφροδισίων*, refingendum esse, colligo ex pondere, quo virginitas ad obtinendam omnem castitatem intimam mentis philosophicae apud Porphyrium utitur: abstinentia a venere proprium vitae genus multo magis conditur quam abstinentia ab esu animalium, eamque rem credo etiam ex indice operis Porphyriani intellegi potuisse. inde ne id quidem mihi persuasi, simpliciter *περὶ ἁγνείας* Porphyrium operi suo de vita pura a venere inscripsisse. sed perscrutatus sum alios libros Hieronymi dubitans, an qui sciens celavit in opere *adv. Iovin.* furta sua Porphyriana, alibi gentiles litteras de abstinentia a venere proprio titulo vocaverit; incidi in locum *epist.* 130 *ad Demetr. de serv. virg.* 19 p. 996 B Vall., ubi litteris christianis *de virginitate* aggregatur litterarum ethnicarum de eodem argumento notitia: *certe et beatus Cyprianus egregium de virginitate volumen edidit et multi alii tam latino sermone quam graeco; omniumque gentium literis atque linguis, praecipue in ecclesiis, ἁγνὴ vita laudata est.* huic igitur testimonio Hieronymi insistens *περὶ ἁγνοῦ βίου* Porphyrianum opus ab Hieronymo compilatum fuisse cogito.

8

Verum haec quae de titulo habeo operis deperditi Porphyriani, eodem sensu velim accipias, quo dicta sunt a me bene conscio, paene flagitiosum esse, de titulo operis a nullo scriptore antiquo commemorati coniecturam navare. sed respue modo funditus quaestionem tituli;

non tamen Hieronymi locum *epist.* 130, 19 de litteris gentilibus ἁγνὸν βίον tractantibus frustra afferebam. nam sive περὶ ἁγνοῦ βίου sive alius titulus operis fuit ex quo varii loci Porphyriani Hieronymi, argumentum idem ἁγνείας philosophicae spectantes, manarunt, litterarum genus περὶ βίων Porphyrius maxime propagavisse opere suo putandus est. nec vero ego litteras περὶ βίων in libro I *adv. Iovin.* indagandas esse primus dico: in quas incursum est ante me, cum quaereretur, ad quodnam opus Theophrasti verbum Hieronymi c. 47 p. 313 C *fertur aureolus*[1]) *Theophrasti liber de nuptiis* trahendum esset. sed ut pateat, quo iure ex libro Theophrasti inscriptione certa *de nuptiis* apud Hieronymum exornato ad litterarum genus περὶ βίων accessum sit, tota difficultas, quae circa inscriptionem *de nuptiis* libri Theophrastei ab Hieronymo traditam est, excutienda est.

peculiaris igitur liber περὶ γάμου in catalogo operum Theophrasteorum Laertii Diogenis V 42 seqq. non est; qui catalogus etiamsi caret mentione operum quorundam nobis aliunde notorum (cf. Vsener, *anal. Theophr.* p. 21 seq. *Kl. Schr.* I 67 seq.), tamen per se quoque parum probabile est, proprium περὶ γάμου volumen Theophrastum emisisse. neque enim ceteri peripatetici praeter unum Demetrium Phalereum libros speciales περὶ γάμου ratione Persaei, Antipatri, Senecae, stoicorum aliorum (v. c. VII 6) ediderunt; et testimonium est Eudori a me supra p. 194 seq. exscriptum, ex quo constitutum esse apud stoicos proprium litterarum genus περὶ γάμου discitur. suspicio igitur magna est, quem Hieronymus vocet Theophrasti *librum de nuptiis*, eum maioris operis aliquam partem fuisse. nec desunt priorum sententiae variae tale opus in catalogo Laertiano librorum Theophrasti indicantium. quarum sententiarum praecipue apud Bockium, *Aristoteles* eqs.

1) errorem mirum Gruetzmacheri, *Hier.* II p. 157 atque etiam Halleri, *Texte u. Unters. z. Gesch. d. altchr. Lit.* XVII 2 (1897) *Iovinianus* p. 19 adn. 4 *Aureolus* fuisse titulum libri Theophrastei latine conversum putantium, silentio praeteriissem, nisi vidissem Vallarsium quoque aliosque editores priores Hieronymi errori eidem obnoxios fuisse, a littera maiuscula *Aureolus* incipere iubentes. putes homines medii aevi, velut Walter Mapes saec. XIII *Aureolum Theophrasti* dixit in epistula illa *Val. Ruffino ne ducat uxorem* ed. Hier. t. XI p. 337 C Vall., de qua epistula cf. Elter, *mus. Rhen.* LXIII (1908) p. 472 seqq. et 640. — eadem pagina peccavit Gruetzm. in nomine *Perictionae*, cum ad formam Hieronymi *Perictionem* addendam Neue-Wagener, *Formenlehre d. l. Spr.* I^3 p. 95, nominativum barbarum *Perictio* formaverit.

p. 44 foras data Immischii sententia ea est, quam et referre et refellere necesse sit, cum arriserit aliis ut Blochio, *Archiv f. Gesch. d. Phil.* XXI (1908) p. 338 adn. 10, correpto frustra Immischio ab A. Dyroff, *Berl. Phil. Woch.* XIX (1899) p. 390. Immisch igitur ad naturam eclogae Theophrasteae *de nuptiis* explanandam afferebat rhetorum theses aetatis imperatoriae, inter quas quidem thesis εἰ γαμητέον trita fuit, Theophrasti θέσεων κδ opus a Diogene V 44 commemoratum ratus eclogam *de nuptiis* continuisse. neque quisquam cognationem maximam esse infitiabitur inter theses rhetoricas εἰ γαμητέον et Theophrasti sermonem Hieronymianum, quam in singulis rebus etiam Praechter, *Hierokl.* p. 129 seq. illustrabat, qui tamen θέσεων operi eclogam illam infuisse non concessit.

nimirum qui est sensus verborum Hieronymi l. l. *fertur* ... *liber de nuptiis in quo quaerit* eqs., praeter quaestionem, an sapienti uxor ducenda sit, largiorem etiam memoriam philosophici sermonis Theophrastei *de nuptiis* ad Hieronymum pervenisse, ut pridem putavit Zeller, *Die Phil.* II 2³ p. 858, sumendum est. aetatis imperatoriae loci morales rhetorum pendent illi quidem a Theophrasto, nec tamen ista ars scholastica philosophiam illius vere exhausit.[1]) *quaestione philosopho conveniente*, cuius generis de quaestionibus loquitur Quintilianus *inst. or.* III 5, 5, Theophrastum omnem de matrimonio opinionem suam exposuisse veri simile non est. iam vero eo confidentius arceo ab opere θέσεων eclogam Hieronymianam, quia Immischium quique eum secuti sunt, praeteriit Philonis Larissaei vox gravissima de sede concessa quaestioni *an vir sapiens ducat uxorem* in litteris philosophicis περὶ βίων; v. Phil. apud Stob. II 7, 2 p. 41, 7 seqq. Wachs.: διττὸς δὲ καὶ ὁ περὶ βίων λόγος, ὃ μὲν ἴδιος ὃ δὲ κοινός· ὧν τὸν μὲν ἴδιον ἐπισκοπεῖν δέον ἐστὶ τὰ πρὸς ἕκαστον, οἷον εἰ ... γαμητέον τῷ σοφῷ. est autem inter Theophrasti opera in indice Laertii V 42 opus περὶ βίων αβγ, cuius partem fuisse sermonem περὶ γάμου ab Hieronymo laudatum breviter declaraverat dudum, qua erat doctrina et divinatione veri, Hermannus Vsener, *anal. Theophr.* p. 22.

---

1) velim te memorem esse, quomodo scholastici aetate imperatoria Theophrasti opus morale quod erat χαρακτήρων ἠθικῶν rhetorice detruncaverint et compendium illud, quod diem tulit, fecerint; cf. Diels, *Th. char.* ed. Ox. 1909, praef. p. V seqq., Wendland, *Berl. phil. Woch.* XXIX (1909) p. 1557.

Sic adducimur ad litterarum περὶ βίων usum in Hieronymo agnoscendum a regionibus diversis, tam ab ecloga Theophrastea quam a sermone ἀγνὴν vitam exemplis celebrante. quibus de litteris περὶ βίων quae aliunde cognita sunt, ea conferri oportet cum observationibus in Hieronymo obortis. quae vero scholae philosophicae has litteras maxime condiderint, quae natura earum fuerit, ex conspectu Leonis, *Die gr.-röm. Biogr.* (1901) p. 97 seqq. compertum est. ubi platonicis philosophis cum aliis sectis et praecipue cum peripateticis περὶ βίων genus litterarum commune vides fuisse, ita ut optimo iure, quae apud Stobaeum Philo Larissaeus, academicus philosophus, de quaestione εἰ γαμητέον τῷ σοφῷ, parte loci περὶ βίων nobiscum communicat, ea ad peripateticorum Theophrastum a me tracta sint. deinde materies et argumentum totius generis περὶ βίων rationis eius fuere, ut id genus litterarum a biographico genere scribendi vitisque singulorum hominum clare discederet. βίοι singulorum hominum a scriptura περὶ βίων plane alieni erant, qua scriptura varii vivendi modi generaliter tractabantur, singulorum hominum fata non nisi in tantum perstringebantur, in quantum ad universorum populorum victum, cultum, mores illustranda exemplis valerent. prae ceteris autem operibus περὶ βίων Dicaearchi operis condicio βίου Ἑλλάδος etiamnunc aperta est (v. Martini, *Realenc.* V 548 seqq.; Mueller, *FHG.* t. II 232 seqq.). quod opus ab Hieronymo l. II *adv. Iovin.* c. 13 p. 342 C commemoratur (cf. p. 84), ubi Porphyrii verba π. ἀπ. ἐμψ. IV 2 p. 228, 24 seq. Δικαίαρχος, ὃς τὸν ἀρχαῖον βίον τῆς Ἑλλάδος ἀφηγούμενος redduntur dictione *Dicaearchus in libris Antiquitatum et descriptione Graeciae.* tamen a Dicaearchi opere Theophrasti opus περὶ βίων, etiamsi argumenti consimilis fuerit, certa ratione abhorruit. Dicaearchus enim mores Graeciae, cum historiam Graeciae ostendit, explicuit; vitam populi graeci tamquam vitam unius hominis prosequebatur per saecula. e contrario Theophrastus, si modo quaestione *an vir sapiens ducat uxorem* librique *de nuptiis* memoria Hieronymiana lux affertur operi eius, ex ordine historico argumentum non absolvit. immo propius quam ad Dicaearchum ad Clearchi opus περὶ βίων vitam contemplativam, activam, luxuriosam, sim. recensentis (*FHG.* t. II 302 seqq.) Theophrastus accessit; ordinis enim, quo materia a Clearcho disposita fuerit, etiamsi certior notitia non sit (Leo l. l. p. 99), utique tamen dispositionem historicam peculiarem Dicaearchi dispositionem fuisse vel ex titulo pe-

culiari operis Dicaearchei colligo. nec miraberis, si Dicaearchus in studiis communibus peripateticorum multorum propria via ingressus est. cui quidem cum Theophrasto, capite scholae peripateticae, controversia maxima erat de pretio vitarum teste Cicerone *ad Att.* II 16, 3 *tanta controversia est Dicaearcho, familiari tuo, cum Theophrasto, amico meo, ut ille tuus* τὸν πρακτικὸν βίον *longe omnibus anteponat, hic autem* τὸν θεωρητικόν eqs.

ne longus sim, Dicaearchus in opere βίου Ἑλλάδος deduxit activae vitae laudes ex narranda condicione populorum provecta in statum meliorem a viris in gubernandis civitatibus excellentibus, Theophrastus contemplativae vitae liberae a curis civilibus defensor delectatus esse debet praeter ceteros peripateticos in suo περὶ βίων opere ἁγνοῦ βίου descriptione copiosa. ἁγνείαν spretam fuisse a Theophrasto περὶ βίων scribente non patitur ne unus quidem Empedocles, qui quantum dederit praeceptis de abstinentia a venere, Gellius IV 11, 10, alii testes sunt (v. Capelle, *N. Jahrb.* XXV, 1910, p. 692). nec vero difficile est opinatu, qua proprietate sermo Theophrasteus ἁγνοῦ βίου in opere περὶ βίων insignis fuerit; quem exemplis magis quam ratiocinatione et praeceptione constitisse indicatur vel Clearchei operis περὶ βίων fragmentis, servatis potissimum ab Athenaeo, quae fragmenta abundant exemplis. deinde Theophrasteorum operum opus πολιτικῶν πρὸς τοὺς καιρούς exemplorum thesaurum ingentem praestitit; posteriorum scriptorum ut Plutarchi quae sunt collectiones uberrimae exemplorum, earum pars magna ex Theophrasti scriniis fluxit (cf. Wilamowitz, *Arist. u. Athen* t. I, 1893, p. 128; Mittelhaus, *de Plut. praec. ger. reip.*, diss. Berol. 1911, p. 31 al.).

Quodsi in opere περὶ βίων Theophrasti, cuius usus in Hieronymi l. I *adv. Iovin.* Theophrasto nominato p. 313 C constat, exemplis ἁγνὸς βίος celebratus fuit, exempla octo historica Attica, Messeniaca, Boeotica in eodem libro Hieronymi praesto sunt, quae profecta esse a peripatetico scriptore florente circa initium saec. III tam aetas exemplorum quam ars narrandi eorum produnt (v. p. 173 seqq.). corpus igitur illud priscum exemplorum octo historicorum de virginitate, quod ex Porphyrio peripateticorum veterum compilatore assiduo Hieronymum transtulisse et amplificavisse duobus aliis exemplis Porphyrianis recentioribus, Locrensi et Milesio, supra divinavi, iam Theophrasto περὶ βίων tribuo. Theophrastus certe idoneus auctor est,

ad quem referas eruditionis exquisitae documenta parte illa sermonis Hieronymiani obvia, velut memoriam de archontis regis filiae castitate Attica, alia quae adnotavi p. 154 seqq.; Theophrastum accipies item libenter locum de pudore et continentia feminarum Milesiarum, quem novisse eum traditur scripti *περὶ μέϑης* fragmento (117 W.), agitavisse etiam in opere *περὶ βίων*, ita ut Porphyrius in sua de castitate scriptura recentiorem de septem Milesiis virginibus narratiunculam Theophrasto addiderit (v. p. 165).

Ergo insita probabilitate quadam defenditur origo Theophrastea exemplorum Atticorum, Messeniacorum, Boeoticorum de virginitate. nihilo setius tanta copia scriptorum veterum Porphyrio suppetebat, ut in ipso Theophrasto auctore Hieronymi nominando nollem oleum perdere, nisi exstaret expressum testimonium Hieronymi de usu suo Theophrasteo. nec difficulter trahitur a Theophrasti p. 313 C mentione auctoritas eiusdem ad alias partes sermonis ethnici Hieronymi. nam eo ipso, quod nullus proprius auctor exemplorum ex historia graeca petitorum ab Hieronymo laudatur, commoveor, ut ista exempla ad auctorem aliquem alibi ab Hieronymo dictum revocem; auctorum illustria nomina, quae quidem Porphyrius ipse prodidit, Hieronymum consuevisse, quantum potuerit, in sermonem suum recipere, discitur ex l. II *adv. Iovin.* (cf. append.). curre igitur per scriptores Hieronymo notos intercedente Porphyrio in l. I; nullus alius scriptor haberi poterit pro auctore corporis illius peripatetici exemplorum de virginibus castis nisi unus Theophrastus.[1]) nam scriptum Aristoteleum *de matrimonio* quod vocat Hieronymus p. 318 B, firmavi ratione nova p. 124 idem esse atque scriptum oeconomicum corporis Aristotelei neoplatonicorum *περὶ συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός*, quo delineatum erat per *σχέσεις* quattuor domesticae vitae genus optimum. huic igitur libro oeconomico exempla historica *ἁγνοῦ βίου* infuisse vix quisquam somniabit. praesertim si cuius inclinaverit animus, ut genuinum Aristotelis librum censeat fuisse librum *περὶ συμβ. ἀ. κ. γ.*, deterrebitur etiam temporum ratione, exempla virginum ei libro tribuere. quorum exemplorum nex Leosthenis cadit in annum 323, Aristoteles obiit anno 322/1.

1) praetereo peripateticorum Clearchum, cuius *laudem Platonis* Hieronymus p. 309 C citavit. quo loco Hieronymum a Porphyrio pendere exscribente Thrasyllum exponebam p. 133 seqq.

Duo igitur reporto ex Hieronymo fragmenta Theophrasti librorum *περὶ βίων*; quorum alterum ex sermone *περὶ γάμου* oriundum est, qui num librum integrum trium *περὶ βίων* effecerit, plane incertum est. hoc ex sermone *περὶ γάμου* desumptae quaestionis *εἰ γαμητέον τῷ σοφῷ* pars aliqua conversa ad verbum servatur ab Hieronymo, lectio inducta per phrasin p. 313 C *statim intulit.* vix tota quaestio Theophrasti *εἰ γαμ. τ. σ.* ab Hieronymo proponitur; cf. et sententiam textui ad verbum converso antecedentem *et cum definisset* eqs., et quae excipit hunc textum p. 315 E *haec et huiusmodi Theophrastus disserens.*[1]) alterum Theophrasti fragmentum, collectio exemplorum octo *ἁγνοῦ βίου,* ex ecloga multo largiore Porphyriana excerptum est; solet enim Hieronymus textum Porphyrianum a se compilatum in brevius redigere (cf. append. et p. 136 adn.).

Iam vero his fragmentis duobus Theophrasti *περὶ βίων* tertium addendum est. nam unum inter exempla *ἁγνοῦ βίου,* narratio de Phidonis filiabus pro pudicitia occumbentibus sub triginta tyrannis Atheniensibus, summa argumenti affinitate conectitur cum quodam exemplorum, quae monogamiam celebrantia c. 43 seqq. proponuntur, narratione p. 310 C de Nicerati coniuge triginta tyrannorum libidinem effugiente morte voluntaria. quae quamquam unius Hieronymi fide nititur (cf. Hirzel, *Arch. f. Relig.* XI, 1908, p. 90 adn. 2), tamen speciem eruditionis optimae prae se fert. Niceratum ipsum a triginta tyrannis necatum esse et domum eius cum miseratione maxima Atheniensium cecidisse scriptorum graecorum praeter alios ut Xenophontem (Ἑλλ. II 3, 39) praecipue tradit Diodorus XIV 5, 5 seq.: *ἀνεῖλον δὲ καὶ Νικήρατον τὸν Νικίου τοῦ στρατηγήσαντος ἐπὶ Συρακοσίους υἱόν, ἄνδρα πρὸς ἅπαντας ἐπιεικῆ καὶ φιλάνθρωπον, πλούτῳ δὲ καὶ δόξῃ σχεδὸν πρῶτον πάντων Ἀθηναίων· διὸ καὶ συνέβη πᾶσαν οἰκίαν συναλγῆσαι τῇ τἀνδρὸς τελευτῇ, τῆς διὰ τὴν ἐπιείκειαν μνήμης προαγούσης εἰς δάκρυα.* deinde de familia Nicerati post interitum ipsius persecutionem tyrannorum amplius perpessa cf. Lys. or. 18, 6 seqq. uxor autem eius, cuius mortem nemo sane nisi Hierony-

1) in colorem moralem huius fragmenti Theophrastei invehuntur Gruetzmacher, *Hier.* II p. 158, Geffcken, *N. Jahrb.* XXVII (1911) *Studien zur gr. Satire* p. 410, Wendland, *Einl. in die Altert.* I² p. 407; quorum tamen nemo *ἁγνὸν βίον* monuit proprie commendari a Theophrasto. ratio peculiaris Theophrasti moralis non tam cernitur correptis nuptiis, quam defensione vitae contemplativae litteris studiisque deditae; sic Zeller, *Die Phil.* II 2³ p. 809.

mus refert, memoratur in litteris Socraticis a Xenophonte *συμπ.* 2, 3, ubi novae nuptae venustas tangitur. haec igitur omnia ab auctore nobili Hieronymum suspensum esse indicant. accedit, quod Nicerati mentio nulla in litteris latinis praeter Hieronymum est; itaque ex graeco scriptore hanc accepit.

At Nicerati coniunx inter monogamiae locos Hieronymianos unicum exemplum originis Theophrasteae est. alia monogamiae exempla, velut p. 310 D seq. uxores Indorum una cum defuncto marito rogum conscendere certantes et p. 311 B concubinam Alcibiadis mori pro mortuo paratam tam a Theophrasto quam a Porphyrio Theophrastum Hieronymo suppeditante arceo. nimirum anceps ratio moralis est exemplorum monogamiae, quibus modo casta vita, modo fides coniugalis magis celebratur. Nicerati coniunx ideo praesertim mortem sibi conscivisse fertur, ne *triginta tyrannorum . . . libidinem sustineret*, quo metu eodem actae Phidonis filiae virgines vitam finiverunt. e contrario Alcibiadis concubina Indorumque uxores fidei coniugalis potissimum exempla sunt. praeterea alias causas c. VII 3 indicabo, cur haec exempla item ut alia pleraque monogamiae maluerim Senecae *de matrimonio* quam Porphyrio *περὶ ἁγνείας* tribuere. tantum una etiam narratiuncula de Stratonis uxore c. 45 p. 311 C dubito an ex Porphyrio potius quam ex Seneca descenderit (v. c. VII 3). sed Theophrastus ne illic quidem in censum venit.

nec vero contigit mihi ullum Theophrasti *περὶ βίων* vestigium indagare inter illa virginitatis exempla, quae ex gentilium superstitione c. 41 p. 306 D—307 C Hieronymus apposuit. quorum nonnulla Porphyrium redolent (cf. c. VI 2); sed utut de huius auctoritate illic decernes, cum Theophrasto iis nihil est.

VI DE TERTVLLIANO ET SENECA RHETORE

Tres in partes dispositum esse sermonem ethnicum Hieronymi de virginitate p. 141 seqq. monui exemplis ex superstitione, historia, philosophia gentilium petitis. quarum partium tertiam postquam singulorum exemplorum explicatione instituta ex Porphyrio deduxi, in alterius partis origine illustranda factum est, ut lineamenta et argumentum morale operis Porphyriani *περὶ ἁγνείας* large expanderem. atque harum quaestionum Porphyrio dicatarum quasi arx et caput id est, ut qui una cum Porphyrio compilatus est ab Hieronymo Senecae dialogus *de matrimonio*, eum pareat purum ab argumento *virginitatis* fuisse.

1

Verum haec ipsa sententia pluribus rationibus supra p. 177 seqq. a me fundata, iam prona ad ruinam videbitur aggredienti virginitatis exempla ex religione pagana petita c. 41 p. 306 D — 307 C. nam quae inter haec legitur fabula p. 307 B seq. de Claudia, virgine Vestali navem matris Idaeae ducente cingulo, ea desinit in fragmentum Senecae: *melius tamen, inquit Lucani poetae patruus, cum illa esset actum, si hoc quod evenit, ornamentum potius exploratae fuisset pudicitiae quam dubiae patrocinium.* apparet autem, si miracula virginitatis Seneca in dialogo *de matr.* agitaverit, argumentationi meae de Porphyrio auctore principali in loco ethnico virginitatis subtrahi rationem optimam.

nec non nativam quandam speciem genuinae originis Annaeanae verbum de Claudia adscriptum Senecae ab Hieronymo prae se fert. propter loquendi genus cf. Sen. *epist.* 104, 8 *bene cum quibusdam ageretur, si a se aberrarent.* apud Senecam patrem legitur *contr.* I 2, 1 *pudicitiae patrocinium.* praecipue autem consuetudo Senecae philosophi est addendi narratiunculis ab eo prolatis epimythia, existima-

tiones morales rerum narratiunculis propositarum. velut *de ira* III 14, 1 seqq. narrationem exhibet de Prexaspe Persarum duce Cambysen adulante regem, cum vinolentus rex arcum in filium eius intendisset corque fixisset; qua narratione absoluta corripit philosophus Prexaspem ibid. 3 *di illum male perdant, animo magis quam condicione mancipium.* item *de benef.* VI 32, 1 seqq. divum Augustum refert ob impudicitiam filiae atque flagitia principalis domus in publicum emissa affectum verecundia et dolore exclamavisse: '*horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa aut Maecenas vixisset*'; narratione peracta detrahit Seneca Augusto, Agrippae et Maecenati ibid. 4: *non est, quod existimemus Agrippam et Maecenatem solitos illi vera dicere; qui si vixissent, inter dissimulantes fuissent.* praeterea existimationes morales narratiunculis additas invenis *de benef.* II 17, 1 seqq. V 16, 5. VI, 31, 12. *de ira* III 17, 4. *de brev. vit.* (d. X) 5, 3. al.

verbum igitur de Claudia tributum Senecae ab Hieronymo in dialogo *de matr.* sedem sibi vindicat. sed Haase frg. Sen. 80 falsus est, qui ambitum huius fragmenti finibus nimis latis circumscripsit, si praeter eam sententiam, quam Hieronymus Senecae diserte addixit '*melius tamen*', *inquit Lucani poetae patruus* eqs., totum Claudiae exemplum p. 307 B *Claudia virgo Vestalis, cum in suspicionem venisset stupri* eqs. pro puro puto sermone Senecae vendidit. nimirum etiamsi clarum sit, Claudiae, in quam increpat Seneca, fabulam infuisse eius dialogo, illud tamen minus certum est, utrum plane congruerit cum textu Hieronymi, an contaminando memoriam Annaeanam fabellae scriptor ecclesiasticus fucaverit. certe equidem orationem, quam sub nomine expresso Senecae affert, eam interim a reliqua parte exempli distinguo.

quod quo iure faciam, intelleges, si eius rei memineris, quam obiter supra p. 187 iam memoravi, fabulam Claudiae a Cicerone aliisque scriptoribus romanis non de Claudia virgine Vestali, sed de Claudia m a t r o n a narrari. atque illic id quoque monui, cum virginum Vestalium propria virtus *castitas* Latinis fuerit, non de *castitate,* sed de *pudicitia* Claudiae Senecam in Hieronymo locutum esse. cuius termini usus, quoniam ubique in sermone morali separavit Seneca anxie *pudicitiam* a *castitate,* vix aliter declarari potest, nisi sic, ut Seneca perinde ac Cicero Claudiam pro matrona habuerit. quod vero Hieronymus in ea quoque parte exempli Claudiani, quam non ret-

tulit diserte ad Senecam, phrasin adhibet *ad comprobandam pudicitiam* eqs., hunc quoque usum vocabuli *pudicitiae* Senecae acceptum refero; illa tantum verba Hieronymiana *virgo Vestalis cum in suspicionem venisset stupri* aliena fuisse a Seneca, si modo cum Cicerone aliisque scriptoribus vetustioribus de matrona Claudia fabulam narravit, oportebit sumere.

feliciter autem accidit, ut variis illis et multis testibus veteribus fabulae Claudianae inter se comparatis Seneca ab omni suspicione Vestalis celebratae purgetur. testimonia antiqua de Cybele Romam advecta collegerunt praesertim Preller-Iordan, *Röm. Mythol.* t. II[3] p. 54 seqq., Wissowa, *Relig. u. Kultus d. Römer*[2] p. 317 seq., E. Schmidt, *Relig. Vers. u. Vorarb.* t. VIII fasc. 2 (1909) *Kultübertragungen* p. 1 adn. 1. quorum testimoniorum ad Claudiae fabulam pertinent Cic. *har. resp.* 27. *pro Cael.* 34. Prop. IV 11, 51 seq. Liv. XXIX 14, 10 seqq. Ov. *fast.* IV 295 seqq. *Pont.* I 2, 143 seq. Plin. *nat.* VII 120. Stat. *silv.* I 2, 245 seq. Sil. XVII 16 seqq. Suet. *Tib.* 2. Solin. I 126 p. 30 M. Auct. *vir. ill.* 46 p. 51 Pichlmayr. Macrob. *sat.* II 5, 4. Claudian. *carm. min.* 30, 17 seqq. p. 320 Birt. ibid 28 seqq. Sidon. *carm.* 24, 41 seqq. Min. Fel. *Oct.* 7, 3. Tert. *apol.* 22. Lact. *div. inst.* II 7, 12 p. 126, 13 seqq. Vind. Aug. *civ.* X 16 p. 474, 15 seqq. Vind. Diodor. XXXIV 33, 2. Appian. *'Αννιβ.* 56 p. 191, 4 seqq. Mendelssohn. Cass. Dio frg. 57, 61 p. 258 Boissevain. Herodian. I 11 p. 24 Mendelssohn. — hos igitur locos secundum varietatem fabulae Claudianae in ordines discribi desiderabis; quod ad negotium perficiendum parvo tantum usui mihi fuerunt labores priorum in totam historiam Matris Magnae Romam arcessitae inquirentium, quia excursus ibi locum obtinet Claudiana fabula (cf. Schmidt l. l. p. 10). quam qui seorsum persecutus est Muenzer, *Realenc.* III 2899 sub v. *Cl. Quinta,* is etiamsi cautum applaudente me in eo se praestitit, quod ecclesiasticam Hieronymi recensionem de Vestali Claudia non tribuit simpliciter Senecae, tamen nec definivit accuratius, quas partes Seneca tenuisset in tradenda fabula, nec circumspexit, ex quibus fontibus Hieronymus Senecam contaminavisset.

Duo scriptores, Hieronymus et Lactantius, fabulam Claudiae, sive singulas phrases spectas sive totum conexum argumenti, conspirantes fere inter se referunt; quibus scriptoribus tertius accedit Appianus paullo propius distans a Lactantio quam ab Hieronymo:

Hier.:

Claudia virgo Vestalis cum in suspicionem venisset stupri et simulacrum matris Ideae in vado Tiberis haereret, ad comprobandam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse navem, quam multa hominum milia trahere nequiverant.

Lact.:

nam cum ex libris Sibyllinis Idea mater esset accita et in vado Tiberini fluminis navis qua vehebatur haesisset nec ulla vi commoveretur, Claudiam ferunt, quae semper inpudica esset habita ob nimios corporis cultus, deam submissis genibus orasse, ut si se castam iudicaret, suum cingulum sequeretur; ita navem, quae ab omni iuventute non valuit commoveri, ab una muliere esse commotam.

Appian.:

λέγεται δὲ τὴν ναῦν, ἣ ἔφερεν αὐτὸ (τὸ βρέτας), ἰλύι τοῦ ποταμοῦ τοῦ Τιβέριος ἐγσχεθεῖσαν οὐδεμιᾷ μηχανῇ σαλεύεσθαι, μέχρι, τῶν μάντεων προειπόντων ἕψεσθαι μόνως εἰ γυνὴ καθαρεύουσα ξένων ἀνδρῶν ἑλκύσειε, Κλαυδίαν Κόινταν, μοιχείας ἔγκλημα ἔχουσαν ἔτι ἄκριτον, καὶ δι' ἀσωτίαν ἐς αὐτὸ πιθανοτάτην οὖσαν, ἐπιθειάσαι τε πολλὰ περὶ τῆς ἀναμαρτησίας, καὶ ἀναδήσασθαι τῇ μίτρᾳ τὸ σκάφος. καὶ ἡ θεὸς ἕσπετο. Κλαυδία μὲν δὴ ἐξ αἰσχίστης δόξης ἐς ἀρίστην μετέβαλε, κτλ.

Hieronymi recensio, si initio eius obvium seponis stuprum Vestalis, epitome fere videtur narrationis Lactantianae. quibus rebus tribus constituitur narratio Hieronymi, navis in vado Tiberis haerens, cingulum, iuventus viribus coniunctis nitens superata a muliere, haec recurrunt in Lactantio. quarum rerum una vel altera legitur etiam in aliis testibus, nusquam omnes tres sic conectuntur ut in his duobus. velut componenda est locutio Hieronymi *in vado Tiberis haereret* cum locutionibus Ovidii *fast.* IV 300 *sedit . . . vado,* Silii XVII 25 *vadis . . . haesit,* Suetonii *obhaerentem Tiberino vado.* sed pro *cingulo,* quod vocabulum in transitu moneo aequaliter ad Vestalem atque ad matronam quadrare (cf. Bluemner, *Die r. Privatalt.* p. 351. Wissowa, *Relig. u. Kultus d. R.*[2] p. 509 adn. 5. Marquardt, *R. Staatsverw.* III[2] p. 340 adn. 4. Baumeister, *Denkm. d. kl. Altert.* III 2013), apud Ovidium v. 325 et Silium v. 41 *funis* est, Suetonius in brevi sua mentione fabulae omnino de ratione, qua Claudia navem moverit, nihil habet. nec vero illi auctores, qui conspirant in eo cum Hieronymo, ut Vestalem inferant, liber *de vir. ill.* et Herodianus, summa singularum similitudinum subducta, propius absunt ab Hieronymo quam Lactantius. quorum duorum auctorum Herodianum minus curo, cum nomen Vestalis taceat declinans in eo ab Hieronymo. liber vero *de vir. ill.*

num de navi in vado stante egerit, id dubium esse infra videbimus; quocirca interim istud extra rationem relinquo. *zona* autem in libro *de vir. ill.* sane partes *cinguli* suscipit, at idem liber robora iuventutis victa ab una muliercula non exaggerat rhetorice. nihilominus liber *de vir. ill.* inter omnes auctores, qui Claudiam virginem fuisse tradunt (praeter auctorem *de vir. ill.* et Herodianum Vestalem memorantes Iulianus Caesar Claudiam Cereris sacerdotem virginem habet, alii testes generaliter de virgine locuntur), proxime ab Hieronymo abest; unde illius libri recensionem exscribo, ut appareat, quantum distet vel hic testis tota narratione ab Hieronymo et Lactantio: *Mater deum a Pessinunte arcessita cum adversa Tiberi veheretur, repente in alto* (*in alveo* Gruter, alii; *in vado* Wijga; v. infra) *stetit. et cum moveri nullis viribus posset, ex libris cognitum castissimae demum feminae manu moveri posse. tum Claudia virgo Vestalis falso incesti suspecta deam oravit, ut si pudicam sciret, sequeretur, et zona imposita navem movit.*

quaeritur, postquam singularem intercedere consensum inter Hieronymum et Lactantium illustravi, quomodo is consensus explicandus sit. imitatio Lactantiana Hieronymi ut ponatur, id fieri nequit, quoniam constat de origine Annaeana exempli in Hieronymo; contaminationis tantum textus Senecae Hieronymianus suspectus est. Lactantium rursus ex dialogo Senecae *de matr.* hausisse vix tibi persuadebis, simulac Lactantium evolveris, cuique capiti *div. inst.* exemplum Claudiae insit, cognoveris. quod inibi pars disputationis est de dis paganis maiestatem ostendentibus prodigiis somniis auguriis oraculis, qualem disputationem apud christianos Lactantius nequaquam primus condidit offerens exemplorum messem largissimam. Minucius Felix *Oct.* 7 et Tertullianus *apol.* 22 idem argumentum similibus exemplis vel iisdem exstructum praebent, quorum ab utroque ne Claudia quidem abest (v. Min. Fel. *testis Mater Idaea, quae adventu suo et probavit matronae castitatem* eqs., Tert. *et navem cingulo promotam*). elucet igitur iam ante Lactantium miraculis deorum ab antiquariis et rhetoribus veterum congestis Claudiae exemplum accessisse, quod quam firmam sedem habuerit etiam in disputatione christiana de falsa maiestate daemonum praeter Min. Fel., Tert., Lact. etiam Augustinus ostendit in suo de miraculis daemonum sermone *civ.* X 16 *quod navem qua simulacrum Matris Phrygiae vehebatur, tantis hominum*

boumque conatibus inmobilem redditam una muliercula zona adligatam ad suae pudicitiae testimonium movit et traxit.

ergo consensus Hieronymi cum Lactantio sic declarandus est, ut Seneca et Lactantius ad idem narratiuncularum corpus redeant. fuisse autem in eiusmodi corporibus vetustis capita *de miraculis*, Valerii Maximi l. I caput VIII hoc titulo instructum documento est. quod multa exempla cum sermone Lactantiano de miraculis daemonum communia habet (cf. Brandtii *Auctorum* adnotationem ed. Lact. t. I p. 125 seqq.). qui vero de Seneca hauriente exempla ex collectionibus rhetoricis locutus est nec non tale corpus narratiuncularum aetatis Augusti restituendum esse proclamavit ex Seneca potissimum et Valerio Maximo A. Klotz, *Hermae* t. XLIV (1909) p. 198 seqq., is non incidit in Claudiam sibi utique memorandam. nam Livius, quem nonnulli putant Senecae suggessisse imprimis res patrias nullo medio auctore intercedente (cf. H. Schendel, *Quibus auct. rom. Sen. in rebus patriis usus sit,* diss. Gryph. 1908, p. 11 seqq. et 47), Claudiae mentionem inicit illius quidem, sed miraculum navis a muliere motae omnino praeterit XXIX 14, 12: *matronae primores civitatis, inter quas unius Claudiae Quintae insigne est nomen, accepere: cui dubia, ut traditur, antea fama clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit.*

de collectionibus narratiuncularum a Seneca in dialogo *de matr.* adhibitis c. VII pluribus locis mihi dicendum erit deque natura huius fontis scripturae Annaeanae nonnulla me expediturum esse spero. nulla tamen spes est copiam Senecae exemplorum posse revocari ad unum exemplorum corpus a quavis parte certius describendum. velut inter auctores talium corporum a Gellio X 18, 7 laudatus *Hyginus in exemplis* praeter ceteros sane appellandus est, quem etiam appellavit Klotzius l. l. p. 213 seq. et postea *Herm.* XLVIII (1913) p. 552 (cf. etiam *Berl. Phil. Woch.* XXXIV, 1914, p. 1131 seq.). nimirum Hygini a Seneca philosopho compilati indicia clara esse, maxime ea, quae Klotzius primus Hygini nomen adiciens auctoribus Senecae praetermisit, c. VII 3 adnotabo; nihilominus nulla via aut ratio est, qua ex copia diffluente exemplorum in Valerio Maximo, Seneca, aliis scriptoribus a Klotzio sive dictis sive neglectis corpus narratiuncularum circumscriptum finibus certis queat refingi. ex Senecae cum Valerio Maximo consensu nihil efficitur nisi generaliter pendere Senecam ab exemplorum litteris. recusans igitur viam a Klotzio praescriptam ingredi, Claudiae exemplum

Hygini operi non tribuo, cuius limites ut describerentur Klotzius suasit. immo primarium fontem exempli Claudiae in Senecam delapsi retegere inprimis nitor, quidque hac in re effecerim, accipe.

Primarium auctorem, ad quem tam Lactantiana quam Annaeana memoria fabulae Claudianae redeat, ut coniectando assequi liceat, id ope fit Appiani Hieronymo et Lactantio in tabella a me superadditi. Appianum enim, qui a nullo teste fabulae Claudianae propius abest quam a Lactantio, tamen suspensum esse ex eodem corpore narratiuncularum, unde Seneca et Lactantius pendent, non potest nisi absurde dici. de Appiano annales ante Livium scriptos in historia belli Punici secundi passim reddente cf. Ed. Schwartz, *Realenc.* II 218 seq. quid? nonne hinc suspicio nascitur, pervenisse in Appianum Claudiam ex iisdem annalibus, quorum memoria penetravit in corpus narratiuncularum usurpatum a Seneca? iam vero Appiani eorumque quos adhibuit annalium traditio comparatione cum Diodoro hauriente ex annalibus aliis peculiari luce suffunditur. Diodorus enim pro Claudia *Οὐαλερίαν* infert matronarum, quae Matrem Magnam exceperint, optimam. fluctuantis igitur inter Valeriam et Claudiam memoriae haud illepide sic rationem habuit Schmidt in quaestione illa de Cybele Romam translata l. l. p. 16 seq., ut ex Valerio Antiate Diodorum deduceret, suum gentile nomen laudibus Valeriae celebrante, Claudiae autem nominis auctoritatem omnem ex Claudio Quadrigario repeteret. atque totus color fabulae Claudianae aetatis Sullanae annales inventione rhetorica madentes fabulisque refertos variis sanequam redolet. quod vero Schmidt cunctanter tantum et paene refragatus sibi ipse ad Claudium Quadrigarium memoriam Claudiae revocavit, parum valuit intentus in totam historiam Matris Magnae Romam accitae excursus de Claudia propagationem propriam intellegere, neque Senecam cum Appiano et Lactantio componendum esse vidit duarum praecipue rerum observatione orbus idonearum maxime ad propagationem peculiarem fabulae Claudianae illustrandam: apud Appianum excursus Claudiae per *λέγεται* inducitur, *λέγεται* locis quinque occurrit in Appiani historia belli Punici secundi, quorum duobus Polybium subesse Appiano Schwartz l. l. p. 219 monuit. in fabula autem Claudiae per *λέγεται* illata Claudium Quadrigarium reddi audacter inde dico, quia Appiani *Συρ.* 10 p. 378, 22 quod colloquium per *λέγεται* inducitur Scipionis et Hannibalis litigantium

de virtute bellica Alexandri, Pyrrhi, sui ipsorum, id colloquium, consimile fabulae Claudianae narrandi genere fabuloso, compertum est ex Livio XXXV 14, 5 ascendere ad Claudium Quadrigarium. accedit Seneca dignissimus, ut consensum eius cum Appiano ex communi Quadrigarii usu explices; nam cum rarissima sit Livio excepto in litteris latinis ante aevum Hadriani memoria Quadrigarii, Seneca insignis est *de benef.* III 23, 2 seqq. narratiuncula Quadrigarii aliqua servata *Claudius Quadrigarius in duodevicensimo annalium tradit* eqs. hoc igitur exemplum ab omni parte comparo cum Claudiae exemplo reddendo dialogo *de matrimonio.* nam operis *de benef.* narratio ipsa quoque ex corpore quodam narratiuncularum fluxit, ut Niese, *Realenc.* III 2860 dudum vidit; quae narratio recurrit in magna copia exemplorum similium apud Macrobium *sat.* I 11, 23. nec non existimatio moralis talis, qualis miraculo Claudiae ex consuetudine Senecae apud Hieronymum additur (v. p. 222), Claudii Quadrigarii narratiunculae in opere *de beneficiis* subiungitur.

Supervacaneum est longius demonstrare, recensionem, quae ex tribus illis testibus, Appiano, Lactantio et Hieronymo via ac ratione restituitur, archetypam Quadrigarii fabulae Claudianae egisse de m a t r o n a Claudia adulterii suspecta, non egisse de stupro Vestalis. aut igitur Seneca aut Hieronymus vetustam mutavit fabulam Vestalem inferens. cum vero Hieronymus verba *virgo Vestalis cum in suspicionem venisset stupri* ne ipse quidem diserte Senecae addixerit, praeterea constet Hieronymum auctores suos sollemniter contaminavisse, optimo iure Senecae sinceram *annalium* Quadrigarii recensionem tribuo.

Superest ut statuam, quis auctor inter servatos fabulae Claudianae primus Vestalem intulerit.[1]) atque Ovidius num Vestalem Claudiam fu-

1) expeditum sane inde erat, ex matrona Claudia Vestalem facere, quia in litteris romanis etiam Vestalis quaedam Claudia dudum celebrabatur, quae fratrem (sive patrem) iniussu populi triumphantem ascenso simul curru ab intercessione tribunorum defendit (cf. Cic. *pro Cael.* 34. Val. Max. V 4, 6. Suet. *Tib.* 2); deinde Vestalis quaedam Claudia nobilis erat templo Bonae Deae in Aventino dedicato (cf. Ov. *fast.* V 155 seq. Wissowa, *Rel. u. K. d. R.*[2] p. 217. Marquardt, *R. Staatsverw.* III[2] p. 345). praeterea idcirco pronum erat, matronae miraculum in Vestalem transferre, quia vulgatum erat exemplum Vestalis experimento religionis sanctae, Tucciae aquam cribro gestantis (cf. Val. Max. VIII 1, 5. Plin. *nat.* XXVIII 12. Tert. *apol.* 22. Aug. *civ.* X 16 p. 474, 18 Vind.). — se convertisse ad fidem christianam Vestalem Claudiam Hieronymi aetate narrat Prudentius *perist.* II 527 seq.

isse putaverit incertum est, etsi ait Osann, *de Sen. scr. dep.* I p. 10 seqq. cum confidentia magna. qui quod versus in precatione feminae *fast.* IV 321 seq. *si tu damnas, meruisse fatebor: morte luam poenas iudice victa dea* sic commentatur: 'num haec ad matronam pertinent, ob laesam pudicitiam, nemine accusante, marito non postulante, mortis poena luendam?', in ius vocatam Appianus Claudiam profert *μοιχείας ἔγκλημα ἔχουσαν ἔτι ἄκριτον, καὶ δι' ἀσωτίαν ἐς αὐτὸ πιθανωτάτην οὖσαν*; praeterea ut Ovidium recte intellegas, aetas fabulae prisca Catonis est, cf. Catonis verba servata a Gellio X 23, 5 *in adulterio uxorem tuam si prehendisses, sine iudicio impune necares* (cf. Mommsen, *Röm. Strafrecht* p. 625). deinde qui dicunt Propertium propter versus IV 11, 51 seq. *vel tu quae tardam movisti fune Cybeben, Claudia, turritae rara ministra deae* Claudiam sic, ut postea Iulianus fecit, sacerdotem Cereris habuisse, poeticis detrahunt. *virginem* primus aperte Statius Claudiam vocavit *silv.* I 2, 245 seq. *non Claudia talis respexit populos mota iam virgo carina.* ergo Domitiani Caesaris temporibus fabula de Vestali exculta erat[1]); nec vero apud Silium quae leguntur verba Claudiam ad navem trahendam provocantia sacerdotis Idaeae loquentis media e puppe XVII 28 seq. *procul hinc quaecumque profanae, ferte gradus nec vos casto miscete labori* . . . et ibid. 31 *si qua illaesi sibi corporis astat conscia*, ea verba commode ad matronam trahuntur. iam vero sub Domitiano rumor maximus de castitate Vestalium in urbe erat, iudiciis tristissimis lex castitatis in Vestales a Caesare exercita est (cf. *mus. Rhen.* LXVI, 1911, p. 504); inde tunc Vestalis puto locum occupavit matronae in fabula Claudiae. cui sententiae favet id quoque, quod vita casta aetate Domitiani in urbe valde celebrabatur.[2])

1) imagine Claudiae navem trahentis exornatum ectypon musei Capitolini (cf. Baumeister, *Denkmäler d. kl. Altert.* 864 p. 800. Schmidt, *Kultübertr.* l. l. p. 2; 7 adn. 4), ubi Claudia Vestalis est, peritum neminem repperi aetati ante Domitianum tribuere, cf. Iordan, *Der Tempel der Vesta u. d. Haus d. Vestalinnen* (1886) p. 54. Helbig, *Führer* eqs.[2] Nr. 444. — Claudiae statuam in vestibulo templi Matris deum Vestalem repraesentavisse, te vetant dicere recte perpensi Val. Max. I 8, 11 et Tac. *ann.* IV 64; quamquam Borghesi, *Oeuvres* II p. 183 Vestalem aliquam in nummo effigiem huius statuae contenderat esse.

2) Domitiani temporibus virginali vita excellens Apollonius Tyanaeus (v. p. 184) miracula in urbe exhibuit. Epicteto quoque ex urbe a Domitiano expulso illustratur, quanta omnium attentione temporibus illis spectatus sit caelibatus. Epicteti sententias de bono coniugali (*διατρ.* III 22, 67 seqq., al.) asceticae rationis esse non vidit Bonhoeffer, *Die Ethik d. St. E.* p. 86, vidit Zeller, *Die Phil.* III 1[4] p. 780 adn. 1.

argumentum igitur principale Claudianae fabulae, pudicitia sacramento sancta (v. Hirzel, *Der Eid*, 1902, p. 200 adn. 2), tunc ad partes secundas depressum est; merum paene miraculum virginitatis factum est ex eo quod erat crimen adulterii experimento religionis repulsum. virginem capillo navem adverso Tiberi duxisse perhibent Claudianus *carm. min.* 30, 17 seq. et Sidonius *carm.* 24, 43.[1]) eum denique ad cumulum superstitionis vanae pervenit fabula, ut vadum Tiberis, in quo navis Matris Idaeae haesisset, commemorari desineret, sed nutu deae gentibus numen suum probare dignantis navis in alto stetisse diceretur. nimirum istum superstitionis gradum Iulianus praestat *or.* 5 *εἰς τ. μ. τ. ϑ.* p. 160 A seq. *ἡ δὲ ὥσπερ ἐνδείξασϑαι τῷ Ῥωμαίων ἐϑέλουσα δήμῳ, ὅτι μὴ ξόανον ἄγουσιν ἀπὸ τῆς Φρυγίας ἄψυχον, ... ἐπειδὴ τοῦ Τύβριδος ἥψατο, τὴν ναῦν ἵστησιν ὥσπερ ῥιζωϑεῖσαν ἐξαίφνης κατὰ τοῦ Τύβριδος. εἷλκον δὴ οὖν πρὸς ἀντίον τὸν ῥοῦν, ἡ δὲ οὐχ εἵπετο.* nec non eadem superstitio in libro *de vir. ill.* agnoscenda est, ubi *in alto* quod traditur, frustra inquietatur ab editoribus *in vado* sim. proponentibus.

In praeconium virginitatis mutata fabula Claudiae Hieronymo de virginitate disserenti ex variis fontibus affluere poterat. duo tamen auctores praecipue in censum veniunt, unde ei textum Senecae contaminare licuerit. quorum alter Porphyrius est, cuius auctoritatem hac quoque in re apud Hieronymum valuisse, ut sumas, suadent quaedam, ne facias, deterrent alia. ex Iuliano discitur, virginem Claudiam in litteris neoplatonicis locum obtinuisse. neoplatonici quanto studio mirabilia collegerint, intellegitur ex Gregorii Nazianzeni *or.* V (*κατὰ Ἰουλ.* II) 5 p. 150 Ben. (cf. Geffcken, *N. Jahrb.* XXI, 1908, p. 183). sed Cereris sacerdos, ac non Vestae Claudia in Iuliano est. rursus tamen a Porphyrio oratio Iuliani de Matre Magna non pendet (cf. p. 82 seq.). certi igitur nil efficitur.

est vero etiam alter fons, ex quo dubitandum sit an contaminatio textus Annaeani ortum repetat. Claudiae enim Vestalis exemplum apud Hieronymum pars ultima est amplioris alicuius sermonis p. 307 A seq. de Vestalibus, earum vitae more et dignitatibus. inde

---

1) capilli inventionem declarare Schmidt l. l. p. 7 adn. 2 volebat ex versu Ovidiano 318 *hos edit crine iacente sonos* a posteris male intellecto. at in fabula de Herculis simulacro Erythras advecto (cf. Pausan. VII 5, 5 seqq.) rursus capilli muliebris usus est; v. Vsener, *Die Sintfluthsagen* (1899) p. 134 seq.

vide ne, qui istum sermonem Hieronymo suppeditaverit, eidem fonti Claudiae quoque Vestalis mentio infuerit. at nihil adhuc expertum est de origine illius. quem quod ad Porphyrium revocem, equidem non habeo, nec vero inter Senecae fragmenta Haase eum recepit. quamquam sunt qui eum Senecae tribuerint Bock l. l. p. 12 seq. et Grossgerge l. l. p. 21. atque hi, quantumvis insubidis usi sint rationibus, quas referre piget, tamen ne cui imponant, cavebit quaestio, qua Claudiae exemplo absoluto reliqua virginitatis tractabo exempla ex superstitione gentilium tracta.

2

Eo autem ordine reliquum ex superstitione pagana petitum sermonem de virginitate p. 306 D seqq. expediam, ut utrumque eorum fontium persequar, qui in fabula Claudiae ad declarandam contaminationem textus Annaeani idonei sunt. primum breviter examinabo, num etiam aliud quid in hac parte sermonis Hieronymiani Porphyrium redoleat. deinde quaestionem exordiar de auctoritate vetustiorum litterarum christianarum in eruditione saeculari Hieronymi. his nimirum ex litteris locum de Vestalibus deducere animus est.

duae autem res in sermone de superstitione pagana etiamnunc Porphyrium sapiunt. Leocorii fabulam una cum Iphigenia p. 306 D occurrentem post Atalanten, Harpalycen, Camillam virgines Ovidianam et Vergilianas (v. p. 141), magna cum fiducia gazis Porphyrii addo. exilis enim in latinis litteris Leocorii memoria est, quod praeter Hieronymum Latinorum unus Cicero commemorat *nat. deor.* IV 50 *in plerisque civitatibus intellegi potest augendae virtutis gratia, quo libentius rei p. causa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. ob eam enim . . . causam . . . Leonaticum* (cf. Plasberg ed. p. 369 ad. l.) *est delubrum Athenis quod Λεωκόριον nominatur.* nulla autem cognatione propria iungitur cum hoc Ciceronis loco Hieronymus: *Chalcooecos quoque illa filia Leo, virgo perpetua, pestilentiam patriae scribitur spontanea morte solvisse.* contra ea quae apud Graecos plurima et varia est memoria Leoidum collecta et digesta a Wachsmuth, *Die Stadt Athen im Alt.* II 1 (1890) p. 413 seqq., peculiariter ex parte saltem cum Hieronymo coniungitur. tribus autem

rebus Leocorii memoria Hieronymiana insignis est[1]): primum cum graeci testes in duas partes discedant, altera pars, Pausanias I 5, 2, Aelianus *ποικ. ἱστ.* XII 28, alii, memoriam repraesentantes recentiorem, a Leo patre filias immolatas esse perhibeant, altera pars, Ps.-Demosthenes LX 29 et Diodorus XVII 15, 2 spontaneum filiarum excessum e vita fuisse dicant (cf. Hirzel, *Archiv f. Rel.* XI, *Der Selbstmord* p. 96 adn. 2)[2]), Hieronymus unus ex testibus recentissimis vetustiore traditione utitur. secunda deinceps proprietas Hieronymi eo cernitur, quod ipse de una tantum virgine loquitur, cum trium memoria vulgaris veterum sit. at hac quoque in re assentatorem inter Graecos habet philosophum quidem platonicum, Aenean Gazaeum, qui p. 78 Boiss. (Paris. 1836), etsi immolatam esse virginem dicit, tamen unam fuisse vult. ac ne huius quidem memoriae ortus recens est; immo dummodo tibi persuaserit Vsener, *mus. Rhen.* LVIII (1903) *Dreiheit* p. 321 seqq., divos singulos in triades divorum passim apud Graecos abiisse saeculis quinto a. Chr. n. prioribus (velut Vsener p. 328 unum Aeacum mortuorum iudicem priscae traditioni tribuit, cum iudicum trias Aeaci, Minois, Rhadamanthi quinto demum saeculo increbuerit), deliberandum sane est, num Hieronymi et Aeneae Gazaei memoria primaria fuerit. tertia denique proprietas Hieronymi nomen *Chalcooeci*[3]) est nullo in teste

1) nolo inter proprietates Hieronymi referre, quod de *pestilentia* nec de *fame* Athenis grassante loquitur. variant Graeci inter *λιμός* et *λοιμός* (cf. Wachsmuth l. l.), sed ea varietas ut casui obnoxia parum idonea est ad discernenda traditionis genera.

2) Cicero utrum virgines se ipsas immolavisse, an immolatas esse a patre arbitretur, incertum est, etsi Wachsmuth l. l. p. 414 adn. 2 Ciceronem Ps.-Demostheni et Diodoro aggregavit. verbum Ciceronis modo a me exscriptum de consecratione virorum fortium ad ipsum Leon, pignora carissima saluti patriae impendentem, non ad filias eius imprimis refero. item Erectheus, quod exemplum una cum Leocorio Cicero eodem l. profert (*ob eam enim ipsam causam Erectheus Athenis filiaeque eius in numero deorum sunt*), immolavisse filias cum suae potius constantiae laude quam puellarum vulgo dicitur. verum ideo de Cicerone caute iudicium retineo, quia *mortem ... contempsisse* Erecthei filias rursus *pro Sest.* 48 dixit, neque infacete Hirzel l. l. p. 96 adn. 2 observavit, saeculis vertentibus mutatam esse in Erecthei fabula memoriam puellarum immolatarum in laudes fortiter occumbentium virginum.

3) vocalis *o* in composito *Chalcooecos* (sic *ES* *Calcooecos* ꞩ), cum graecum *Χαλκίοικος* sit, ex falsa affectatione graeci moris nata est, quo Latini recenti aevo dixerunt *aurocalcum* pro *auricalcum* sim., nisi forte apud Graecos quoque viguit vulgaris forma *Χαλκόοικος*. relegavit me *Chalcooecos* defendentem E. Fraenkel collega Kiliensis ad *Pilotaerus* i. e. *Φιλέταιρος* (cf. Schneider, *dial. lat. pr. exempla* 301).

nisi in ipso obvium; *Eubule*, *Praxithea* sive *Phrasithea*, *Theope* virgines ab aliis appellantur. cognomine *Chalcioeci* Minerva dea virgo apud Spartanos invocabatur (cf. Iessen, *Realenc.* III 2077. Br. Schroeder, *Berl. ph. Woch.* XXX, 1910, 1478 seq.); inde Leocorii numen virgineum antiquitus nomen idem tulisse facile credimus. quid ergo est? rarus remotusque ab usu sollemni litterarum posteriorum fons a Porphyrio, Hieronymi auctore in fabula Leocorii expressus est. hic tamen fons quis fuerit, hariolari nolo. utique Theophrasti opus *περὶ βίων*, cuius frustula ex Hieronymo sub calce capitis V excerpebam, hoc loco advocare periculosum est; respicio Phylarchum, quem Porphyrius *περὶ ἀπ. ἐμψ.* II 56 p. 181, 10 seqq. N. laudat paullo ante Erecthei fabulam illic allatam, quam fabulam multi Leocorii testes una cum Leocorio exhibent, ut Ps.-Demosthenes l. l. 27, Cicero, Diodorus, Pausanias ll. ll.; plurimum omnino Phylarchus versatus est in fabulis virginum et mulierum, cf. frg. 33. 48. 81. 82 M. (*FHG.* I p. 342 seqq.).[1])

Restat res altera duarum, quas etiamnunc in sermone de superstitione pagana Porphyrio tribuerim, Chrysis, Iunonis sacerdos, virgo dicta ab Hieronymo p. 307 A *Cassandram quoque et Chrysin vates Apollinis ac Iunonis virgines legimus.* atque Cassandra, cum Chryside hic copulata, in litteris romanis tam saepe occurrit, ut nefas sit velle exquirere, unde brevis ista commemoratio eius fluxerit.[2]) fortasse cum p. 306 C seq. *Harpalycen* et *Camillam* ex recordatione Vergilii posuerit, Cassandrae quoque Vergilianae ei in mentem venit; *virgo* vocatur Cassandra *Aen.* II 403, *vates* III 187 et V 636. e contrario Chrysidis, sacerdotis Iunoniae memoria, de qua Thucydides (II 2; IV 133) et Pausanias (II 17, 7; III 5, 6) large referunt, parva est in litteris latinis; Arnobius *adv. nat.* VI 23 p. 234, 10 seqq. Vind. et Hieronymus soli eius testes sunt. Arnobii verba *ubi Iuno regina, cum inclitum eius fanum sacerdotemque Chrysidem eadem vis flammae Argiva in civitate deleret?* exprimunt Clementem Alexandrinum *προτρ.* 4 (53, 2) p. 41, 9 seq. St. *τοῦτο τὸ πῦρ καὶ τὸν ἐν Ἄργει νεὼν σὺν καὶ*

1) copiam auctorum historicorum Porphyrii adumbrare huius loci non est; constat de eius generis studiis optimis Porphyrii. chronologia successorum Alexandri Magni hodieque nititur materia a Porphyrio congesta (cf. Ed. Schwartz, *Realenc.* VI 1379), magnum numerum historicorum a Porphyrio adhibitorum prodit Hieronymus *in Dan.* praef. t. V p. 621/2 Vall.

2) Cassandram cogitavit Hieronymus etiam *adv. Iovin.* I 1 p. 238 A *furiosas Apollinis vates legimus.*

τῇ ἱερείᾳ κατέφλεξεν Χρυσίδι[1]), ita ut Arnobius nullas molestias mihi paret referenti Hieronymum ad graecum auctorem. singulari autem eruditione graecus auctor Hieronymi excellebat, quia de castitate Chrysidis nullum nisi Hieronymianum testimonium est. cuius fidem addubitare dedecet. quae de castitate in cultu Iunonis servanda antiqui habent, ea excepta Chryside collegit Fehrle l. l. p. 108. Tertulliani diligentiae debentur testimonia duo, quibus Achaiae Iunonis apud Aegium oppidum sacerdotes virgines fuisse proditur, *ad ux.* I 6 et *exhort. cast.* 13; ab hac Tertulliani memoria pendet Hieronymus *epist.* 123, 8 p. 906 A. atque etiam in Argivae Iunonis cultu partes aliquas castitatis fuisse firmat Dionysius Halicarnassensis *Ῥωμ. ἀρχ.* I 21, 2 *ὁ τῆς Ἥρας νεὼς ἐν Φαλερίῳ κατεσκευασμένος ὡς ἐν Ἄργει, ἔνθα καὶ τῶν θυηπολιῶν ὁ τρόπος ὅμοιος ἦν καὶ γυναῖκες ἱεραὶ θεραπεύουσαι τὸ τέμενος ἥ τε λεγομένη κανηφόρος ἁγνὴ γάμων παῖς καταρχομένη τῶν θυμάτων χοροί τε παρθένων ὑμνουσῶν τὴν θεὸν ᾠδαῖς πατρίοις.*

3

Absoluto Porphyrio sequitur ut eruam, quas tandem ecclesiasticae litterae Hieronymo laudes virginitatis ethnicas suggesserint. imprimis sermonem illum p. 307 A seq. de Vestalibus, in quem incidi p. 230 deliberans, unde Claudiae exemplum Annaeanum contaminatum sit, revocaturus sum ad fontem ecclesiasticum. atque adeo omnes res ethnicas ex christianis in libro I *adv. Iovin.* deducendas iam sub unum conspectum colligam tractaturus quosdam monogamiae locos simul cum residuo sermone de virginitate. nimirum probabile id unicuique videbitur, Hieronymum in praeconiis ethnicis virginitatis et monogamiae occupatum, praeter quod ipsorum gentilium volumina evolvit, meminisse etiam earum rerum ethnicarum, quae ei ex studio christianorum vetustiorum notae fuerint. sic hoc c. VI semovebitur novissima pars eruditionis alienae, quae cum Annaeana in unum sermonem coacta est.

Primum inter virginitatis exempla ex superstitione gentilium ducta p. 307 C Virginem zodiaci ex recordatione christianorum Hieronymus posuit. ordinavit autem exempla superstitionis hoc modo, ut

1) cf. Alex. Roehricht, *de Clem. Alex. Arnobii in irridendo gentil. cultu deorum auctore* (diss. Kil. 1892) p. 32. — v. etiam supra p. 91.

a virginibus immolatis Chalcooeco et Iphigenia ad sacerdotia virginum, Sibyllas et Vestales, hinc ad ipsas deas procederet virginitate insignes, Minervam, Dianam, zodiaci Virginem. nec vero accommodavit Hieronymus caelestem Virginem superstitionis paganae consilio sermonis sui nisi increpans simul in astra reliqua zodiaci, monstra taetra: *magna iniuria nuptiarum, ut ne inter scorpios quidem et centauros et cancros et pisces et aegocerotas uxorem maritumque contruserint.* eiusmodi irrisionem gentilium astra colentium Tertullianus exhibet *ad nat.* II 15 p. 127, 15: *etiam canes et scorpios et cancros in caelum transtulistis.* graeci quoque conferri debent: Greg. Naz. *or.* V (*κατὰ Ἰουλ.* II) 5 p. 150 Maur.: *λέγε μοι καὶ σὺ τοὺς σοὺς ἀστέρας, τὸν Ἀριάδνης στέφανον . . .· εἰ δὲ βούλει, τὸν Ὀφιοῦχόν σου καὶ τὸν Αἰγόκερω καὶ τὸν Λέοντα ἄλλους τε ὅσους ἐπὶ τῷ κακῷ γνωρίσας, ἢ θεοὺς ἢ ἀστέρας ἐποίησας.* Cyr. Al. *κατὰ Ἰουλ.* VII 242 t. 76 p. 869/70 B Migne: *οἵ γάρ τοι τὰς τῶν ἀστέρων πολυπραγμονήσαντες θέσεις, καθάπερ οὖν οἴονται καὶ τολμῶσι λέγειν, αἰγόκερών τινα καὶ ἰχθῦς γράφουσιν ἐν οὐρανῷ καὶ τὰ ἕτερα τῶν ζώων, ἃ βδελυρά τέ ἐστι παρ' αὐτοῖς, καὶ τὴν ἐπὶ ταῖς ἐσχάταις ἀκαθαρσίαις κατάῤῥησιν ἔχει.* locum igitur communem Hieronymus sequitur, nec non id latet, ad quem vetustiorum christianorum in eo se applicaverit, ut Virginem ex reliquis astris zodiaci irrisis apud christianos vulgo exciperet. certe latini praeter Hieronymum ne de Virgine quidem aliter nisi infestantes locuntur (cf. Min. Fel. *Oct.* 23, 7 *Erigone suspensa de laqueo est, ut Virgo inter astra ignita sit.* Tert. *ad nat.* II 15 p. 127, 14. Aug. *civ.* II 4 p. 63, 24. Salv. *gub.* VII 11 p. 195, 12). in Africa praesertim propter cultum illic florentem *Virginis* (cf. Domaszewski, *Abhandl. z. r. Rel.*, 1909, p. 148 seqq. *XV Virgo caelestis.* Boll, *Aus d. Offenb. Ioh., ΣΤΟΙΧΕΙΑ* I, 1914, p. 111) christianos ne minima quidem laus decuit Virginis. contra in oriente Gregorius Nazianzenus sine acerbitate memoravit Astraeam *ὑποθ. παρθ.* v. 484 seq. p. 366 Maur. *παρθενικὴ δ' ἀπὸ σεῖο φυγὰς πρὸς Χριστὸν ἀνέλθοι, ὥστε Δίκη τοπάροιθε, βοὸς κταμένου ἀροτῆρος.*

Definitius quam de Virgine iudicium potest fieri de Sibyllis p. 306 D seq. ab Hieronymo propositis, ubi imitatio Latinorum sola in censum venit, atque Lactantium ab Hieronymo exprimi veri simile est. ad Varronem enim Hieronymus ipse profitetur suum de Sibyllis sermonem ascendere. Varroniano autem indice Sibyllarum servato Lac-

tantius illustris est. neque quisquam testium, qui sunt complures indicis Varroniani post Lactantium, Varronem ipsum inspexit (cf. Maass, *de Sib. ind.*, diss. Gryph. 1879, p. 38), quem fortasse ne Lactantius quidem aliter adhibuit nisi intercedente Suetonio (cf. Schmekel, *Isidorus von Sevilla*, 1914, p. 205 seqq.).[1])

Hier. c. 41 p. 306 D seq.:

quid referam Sybillas[2]), Erythream atque Cumanam et octo reliquas? nam Varro decem fuisse autumat, quarum insigne virginitas est et virginitatis praemium divinatio. quod si Aeolico genere sermonis Sybilla theobule[3]) appellatur, recte consilium dei sola scribitur nosse virginitas.

Lact. div. inst. I 6,7 seqq. p. 20, 9 seqq.:

M. Varro ... Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllae .... σιούς enim deos, non θεούς, et consilium non βουλήν, sed βοῦλλαν appellabant Aeolico genere sermonis. itaque Sibyllam dictam esse quasi θεοβούλην. ceterum Sibyllas decem numero fuisse.... ... quintam Erythraeam ...; ... septimam Cumanam ...

Diverso ordine Hieronymi sententiae Varronianae de Sibyllis proferuntur atque is ordo est, quem Lactantii fragmentum Varronianum sequitur. nec Varro apud Lactantium aut Lactantius ipse perinde atque Hieronymus vaticinandi virtutem Sibyllarum deducunt ex virginitate. denique ne coniunxit quidem Lactantius Sibyllam Erythraeam et Cumanam in unam lectionem.

verum tamen haec nihil obstant, quin Maassio atque etiam editori Lactantii Brandtio t. I p. 20 Hieronymum referenti inter expilatores Lactantii assentiamur.[4]) potuit nimirum vel Lactantium imitatus com-

1) in sagacissima quaestione de indice Sibyllarum Schmekel tamen Lactantii editione Vindobonensi usus non est; unde multa inexpedita certe in Lactantio reliquit.

2) in *Sybilla* scriptura mala codd. antiquissimi *ES* utroque loco, ubi *Sibylla* legitur, sibi constant. fortasse iam Hieronymi librarii Bethleemitici peccarunt in transponendis vocalibus. c. 1 p. 238 A *E* habet *Sybullam*. ceterum non me fugit Brandtii adnotatio ed. Lact. t. I p. 20 de vocalibus *i* et *y* in hac voce passim sine ratione commutatis. Lactantium, quem compilavit Hieronymus, ipsum *Sibylla* sive *Sibulla* voluisse, certum est propter vocabula σιός et βοῦλλα ad etymologiam nominis a Varrone adhibita. verum quid in suo Lactantii exemplari legerit Hieronymus, incertius est; pars enim codd. Lactantii errat etiam in σνούς pro σιούς scripto.

3) *theobule* latina litteratura scripta ut in aliis codicibus Hieronymi, sic in *ES*, qui graeca fere semper servarunt (cf. p. 115), firmatur, a latino auctore eum pendere. licet enim Lactantius ipse graece θεοβούλην — sive quod proposuit Brandt θεοῦ βουλήν — dederit, tamen exemplari Hieronymiano Lactantii latina litteratura tribuenda est plerorumque codicum Lactantii.

4) ut Sibyllarum fragmentum etiam Varronis fragmenta Hieronymiana *in Gal.* lib. II praef. t. VII p. 425/6 seqq. Vall. (cf. Luebeck, *Hier.* eqs. p. 123 seqq.)

moveri Hieronymus, ut Erythraeae et Cumanae Sibyllae praecipuum locum ante reliquas concederet, quia Lactantius post Varronis catalogum Sibyllarum exscriptum primum I 6, 13 de Cumaea, deinde ibid. 14 de Erythraea, *quae celebrior inter ceteras ac nobilior habetur,* denuo verba fecit. ceterum vulgo in latinis commemorationibus Sibyllarum frequentantur nomina Erythraeae i. e. primae Sibyllae et Cumanae i. e. Vergilianae; cf. Aug. *civ.* XVIII 23 p. 299, 12 *haec autem Sibylla sive Erythraea sive, ut quidam magis credunt, Cumaea.* Mart. Cap. II 159 *Sibylla vel Erythrea quaeque Cumaea est.*

deinde quod in Lactantio virginitas Sibyllarum desideratur, ne alii quidem christiani praeter Hieronymum hanc efferunt. velut Tertullianus, qui a virginibus sacerdotium Apollinis exerceri identidem clamat *monog.* 17, *exhort. cast.* 13, *ad ux.* I 6, tamen Sibyllas ubi vocat *apol.* 19 et *ad nat.* II 12 p. 120, 10 seqq., virginitatem praeterit.[1]) quam item tacet Augustinus *civ.* XVIII 23. contra in saecularibus litteris sollemniter Sibylla virgo fuisse traditur, cum Apolline initae ab ea nuptiae mysticae notae sunt (cf. Pausan. X 12, 2), hincque perhibetur accepisse divinandi virtutem (cf. Fehrle l. l. p. 9). quae opinio cum in Vergilio quoque vigeat (cf. Norden, *Verg. Aen. VI,* 1903, p. 144), in scholam apud Romanos abiit, nihilque attinet certum auctorem Hieronymi in hac re appellare.

Lactantii vestigia nulla alia repperi; sed cuius imitationem iam uno loco p. 78 posui, Tertullianus nunc funditus persequendus est. omnem autem eruditionem saecularem converrere temptanti, quam Hieronymus in l. I *adv. Iovin.* huic debeat, primum aliquando etiam

non ex ipso Varrone, sed ex Lactantio hausta puto. offert se enim deperditarum Lactantii *epistularum ad Probum* liber III citatus illic ab Hieronymo (frg. 1 Brandt), cui infuisse longa excerpta Varroniana, quae fuit eruditio *epistularum ad Probum* (cf. Bardenhewer, *Gesch. d. altk. Lit.* II 491), optimo iure sumitur. ne Reitzenstein quidem *Herm.* XX (1885) p. 543 ex ipso Varrone fragmenta commentarii *in Gal.* sumpta esse ab Hieronymo voluit. at quibus lectionibus Hieronymianis illic fragmenta Varronis auxit Reitzenstein, Plinium cum Hieronymo conferens, eodem Plinio collato lectiones easdem iam Varroni tribuerat ante illum Luebeck l. l. — denique adnoto Brandtium intendere, ne Lactantium quidem ullo loco inspexisse ipsum Varronem *Wiener Studien* XIII (1891) *Über die Quellen v. L. Schr. de op. dei* p. 268 adn. 4.

1) cum Tertulliano de Sibyllis ll. ll. loquente nil commune est Hieronymo. Tertullianus rem, quam ille neglexit, agitat: veram Sibyllam unam christianam esse, ad cuius exemplar paganae fictae sint.

mihi recurrendum est ad eum locum p. 307 A, quem propter Chrysidis, Argivae sacerdotis Iunoniae, mentionem ex Porphyrio explicandam modo p. 233 strinxi. Chrysis enim illic intexta in ea sententia legitur, quae, si tota spectatur, imitationem Tertullianeam sapiat haud mediocriter:

Hier. c. 41 p. 307 A:	*Tert. de monog. 17:*	*Tert. de exh. cast. 13:*
Cassandram quoque et Chrysin vates Apollinis ac Iunonis virgines legimus. et sacerdotes Dianae Tauricae et Vestae innumerabiles exstiterunt.	sunt et quae de tota continentia iudicent nos, virgines Vestae et Iunonis Achaicae et Dianae Scythicae et Apollinis Pythii.	novimus virgines Vestae et Iunonis apud Achaiae oppidum et Apollinis apud Delphos et Minervae et Dianae quibusdam locis.

Mirum est, quantopere Hieronymus memores nos reddat Tertulliani hoc loco, idem a Tertulliano, certe a Tertulliani libro *de monog.* rursus nos avocet. nam enumeratione deorum quattuor a virginibus colendorum, Apollinis, Iunonis, Dianae, Vestae adeo cum Hieronymo Tertullianus congruit, ut nullus alius auctor antiquus eum aequet. certe de Iunonis ministris virginibus praeter Tertullianum, Hieronymum, Dionysium Halicarnassensem nullus testis inter veteres est (v. Fehrle l. l. p. 108), ne dubites singulariter consentire Tertullianum cum Hieronymo. deinde alii christiani abhorrent a Tertulliano et Hieronymo sacerdotia pagana virginum dicentes ut Ambrosius *virg.* I 4, 15 t. 16, 193 A Migne *quis mihi praetendit Vestae virgines et Palladis sacerdotes?* nec minus Zeno I 5, 6. accedit quod certo probatus est usus operis Tertullianei *de monog.* in christianis partibus l. I *adv. Iovin.*, unde eiusdem operis imitationem in saeculari quoque parte eius ponere pronum est.

verum implicata res est. atque etsi in praesentia non curo, quod Chryside illa ex Porphyrio a me deducta contaminata est memoria Tertulliani, tamen restant quae impediant, ne ad libri *de monog.* locum certum Hieronymum referas. quid? nonne ex libro *de exhort. cast.* numina eadem quattuor Vestae, Iunonis, Apollinis, Dianae Hieronymus aeque atque ex libro *de monog.* petere potuit? quis colores loci *de monog.* propius quam loci *de exhort. cast.* ab Hieronymo abesse confidet? turbas insuper Iuno *Achaica* a Tertulliano dicta excitat, quam Hieronymus *epist.* 123, 8 p. 906 A ab illo sumpsit de Iunone *Achiva* loquens; nec paret, cur in libro *adv. Iovin.* Argivae sacerdoti ex Por-

phyrio tractae Chrysidi *Achaicam* Iunonem a virginibus cultam addere supersederit.

ne multa, imitatio Tertulliani persequentis in diversis libris deos paganos a virginibus cultos summa cum probabilitate Hieronymo tribuitur, unum librum *de monog.* imitatum eum esse minus certum est. immo eadem ratio inter librum *de monog.* et Hieronymum intercedit hoc loco, quae inter adnotationes de Fortuna muliebri, flamine, flaminica monogamis ab Hieronymo sub calce l. I p. 320 C, a Tertulliano *de monog.* 17 prolatis interest. atque illa de similitudine Hieronymi et Tertulliani quaestionem instituens p. 79 provocabam ad perditum opus Tertulliani de angustiis nuptiarum *ad amicum philosophum*, citatum in christiana parte l. I *adv. Iovin.* c. 13 p. 260 B. nam cum constet, Tertullianum eadem exempla ethnica in unoquoque fere suorum operum de nuptiis et castitate adhibuisse, amissum opus nuptiale *ad am. phil.*, quod lectitavisse se Hieronymus illo operis *adv. Iovin.* loco atque *epist.* 22, 22, 3 narrat, cuiusque memoria omnis ab Hieronymo pendet, in quaestionibus de sermone ethnico operis *adv. Iovin.* suum locum tuetur.

Sunt vero etiam duo exempla alia Hieronymi, quae cum Tertulliani imitationem produnt, tum integra ex Tertulliani libris servatis explicari nequeunt; unde horum quoque locorum causa liber perditus Tertulliani *ad am. phil.* arcessendus est. monogamiae exempla incipiunt c. 43 p. 310 A a Didone, quae in memoriam Sychaei, mariti fato quondam abrepti, conscendere pyram maluerit quam cum Hiarba rege Libyae secundum matrimonium inire. Didoni autem ibid. p. 310 B adnectitur Hasdrubalis uxor, altera femina Carthaginiensis, quae expugnata a Romanis Carthagine mortem voluntariam cum filiis obitura ab arce urbis in incendium se praecipitavit. atque haec duo exempla historiae Carthaginiensis Tertullianus Carthaginiensis ecclesiae presbyter tamquam in rebus domesticis numerans sic frequentavit, ut Didonem quinquies, *de monog.* 17, *de exhort. cast.* 13, *apol.* 50, *ad nat.* I 18 p. 90, 7, *ad mart.* 4 sive longiore enarratione sive verbo brevi protulerit, uxorem Hasdrubalis tribus locis, *ad mart.* 4, *ad nat.* I 18 p. 90, 6 et II 9 p. 112, 6. nec non perinde atque in Hieronymo sese excipiunt Dido et uxor Hasdrubalis, eadem exempla coniuncta leguntur apud Tertullianum *ad mart.* 4 et *ad nat.* I 18. componam autem in tabula Tertullianum cum Hieronymo; recipiam tamen

tantum eos locos Tertulliani, qui locutionibus similibus Hieronymo imprimis propinqui sunt.

Hier. c. 43 p. 310 A seqq.:

Dido, soror Pygmalionis, multo auri et argenti pondere congregato Africam navigavit ibique urbem Carthaginem condidit, et cum ab Hiarba, rege Libyae, in coniugium peteretur, paulisper distulit nuptias, donec conderet civitatem. nec multo post extructa in memoriam mariti quondam Sychei pira maluit ardere quam nubere. casta mulier Carthaginem condidit, et rursum eadem urbs in castitatis laude finita est. nam Hasdrubalis uxor, capta et incensa urbe, cum se cerneret a Romanis esse capiendam, adprehensis ex utroque latere parvulis filiis, in subiectum domus suae devolavit incendium.

Tert. de monog. 17:

exsurget regina Carthaginis et decernet in christianas, quae profuga et in alieno solo et tantae civitatis cum maxime formatrix, cum regis nuptias ultro optasse debuisset, ne tamen secundas eas experiretur, maluit e contrario uri quam nubere.

Tert. de exhort. cast. 13:

erunt nobis in testimonium et feminae quaedam saeculares ob univiratus obstinationem famam consecutae, aliqua Dido, quae profuga in alieno solo, ubi nuptias regis ultro optasse debuerat, ne tamen secundas experiretur, maluit e contrario uri quam nubere.

Tert. ad mart. 4:

. . . cum feminae quoque contempserint ignes, Dido, cum post virum dilectissimum nubere cogeretur, item Asdrubalis uxor, quae iam ardente Carthagine, ne maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filiis suis in incendium patriae devolavit.

Narratio de Didone multo locupletior in Hieronymo quam in Tertulliani *de monog.* et *de exhort. cast.* est, ita ut ex servatis scriptis Tertulliani — *apol.* 50 et *ad nat.* I 18 item atque *ad mart.* 4 brevissime tantum Dido commemoratur — Hieronymus non possit derivari.[1]) contra in narratione de uxore Hasdrubalis usum libri Tertullianei *ad mart.* primo obtutu cogitare possumus. meam tamen sententiam, qua exempla ambo illa Carthaginiensia in Tertulliani amisso opere *ad am. phil.* locum obtinuerint, antequam defendam, teneas velim, magna cum probabilitate communem utriusque originem exempli Hieronymiani sumi. nam Didonem et Hasdrubalis uxorem, nedum primus copulaverit Hieronymus, ut composuisse ea exempla iam ipsum Tertullianum in duobus scriptis servatis *ad mart.* et *ad nat.* modo adnotavi, ita alii quoque scriptores in unum coegerunt Florus *epit.* II 15, 17 et Orosius

1) in ipsa similitudine dictionum *maluit ardere quam nubere* Hieronymi, *maluit . . . uri quam nubere* Tertulliani, differentiam esse monuit Corssen, *Texte u. Unters. z. Gesch. d. altchr. Lit.* XV 1 (1896) p. 95 adn. 1, qui *urendi* vocabuli usum Tertulliani explicabat tam ex Verg. *Aen.* IV 68 *uritur infelix Dido*, quam ex Vulg. *I Cor.* 7, 9 *melius est . . . nubere quam uri.*

hist. III 23, 4. sic vero pondus addam similitudinibus Tertullianeis Hieronymi ex tabella colligendis atque observationibus illis de Tertulliano imitatore sui, pellicientibus me ad arcessendum opus *ad am. phil.*, ut auctores gravissimos sapientiae ethnicae Hieronymianae, Senecam et Porphyrium parum idoneos esse demonstrem, quibus haec exempla tribuantur. deinde adiciam verbum de Livio, ex quo scriptore Grossgerge, *de Sen.* eqs. p. 22 seqq. Hieronymum haec exempla sumpsisse arbitratus est.

Inter Timaei Tauromenitani fragmenta Geffcken, *Timaios' Geogr. d. Westens* p. 48 et 163 Hieronymi narrationem de Didone rettulit, quam composuit cum p. 309 D memoria de filia Pythagorae ad Timaeum revocata ab ipso Hieronymo; quam quidem Timaei memoriam ex Porphyrio in Hieronymum venisse Geffckenum p. 184 seq. non praeteriit (v. p. 145). etsi autem ex diverso fonte medio Timaei narrationem de Didone atque Timaei memoriam de filia Pythagorae Hieronymum petivisse Geffcken voluit (praeter Porphyrium Ps.-Aristotelem 'de matrimonio' suggessisse Hieronymo fragmenta Timaei credidit), tamen ego, postquam de usu Porphyriano Hieronymi c. V luculenter egi, si subscriberem Geffckeni iudicio de Timaeo in Didonis fabula delapso ad Hieronymum, cogerer Porphyrio narratiunculam Didonis addere. nam ex vera et sincera Timaei auctoritate apud Hieronymum obvia supra p. 166 seqq. in quaestione de poena Locrensi iudicium Porphyrii usurpati ab Hieronymo feci.

at immerito Geffcken Hieronymo locum praecipuum in servanda traditione Timaei de Didone attribuit. nempe Hieronymum, cum recensionem a Vergilio abhorrentem fabulae Didonis exhibeat proque Didone lasciviente amore Aeneae Didonem narret cecidisse ob fidem coniugalem marito unico servatam, aequaliter atque Iustinum XVIII 4 seqq., Servium auctum *Aen.* I 340, Servium *Aen.* IV 36, alios antiquarios et historicos ad Timaeum, quae sunt partes Timaei notissimae in historia Didonis (cf. Rossbach, *Realenc.* V 426 seqq.), ascendere sane video; sed puriorem in opere *adv. Iovin.* Timaeum reddi quam in reliquis litteris a Timaeo suspensis praefracte nego. nam quod Geffcken l. l. p. 48 adn. 3, quam rem Hieronymus refert initio memoriae Didus *multo auri et argenti pondere congregato Africam navigavit*, eam confert cum verbis Timaei frg. 23 M. *ἐνθεμένη τὰ χρήματα εἰς σκάφος*, tamquam praecipua fides Hieronymi in exprimendo Timaeo

notanda sit, ista res vulgatissima omnino est in memoria vetere de Didone (cf. Iust. XVIII 4, 6 et 11; Appian. *Λιβ.* 1 p. 195 Mendelss.; Serv. *Aen.* I 363; Tac. *ann.* XVI 1 seqq.; Suet. *Nero* 31 seq.), ac ne desideratur quidem in Vergilio deflectente alioquin a Timaeo partibus quas Aeneae in fabula tribuit; v. *Aen.* I 362 seq. *naves ... corripiunt onerantque auro.* quin propria inventio Vergilii in Hieronymum inrepsit, siquidem is priorem Didonis maritum *Sychaeum* vocat; hoc enim nomen poeta sponte posuit teste Servio *Aen.* I 343 pro *Sicarbas,* quod nomen probabiliter ad Timaeum redit, cuius in fragmento 23 M. nullum nomen mariti prioris proditur; apud Iustinum *Acerbas* pro *Sicarbas* est. Livium quoque fictum a Vergilio vocabulum sprevisse et exhibuisse *Sicarbas* ex frg. 4 Weissenb. intellegitur; nimirum Livius inventa poetarum, amorem Didus et Aeneae, reliqua arcuit ab historia (cf. Heinze, *Virgils ep. Technik*[2] p. 115. Rossbach l. l. p. 430). recensio igitur Hieronymiana fabulae Didonis vulgata recensio historicorum est, eadem tamen fucata nominibus Vergilianis. nempe quod *Hiarbas* rex Libyae in optimis libris Hieronymi *ES* scribitur, *Hiarbas* pro *Iarbas* varia lectio in memoria manuscripta Vergiliana occurrit *Aen.* IV 196, al.

ergo sincera Timaei memoria cum nulla Hieronymo insit, cur Porphyrium compilatum esse ab Hieronymo in fabula Didonis suspicer, nihil est. narratiuncula autem de uxore Hasdrubalis, quam una cum Didone ex Tertulliano repeto, nullius omnino rationis specie cum Porphyrio iungitur.

Verum hanc de uxore Hasdrubalis narrationem vereor ne quis prohibere me immerito a Senecae fragmentis arguerit. quae iam aetate Senecae in collectanea rhetorum abierat: a Valerio Maximo III 2 ext. 8 haud dissimiliter atque in Hieronymo proponitur, auctore tot locis consentiente cum servatis scriptis Senecae, nec non apud Florum recurrit *epit.* II 15, 17, cuius scriptoris similitudines Annaeanae a Rossbachio ed. Flor. praef. p. LIII seqq. indagatae, quamvis explicatio earum — mihi nunc non tangenda — anceps sit, neminem fugere possunt.

nihilominus Senecae fragmentis locum non addo spretum ab Haase quoque. primum similitudo loquelae maior intercedit inter Tertullianum et Hieronymum quam inter hunc et Valerium Maximum, Florum reliquosque testes. pro locutione quae Tertulliano cum Hieronymo communis est *in incendium devolavit* Val. Max. habet *incendio se ... obiecit,*

Florus *se . . . in medium misit incendium,* Livius *perioch.* 51 *in medium se . . . incendium . . . praecipitavit,* Orosius *hist.* IV 23, 4 *se . . . in medium iecit incendium,* Appianus *Λιβ.* 131 p. 319 Mend. *ἐς τὸ πῦρ . . . ἑαυτὴν ἐπέρριψεν,* Zonaras IX 30 p. 469 b *εἰς τὸ πῦρ καὶ ἑαυτὴν προσεπέρριψεν.* Florus recedit insuper in eo ab Hieronymo, quod *a culmine domus* feminam se misisse in incendium perhibet imitatus videlicet Didonis intereuntis fabulam, cf. Tim. frg. 23 *ἀπὸ τοῦ δώματος αὑτὴν εἰς τὴν πυρὰν ἔρριψεν.* contra Hieronymi verba recte spectant mulierem ex arce se in urbem subiectam praecipitantem. praeterea idcirco a Seneca afuisse hoc exemplum arbitror, quia nulla ratio coniugalis aetate illius ei commodatur a rhetoribus. quod Valerius Maximus in capite *de fortitudine* collocavit; a Floro hac exclamatione uxor Hasdrubalis inducitur *quanto fortius femina et uxor ducis!* quod vero Hieronymus *castitatis laudem* meruisse feminam morte sua vult, quo iure id senserit docet maxime alter locus, ubi idem exemplum protulit *epist.* 123, 8 p. 906 A seq. *in subiectum se praecipitavit incendium, ne pudicitiae damna sentiret.*[1])

Minus periculum est, ne Didonem quis Senecae tribuat. supra monui historicos et antiquarios, Livium, alios immunes remansisse a fabula Vergiliana Didonis lascivientis. sed communis illa correptio Vergilii, pudicitiae laudes Didoni detrahentis demum multo tempore post Senecam increbuit. posterioribus sane saeculis, ut verbo utar Macrobii *sat.* V 17, 5, Didonis fabulam Vergilianam *falsam novit universitas* (cf. Aug. *conf.* I 13, 22 p. 20; Priscian. *periheg.* 185 seq.; Anth. gr. XVI 151); nec miramur Tertullianum tacite Vergilium praetereuntem

1) tertio etiam loco laudavit Hieronymus Hasdrubalis uxorem *in Eph.* 5, 25 t. VII p. 656 C Vall. *quamvis sui invicem maritus et coniux amore teneantur — qualis illa uxor memoratur Hasdrubalis quae capto viro, in patriae se iecit incendium et ceterae quae viris mortuis supervivere noluerunt.* commentarius in *Eph.* scriptus est Bethleemi ante opus *adv. Iovin.* (c. a. 386/7, cf. Gruetzmacher, *Hier.* I 62), *epist.* 123 ad Ageruchiam, quae alteram commemorationem uxoris Hasdrubalis continet, post opus *adv. Iovin.* (a. 409, cf. Gruetzm. 87 seq.); hoc opus p. 906 B epistulae citatur. cum igitur in epistula mentio maritae Hasdrubalis explicari possit ex imitatione operis *adv. Iovin.*, eodem exemplo in commentario *in Eph.* obvio indicatur, id exemplum Hieronymo non innotuisse ex litteris ad opus *adv. Iovin.* condendum primum perlectis. quod cum equidem accepisse Hieronymum intendam ex Tertulliani libro *ad am. phil.*, hic Tertulliani liber affertur iam ab Hieronymo in *epist.* 22 ad Eustochium conscripta Romae a. 384 (Gruetzmacher I 57) pluribus annis ante commentarium *in Eph.*

Didonis castitatem inter exempla recepisse.[1]) at ante Tertullianum Vergilii auctoritas obstitisse videtur, ne casta in litteris vulgo Dido audiret.[2]) praecipue Senecam spreto simpliciter Vergilio castae Didus laudes promulgasse aegre sumo. simul autem id quoque veri dissimillimum est, litigavisse Senecam cum Vergilio de fama Didus. cui cum *epist.* 88, 37 bilem moverit quaestio Didymi *de Aeneae matre vera,* ne talis quidem quaestio, qualem instituerat fortasse iam ante Vergilium Ateius Philologus *an amaverit Didun Aeneas,* placuit.

Relinquitur ut Grossgerge ex Livio haustas esse ratus ab Hieronymo historias Didonis et uxoris Hasdrubalis refellatur. Livii libros hodie amissos inspectos esse ab ipso Hieronymo ego p. 53 seq. indicavi. sed Didonem et uxorem Hasdrubalis cur negandum sit ex Liviani operis parte deperdita transscriptas esse, ex iis quae de varia propagatione horum exemplorum iam exploravi, compertum est. in Didonis exemplo, differt Hieronymus a Livii frg. 4 nomine Vergiliano *Sychaeus* pro *Sicarbas* Livii posito; maritae Hasdrubalis historia diversis

1) a Tertulliano nusquam Vergiliana fabula Didonis respicitur, quod moneo propter Rossbachium, qui *Realenc.* V p. 429 Tertullianum *apol.* 50, *de exh. cast.* 13, *ad nat.* I 18 Vergilium sequi adnotat errore aperto obstrictus. quorum locorum *de exh. cast.* 13 supra exscripsi, *ad nat.* I 18 Didonem imitata esse dicitur Hasdrubalis uxor, ita ut nil sit quod Vergilium cogites; *apol.* 50 exclamatio *o praeconium castitatis* sequitur sententiam *aliqua Carthaginis conditrix rogo se secundum matrimonium dedit* (accusativus *sec. matr.* per appositionem ponitur ad notionem totius enuntiati). — in transcursu numeros corrigo Rossbachii p. 429, 45 seqq., ubi Sil. VIII 50 lege pro III 50, Augustin. conf. I 13, 20 pro I 28, Tert. *ad nat.* I 18 pro *ad nat.* 18, Quint. *inst.* IX 2, 64 pro IX 2, 46. praeterea quod eiusdem Rossbachii discipulus W. Konopka, *de Aenea postvergiliano* (diss. Regim. 1913) p. 66 putavit, a Tertulliano *ad nat.* II 9 p. 112, 5 seqq. Didonem cogitari et confundi cum Hasdrubalis uxore in sententia *Aeneas certe patria flagrante dereliquit socios, feminae Punicae subiciendus, quae maritum Hasdrubalem, Aeneae timiditate supplicantem hosti, non comitata, raptis secum filiis, formam et patrem sibi habere non in fugam sapit, sed in ignes ardentis Carthaginis ut in amplexus patriae pereuntis incubuit,* Konopka Tertullianum non intellexit. quo loco excidium Troiae et excidium Carthaginis comparantur, gesta Aeneae et uxoris Hasdrubalis, maris et feminae in rebus adversis iisdem versantium (in patriae incendio reliquit Aeneas maritam, relicta est a marito uxor Hasdrubalis); ubi *subicere* valet i. q. *postponere*, Didus nec vola nec vestigium.

2) frustra nititur Dessau, *Hermae* t. IL (1914) p. 517 ex testimoniis incertae aetatis, quin etiam incerti argumenti, carmine Anth. gr. et libro Atei Philologi, certius quid efficere, quo saeculo correptio Vergilii vulgo percrebuerit. ne id quidem Dessau mihi persuasit, libro Atei inventionem indoctam unius Vergilii, primi Aeneam in Africam ducentis impugnatam fuisse. contra praeteriit Dessavum Tertullianus.

phrasibus Liv. *perioch.* 51 atque in Hieronymo proponitur. quodsi perstas ad auctoritatem primariam Livii Hieronymum referre, intercessisse tamen auctores medios inter hos duos scriptores, contaminantes memoriam Livianam, oportet sumere. mediorum autem auctorum, quos cogitare licet, Tertullianum habes, quem corpora exemplorum passim adhibuisse referta Livianis frustulis, sobria sententia est. certe *ad mart.* 4, ubi una cum Didone et Hasdrubalis uxore mulieres fortes complures appellantur, verba Tertulliani *de feminis ad manum est* commode explicantur usu cuiusdam corporis exemplorum.

4

Duplici modo loci Hieronymiani, ex quibus tota notitia suspensa est libri Tertullianei *ad am. phil.*, *epist.* 22 (*ad Eustochium de virginitate servanda* a. 384), 22 et *adv. Iovin.* I 13 p. 260 B nostram eius notitiam constituunt. conexus disputationis in utroque scripto Hieronymi observandus est utilis ad aperiendam disputationem libri Tertullianei. praeterea accedit ea res, quod Hieronymus una cum Tertullianeo deperdito alia opera et sua et christianorum aliorum profert, quae hodie servata ipsa quoque adhiberi debent ad argumentum amissi libri Tertullianei definiendum.

epist. 22 (*ad Eust.*), 22, 1 seqq. p. 174, 9 seqq. Hilberg: *quantas molestias habeant nuptiae et quot sollicitudinibus vinciantur, in eo libro quem adversus Helvidium de beatae Mariae perpetua virginitate edidimus, puto breviter expressum. nunc eadem replicare perlongum est et, si cui placet, de illo potest haurire fonticulo. . . . in principio libelli* (i. e. huius epistulae) *praefatus sum me de angustiis nuptiarum aut nihil omnino aut pauca dicturum* (v. 2, 1 *non me nunc laudes virginitatis esse dicturum, . . . nec enumeraturum molestias nuptiarum, quomodo uterus intumescat, infans vagiat, cruciet paelex, domus cura sollicitet et omnia, quae putantur bona, mors extrema praecidat . . .*) *et nunc eadem admoneo. at* (Engelbrecht, *ut* codd. plerique), *si tibi placet scire, quot molestiis virgo libera, quot uxor adstricta sit, lege* (*legas* pars codd.) *Tertulliani* (*Tertullianum* pars codd.) *ad amicum philosophum et de virginitate alios libellos, et beati Cypriani volumen egregium et papae Damasi super hac re versu prosaque conposita et Ambrosii nostri quae nuper ad sororem scripsit opuscula. in quibus tanto se fudit eloquio, ut, quidquid ad*

laudem virginum pertinet, exquisierit, ordinarit, expresserit. nobis diverso tramite inceditur: virginitatem non efferimus, sed servamus.

adv. Iovin. I 13 p. 260 A seq.: *non est huius loci nuptiarum angustias describere et quasi in communibus locis rhetorico exultare sermone. plenius super hac re contra Helvidium et in eo libro quem ad Eustochium scripsi, arbitror absolutum. certe et Tertullianus, dum* (codd., *quum* Vall.) *adhuc esset adulescens, lusit in hac materia. et praeceptor meus Gregorius* (*Nazianzenus* add. edd.) *Virginitatem et Nuptias disserentes* (*E* a.c.m1, *disserens S𝔖AC* Vall.) *graecis versibus explicavit.*[1])

utroque loco Hieronymus ex interpretatione eiusdem lectionis Scripturae *I Cor.* 7, 28 seqq., quae lectio circa *tribulationem carnis* coniugio inhaerentem versatur, profectus est ad Tertullianum citandum. cum igitur praecipuum argumentum libri *ad am. phil.* angustiae nuptiarum fuerint, tamen ceteris litteris, quas simul cum Tertulliano Hieronymus attulit, respectis dubito an his solis argumentum libri *ad am. phil.* contentum non fuerit. sed ut pateat, quid ex condicione ceterarum litterarum una cum libro Tertulliani citatarum de huius libri condicione efficiatur, intuendum est, quam amplas partes in istis litteris locus de angustiis nuptiarum occupaverit, quod reliquum argumentum harum litterarum fuerit.

Ipse Hieronymus in opusculo *adv. Helv. de Mar. virg.* satis largo sermone impugnavit nuptias c. 20 t. II p. 227 C—229 A comparationem earum cum virginitate instituens. primum uxoris vitam descripsit ductae in matrimonium a marito luxuriae et libidinibus dedito, deinde castae quoque domus dispensationem, liberorum partum et educationem anxietate et sollicitudine abundare dixit. multo brevius in *epist. ad Eust.* molestias nuptiarum tetigit, ubi nil posuit nisi quae supra exscripta sunt. praeterea quod Cypriani *volumen egregium,* accuratiorem tituli significationem neglegens, *epist.* 22 aggregavit Tertullianeo *ad*

1) his locis duobus tertius accedit, ubi Tertulliani librum *ad am. phil.* in mente sine dubio Hieronymus habuit *epist.* 49 (48 Vall.) *ad Pammachium,* 18 p. 382 Hilberg. quae tamen epistula cum apologia sit operis *adv. Iovin.,* atque Tertullianus in retractando loco *adv. Iovin.* I 13 illic citetur, de huius epistulae lectione brevem esse fas est. in qua una cum Tertulliano easdem litteras de virginitate Hieronymus laudavit, quas *epist. ad Eust.* 22 vel *adv. Iovin.* I 13 ante posuerat; cf. l. l. 2 *librum contra Helvidium de beatae Mariae virginitate perpetua scripsimus.* ibid. 3 *in libro quoque ad Eustochium multo duriora de nuptiis diximus ... lege Tertullianum, lege Cyprianum, lege Ambrosium, et cum illis me vel accusa vel libera.*

am. phil., Cypriani liber *de habitu virginum* intellegendus est (cf. Gruetzmacher, *Hier.* I 262). commonefacio autem disceptationem, quae de huius libri titulo hodieque est; qui liber in cod. Ver. *de disciplina et habitu faeminarum* inscribitur, indice Mommseniano qui dicitur operum Cypriani titulus simplex *ad virgines* traditur (cf. Schanz, *Gesch. d. r. L.* III² p. 362), ita ut Hieronymo cur laxiorem significationem indulgeas, utique habeas. commemorantur vero angustiae nuptiarum quamvis breviter *de hab. virg.* 22 p. 203, 3 seqq. *vos mulierum tristitias et gemitus non timetis, nullus vobis de partu circa filios metus est: nec maritus dominus* eqs. item nulla dubitatio de Gregorii opusculo una cum Tertullianeo *adv. Iovin.* I 13 nominato est, praesertim si verum Hieronymi textum accepisti restitutum a me *disserentes* reponente ex cod. *E* pro *disserens* traditionis reliquae. nam carmine παρθενίης ἐπαίνου Gregorii Nazianzeni *disserentes* contra se inducuntur Γάμος et Παρθενίη, ubi Nuptiarum oratio inde a v. 222 p. 310 Maur. usque ad v. 341 p. 316, Virginitatis inde a v. 355 p. 316 usque ad v. 727 p. 338 pertinet.[1]) atque quemadmodam molestiae nuptiarum in eo carmine tangantur v. supra c. V p. 197, ubi etiam Ambrosium in medium duxi molestias nuptiarum in opere *de virginibus* ad sororem misso perstringentem, quod opus ipsum quoque Hieronymus composuit cum libro *ad am. phil.*

tamen ad summam parvus tantum sermo de angustiis nuptiarum in iis operibus legitur, quae Hieronymus eiusdem argumenti atque librum *ad am. phil.* esse prodidit. immo operum illorum argumentum principale virginitas est quoquo modo praedicata, defensa, commendata. tetigi autem adhuc operum una cum libro *ad am. phil.* ab Hieronymo allatorum ea tantum, quae, quamvis modice, utique tamen respiciunt angustias nuptiarum, Ambrosii opus *de virginibus*, Gregorii Nazianzeni carmen παρθενίης ἐπαίνου, Cypriani librum *de habitu virginum*, Hieronymi epistulam *ad Eustochium* et librum *adversus Helvidium.* iam vero reliquae litterae simul cum libro *ad am. phil.* laudatae penitus omittunt angustias nuptiarum, argumentum christianum virginitatis variis modis aliis exsequentes. Damasi scripta

---

1) defenditur libri *E* scriptio, quam in ipso *E* librarius punctis supra *te* positis corrumpere temptavit, altero loco, ubi Hieronymus carmen Gregorii laudavit *vir. ill.* 117 *liber hexametro versu Virginitatis et Nuptiarum contra se disserentium.*

poetica et pedestria nec non Tertulliani ipsius *de virginitate alios libellos* Hieronymus eodem spectare atque librum *ad am. phil.* confessus *epist.* 22 est; Tertulliani servata opera nuptialia, Damasi elogium Irenes (epigr. 10 Ihm), Agnetis carmen (ibid. 40)[1]), talia virginitatis scripta apologetica et demonstrativa procul dubio dixit (cf. Bardenhewer, *Gesch. d. altk. L.* II 383 et III 565); in quibus tamen scriptis omnino non invenitur locus rethoricus de molestiis nuptiarum.[2]) licet igitur Tertulliani liber *ad am. phil.* praecipue inclaruerit angustiis nuptiarum largissime illustratis, tamen id concludendum est ex litteris una cum hoc libro allatis ab Hieronymo, in unum adeo coaluisse apud christianos scriptores locos de angustiis nuptiarum et de laudibus castitatis, ut Tertullianus nequiret in libro *ad am. phil.* de altero loco agere neglecto altero. hinc intellegitur, quam bono iure tribuam libro *ad am. phil.* Didonem et Hasdrubalis uxorem pro castitate occumbentes, Vestales liberas a vitae coniugalis sollicitudinibus, flaminem Dialem excellentem monogamia, i. e. castitatis quodam genere.

Hactenus de argumento amissi libri Tertullianei; sequitur ut de ratione disputandi eius loquar. pugnandum enim est mihi contra Harnackium, qui Vallarsium dubitantem, an liber *ad am. phil.* a Tertulliano adulescente scriptus poema aliquod de virginitate fuerit, auctoritate nova fulciebat *Sitzungsb. d. Ak. z. Berl.* 1895 p. 571 et *Gesch. d. altchr. L.* eqs. II *Die Chronol.* II (1904) p. 287 adn. 1. natus autem est Harnackii error ex vocabulo *ludendi* in phrasi *certe et Tertullianus, dum adhuc esset adulescens, lusit in hac materia* perverse intellecto.[3]) cuius verus sensus quis hoc loco sit, miror neminem vidisse. nam eodem verbo, quo Hieronymus genus scribendi Tertullianeum in libro de angustiis nuptiarum significavit, suam scriptionem de nuptiis et virginitate *adv. Helv. de Mar. virg.* 22 p. 230 C notari voluit *rhetoricati sumus et in morem declamatorum paululum lusimus.*

---

1) sermones pedestres papae de virginitate, quos Hieronymus novit, periere.

2) Tert. *ad ux.* I 3, II 7, *de virg. vel.* 4 vix huc trahi possunt.

3) cf. *Gesch.* eqs. l. l. 'Vielleicht sind mit dem "lusit" Verse gemeint, wie Vallarsi vermutet hat.' ne Bardenhewer quidem *Gesch.* eqs. II 383 sensum verbi *ludendi* recte percepit, etsi carmen fuisse librum Tertulliani recte diffisus est; at haec habet: 'Es muß sich also wohl um eine in leichtem, scherzhaftem Tone gehaltene Jugendschrift Tertullians handeln.' potuerunt decipi priores locis talibus qualis est Gell. XIX 11, 2 *quibus (versiculis) ille (Plato) adulescens luserit.*

sermonem igitur unctum artificiis scholasticis et dialecticis, spinis plenum et ampullis rhetorum spectat *ludendi* verbi usus iste; si vis naturam intellegere scriptionis Tertullianeae *ad am. phil.*, inspice qua ratione rhetorica *adv. Helv.* c. 20 seqq. argumentum Hieronymus tractaverit. porro de Tertulliano adulescente quo sensu *ludendi* vox ab Hieronymo dicta sit, intellegitur etiam praeclare ex *epist.* 52, 1, 1 p. 414, 1 seqq. Hilb.: *dum essem adulescens, immo paene puer, et primos impetus lascivientis aetatis heremi duritia refrenarem, scripsi ad avunculum tuum, sanctum Heliodorum, exhortatoriam epistulam plenam lacrimis querimoniisque et quae deserti sodalis monstraret affectum. sed in illo opere pro aetate tunc lusimus et calentibus adhuc rhetorum studiis atque doctrinis quaedam scolastico flore depinximus.* epistula *ad Hel. monachum* (14 p. 44 seqq. Hilb.) eundem offert sermonis habitum, quem offerunt capita 20 seqq. libri *adv. Helv.*, utrobique deprehenditur idem rhetoricorum colorum fervor, sententiarum incentivarum vis eadem splendoris potius quam docendi gratia exsertarum (cf. Gruetzmacher, *Hier.* I 166 seq. et 273 seq.).[1])

Iam vero scholastico genere libri *ad am. phil.* retecto verboque *ludendi* in testimonio Hieronymiano recte intellecto simul corruit alter quoque error Harnackii, *Gesch.* eqs. l. l. p. 295 et Bardenheweri l. l. ante conversionem librum *ad am. phil.* a Tertulliano confectum esse suspicantium. nequaquam enim discessisse scurrilibus et ludicris coloribus generaliter a condicione aliarum litterarum christianarum de nuptiis Tertulliani librum iam probatum est, ita ut remota sit ansa quaevis erroris istius. nec vero ullo modo patiuntur testimonia Hieronymiana libri *ad am. phil.*, pari loco hunc librum habentia cum aliis litteris christianis nuptialibus, ut scriptum saeculare cogites. praesertim Harnack, qui *Sitzungsb.* p. 569 Hieronymi verba in apologetico operis *adv. Iovin.* misso ad Pammachium *epist.* 49 (48 Vall.) 18, 3 *lege Ter-*

1) usus *ludendi* vocabuli, qui in Hieronymo varius est, iam Augustino turbas paravit loco quodam. qui, cum Hieronymus ei scripsisset *epist.* 115, 3 p. 397, 4 seq. Hilb. *in scripturarum, si placet, campo sine nostro invicem dolore ludamus,* de hac phrasi sermone longo, paene tristi egit (cf. Aug. Hier. *epist.* 116, 2, 1 seqq. p. 398 seq. Hilb.). voluit tamen Hieronymus nil dicere nisi quae de Cicerone dixit *chron. praef.* t. II p. 1 Schoene (p. 1 Helm) *unde et noster Tullius Platonis integros libros ad verbum interpretatus est, et cum Aratum iam romanum* ⟨*h*⟩*exametris versibus edidisset, in Xenofontis Oeconomico lusit.* aequaliter *ludus* Hier. *in Hab.* 3, 14 seqq. t. VI p. 660 C i. q. *schola* valet.

tullianum, lege Cyprianum, lege Ambrosium, et cum illis me vel accusa vel libera recte rettulit ad librum *ad am. phil.*, quomodo a se impetraverit, ut provocari putaret ab Hieronymo ad scriptum expers veri dogmatis ecclesiae, parum assequor. quin Eustochio quoque *epist.* 22, 22, 3 commendatam esse lectionem libri ethnici, vacui a testimoniis Scripturae credere nefas est. denique quod mentionem libri *ad am. phil.* in opere *adv. Iovin.* attinet, finis huius operis pugna adversus haereticum est, neque in eo opere liber ethnicus extra partem, ubi ethnicae litterae diserte arcessuntur, probe allegatur. simul noli opponere, scismaticum etiam Tertulliani librum *de monogamia* usurpatum esse in christiano sermone *adv. Iovin.*[1]); hunc enim Tertulliani librum usurpavit quidem Hieronymus, sed usum occuluit, titulum tacuit (cf. Schultzen, *N. Jahrb. f. d. Theol.* III 486).

Ne inscriptio quidem *ad amicum philosophum* christianae fidei libri parum convenit. nempe in adulescentia, qua aetate scriptum esse hunc librum constat, decuit sane Tertullianum modo conversum, amicum in superstitione saeculi relictum cohortari publice. quem haud ignoro in servatis scriptis passim quasi cum taedio *philosophi* vocabulo uti, cf. e. g. *apol.* 45 *adeo quid simile philosophus et christianus?* (*de praescr. haer.* 7); tamen in servatis quoque scriptis lentius saepe tolerantur philosophi, ut *de anim.* 2 p. 300, 20 *plane non negabimus aliquando philosophos iuxta nostra sensisse. apol.* 47 (*de prophetarum fonte*) *philosophi sitim ingenii sui rigaverunt.* — aequaliter autem atque *ad am. phil.* scripto exhortatorio de nuptiis, quod sane qua ex occasione confectum sit latet, inscripsit provectiore aetate Tertullianus *ad Scapulam* opusculo invectivo ad paganum hominem misso.[2])

Argumentum nuptiale, genus dicendi scholasticum, fidem christianam libri *ad am. phil.* definivi. sequitur ut quae expedivi adhibeam ad augenda fragmenta libri. tres autem christianos locos omnino ex Hieronymo etiamnunc spero addi posse locis quattuor, quos in sermone ethnico *adv. Iovin.* decrevi ex eo libro ortum ducere.

---

1) cf. Hier. *in Tit.* 1, 6 t. VII 1 p. 697 C *scripsit et Tertullianus de monogamia librum haereticum, quem apostolo contraire nemo qui apostolum legerit, ignorabit.*

2) huius libelli, etiamsi condicio eius peculiaris sit, exordium inspicere iucundum erit tibi deliberanti, num Tertullianus sermonem christianum ad paganum hominem miserit: *itaque hunc libellum non nobis timentes misimus, sed*

Primum Tertullianum citatum ab Hieronymo *epist.* 85, 5, 1 p. 137, 15 seqq. Hilb. ad hunc librum traho: *de secundo problemate tuo Tertullianus in libris de monogamia disseruit adserens sanctos dici fidelium filios, quod quasi candidati*[1]) *sint fidei et nullis idolatriae sordibus polluantur.* nempe talis sententia frustra quaeritur tam in volumine *de monogamia*, quam in aliis servatis operibus Tertulliani (cf. Harnack, *Sitzungsb.* p. 570); eiusdem tamen sententiae origo Tertullianea addubitari nequit. locutio *candidati fidei* egregie convenit Tertulliano; quam etsi hodie in ipso non invenis, attamen idem usus translatus vocis *candidatus* creberrimus apud eum est (v. Thes. l. l. III 238, 53). Hieronymum rursus, qui compluriens *candidatus fidei* dixit *epist.* 69, 3, 6; 107, 1, 3; 122, 4 p. 899 B; *adv. Iovin.* I 10 p. 251 D, hanc a Tertulliano dictionem, ut ipse uno illo loco ait, accepisse apparet. quo studio ingeniose dicta a Tertulliano Hieronymus propagaverit, docet apte, quae ipsa quoque locutionem *candidatus fidei* offert, *epistula* 107 exornata insuper 1,4 altero flore Tertullianeo *fiunt, non nascuntur christiani* (Tert. *apol.* 18; *test. anim.* 1). atque Tertullianum imitari Hieronymum in usu dictionis *cand. f.* vel ea re firmatur, quod Hieronymus praeter unum locum *epist.* 107, 1, 3 semper in sermone coniugali dictionem usurpat; habuit ea nimirum apud Tertullianum sedem primariam in nuptiali opere.

atque ipsi libro *ad am. phil.* cur hoc Tertulliani fragmentum ascripserim, complures rationes sunt. nonne apte sic explicatur locutio Hieronymi *Tertullianus in libris de monogamia*, cum reapse monobiblion titulo *de monogamia* instructum ediderit, ut scripti cuiusdam coniugalis Tertullianei quondam evoluti Hieronymus meminerit, quod, si non totum in monogamia versatum erat, certe tamen huic locum largum concesserat? similiter alio quodam loco *epist.* 22 Hieronymum Tertulliani opera de nuptiis et continentia laxiore significatione appellavisse *de virginitate alios libellos* supra p. 248 vidi-

---

vobis et omnibus inimicis nostris, nedum amicis. ita enim disciplina iubemur diligere inimicos quoque eqs.

1) *candidatae* cum parte codd. Hilberg vix recte scripsit; vitium ex falsa assimilatione vocis *candidati* ad nomen *fidei* natum est. idem genus vitii neglexit Hilberg *epist.* 107, 5, 2 *Eustochiae virginis*, cum ibid. 13, 3 *Eustochio*, ubi assimilatio nulla fieri potest, probe servetur codicibus. deinde *candidatus* vocum 'purus', 'castus' vi praeditum, etiamsi in sententia illa defendi potest, tamen alias apud Tert. non traditur (cf. Thes. III 237, 20 seqq. 239, 23).

mus. monogamiam, cuius laudes a nulla fere absunt scriptione christiana de virginitate et nuptiis, etiam in l. *ad am. phil.* tractatam fuisse, cui libro Dido, Hasdrubalis uxor, flamen Dialis infuerunt, pridem patuit. et cum ad perditum quoddam opus nuptiale Tertulliani istud fragmentum eius trahere necesse sit, unum tantum praeter servata opera coniugalia coniugale Tertulliani opus, quoad scimus, novit Hieronymus. deinde quod in l. I *adv. Iovin.*, ubi Tertulliani l. *ad am. phil.* c. 13 citatur, c. 10 p. 251 D *candidatus fidei*, dictio fragmenti Tertullianei recurrit (*causisque expositis quod c. f. sit infidelis, si nolit a credente discedere* eqs.), id quoque, cum usum sive imitationem Tertullianei libri *ad am. phil.* latius patere per totum l. I *adv. Iovin.* probaturus sim, suadet ut ipsi libro *ad am. phil.* fragmentum tribuatur. denique in opere ad saecularem hominem misso occasio plurima erat distinguendi *fidelium filios candidatos fidei* ab hominibus saecularibus ex conversione fidem adipiscentibus, de quibus unus, ni fallor, fuit amicus Tertulliani.

Alterum fragmentum christianum et tertium etiamnunc mihi libro *ad am. phil.* assignanda ex christiana parte l. I *adv. Iovin.* expiscor. ubi c. 26 refutatio Ioviniani ad Ioannem apostolum pervenit, quem virginem fuisse Iovinianus negaverat, v. p. 279 B *si autem obnixe contenderit Ioannem virginem non fuisse* eqs. (cf. Haller, *Texte u. Unters. z. G. d. altchr. L.* XVII 2, 1897, *Iovinianus* p. 11 adn. 3). Hieronymus vero in eo de virginitate Ioannis sermone, quo refellit Iovinianum, id Tertulliani verbum affert, quod novum deinceps fragmentum libri *ad am. phil.* nuncupo p. 280 A: *refert autem Tertullianus, quod* (Ioannes) *a Nerone* (*a N.*] *Romae* edd.) *missus in fervens* (*ferventis E* p.c.m2) *olei dolium* (*o. d.*] *oleum* 𝔖 a.c.m1) *purior et vegetior exierit quam intraverat* (*-at EC*, *-it* 𝔖 Vall.).

proficiscitur autem disputatio mea a confutandis doctis ex libro *de praescr. haer.* Tertulliani eum locum derivantibus, ubi c. 36 haec leguntur: *habes Romam . . . ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus Ioannis* (i. e. baptistae) *exitu coronatur, ubi apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.* praecipue autem eo vetamur hinc Hieronymi locum deducere, quia sub Nerone martyrium passum esse Ioannem apud Hieronymum Tertullianus refert. contra quod pro *nihil passus*

est libri *de praescr. haer.* apud Hieronymum Tertullianus habet *purior et vegetior exierit*, id per se poterat sane ex ingenio Hieronymi fontem sponte augentis declarari; at infra docebo, hanc quoque partem sententiae diserte Tertulliano ab Hieronymo tributae originem Tertullianeam tueri. iam vero eorum, qui ad librum *de praescr. haer.* Tertulliani verbum operis *adv. Iovin.* referunt, Harnackium, *Sitzungsb.* p. 571 fugit lectio tradita, a Vallarsio dudum indicata *a Nerone* pro interpolata *Romae*, quam quidem receperat Vallarsius in textum. Harnackium igitur mitto; at cum Petro Corssen mihi res est *Monarchianische Prologe z. d. v. Ev., Texte u. Unters.* eqs. XV 1 (1896) p. 87 scripturam a se in textu Hieronymi repositam probissime *a Nerone* sic explicante, ut diceret, ex Petri et Pauli passionibus una cum Ioannis passione commemoratis in libro *de praescr. haer.* Hieronymum sponte conclusisse, item ut Petrum et Paulum sub Nerone etiam Ioannem sub eodem Caesare martyrium subiisse. nec vero nescius sum, meros errores Hieronymum ex conclusionibus fallacibus commisisse tam in opere *adv. Iovin.* (v. p. 145) quam in aliis operibus, velut in opusculo *de vir. ill.*, cum auctorem graecum Eusebium reddat. quin in illo opusculo *de vir. ill.* occurrit is quoque locus, ubi ipsum Tertullianum inventione sua auxit (cf. *de vir. ill.* 7 cum Tert. *bapt.* 17 p. 215). attamen peculiaris condicio est testimonii Hieronymiani de Tertulliano Ioannem sub Nerone passum martyrium esse narrante, quod testimonium paene invito, respecta auctoritate Tertulliani, excidisse Hieronymo dico. nam Corssen ipse recte statuit, sermonem libri I *adv. Iovin.* de temporibus Ioannis ad communem ecclesiae catholicae saec. IV traditionem de actis Ioannis derigi. quin Corssen certum librum inspectum esse ab Hieronymo contendit 'de Ioanne apostolo et evangelista historiam ecclesiasticam', in quo p. 79 legerentur *qui a Domitiano Caesare in ferventis olei dolium missus* eqs. pessime igitur Corssen Hieronymum hoc *historiae ecclesiasticae* verbum apertum de Domitiano ante oculos habentem, de Nerone Ioannem in dolium mittente notitiam lubricam ratiocinando ex Tertulliano *de praescr. haer.* sibi comparavisse cavillatur. verum etiam tunc, si certa quaedam *historia ecclesiastica*, qualem Corssen restituere conatus est, reapse non fuit, Hieronymum ex opinione ipsius, in quantum liber erat ab auctoritate Tertulliani, martyrium Ioannis sub Domitiano posuisse demonstrari potest. nam relegationem Ioannis

cecidisse in imperium Domitiani voluit Hieronymus hoc ipso loco l. I *adv. Iovin.* 26 p. 280 A *vidit enim in Patmos insula, in qua fuerat a Domitiano principe ... relegatus, apocalypsim.* relegatum autem esse Ioannem statim ex martyrio rursus aliud Hieronymi verbum est *in Matth.* 20,23 t. VII 1 p. 155 E seq. Vall. *si legamus ecclesiasticas historias, in quibus fertur, quod et ipse propter martyrium sit missus in ferventis olei dolium et inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit, statimque relegatus in Patmos insulam sit.* etsi vero commentarius *in Matth.* paucis annis post opus *adv. Iovin.* scriptus est, tamen testimonia de Ioanne utriusque operis Hieronymiani sic comparata sunt, ut invicem se suppleant, neque posterius testimonium tamquam palinodian prioris esse ullo iure dixeris. quodsi quaeris, cur Hieronymus Tertulliani memoriam Ioannis, qui 'purior et vegetior factus sit in olei ferventis dolium missus a Nerone', abhorrentem a traditione paene catholica suae aetatis omnino apposuerit, virginitas Ioannis a Tertulliano felicissime depicta, de qua statim plenius dicam, sic ei placuit, ut Tertullianum ad litteram currente calamo exscriberet.

Accedit alia res, cur Corsseno spreto memoria Tertullianea de Ioanne martyrium sub Nerone passo fragmentum deperditi scripti Tertullianei documentumque sit priscae traditionis potius quam conclusiuncula inutilis ab Hieronymo ex loco *de praescr. haer.* elicita. evidenter enim Ioannis Zebedaei filii a Iudaeis a. 43 sive 44 occisi tempora vertente demum saec. II sic constituta esse docuit Ed. Schwartz, *Abhandl. d. G. d. W. z. Goett.* VII 5 (1904), *Über d. Tod d. Söhne Zebedaei,* ut Ioannes senex sub Domitiano et Traiano ex Epheso scripta emitteret.[1]) atque Ephesia memoria Ioannis ne Proculo quidem, scriptori aevo Tertullianeo suppari (cf. Harnack, *Gesch. d. altchr. L.* I, 1893, *Die Überl.* eqs. p. 600 seq.), nota fuit (cf. Schwartz p. 41 et 46). itaque, si quid sentio, Tertullianus quoque Ephesiam memoriam Ioannis in Domitiani et Traiani tempora vitam extendentis tunc, cum adulescens de nuptiis et virginitate librum *ad am. phil.* misit, ignoravit.[2])

1) Schwartzio oblocutus non mihi persuasit W. Larfeld, *Die beiden Iohannes von Ephesus* (Monaci 1914) p. 148 seqq.

2) posteriora quoque, quae nobis servata sunt, scripta Tertulliani, nisi quid me fugit, abstinent a defendenda Ephesia Ioannis ad Traianum durantis memoria. quamquam notus erat iam Tertulliano *de anima* 50 p. 382 perorationis additiciae evangelii Ioannis, quod est caput 21 ab homine Ephesio confectum, versus interpolatus 23 (v. Schwartz l. l. p. 52 seq.). item Ephesiam

diversae nimirum de Ioanne fabellae tunc temporis secum pugnarunt, ita ut Tertullianus adulescens iam relinqueret veram de nece eius sub Claudio traditionem, idem nondum tritam posterioris aevi fabulam de Domitiano persequente Ioannem obtineret; quam fabulam Asia provincia cur excoluerit et propagaverit, apud Schwartzium relege p. 46; occidentalium scriptorum propagare eam minus intererat contentorum Romae Ioannis martyrium attribuere. interpolatio igitur recentissima ab Harnackio recepta, qua in textu Hieronymi tradita lectio *a Nerone* deleta est, pars quamvis minima laboris illius durantis per saecula est, quo fabula Ioannis exulantis sub Domitiano Patmi, ubi *apocalypsin* vidisse eum tandem omnis traditio ecclesiae voluit, condita et ab omni parte munita auctoritate catholica effloruit.[1])

Quod vero modo Proculi mentionem inieci, quem Schwartzius Ephesiarum de Ioanne apostolo fabellarum ignarum fuisse inde colligit, quod defendens Proculus auctoritatem ecclesiarum Asiarum adversus Gaium scriptorem romanum (cf. Euseb. *ἐκκλ. ἱστ.* III 31, 4 p. 264 seqq. Schw.), Philippum apostolum et evangelistam filiasque eius in Asia se-

---

traditionem Ioannis sapiunt verba Tert. *adv. Marc.* IV 5 p. 430 *habemus et Ioannis alumnas ecclesias. nam etsi Apocalypsin eius Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Iohannem stabit auctorem.* ceterum non, si *apocalypsim* ab apostolo profectam esse Tertullianus ratum habuit (ut hoc loco, ita etiam ibid. III 14 p. 399, *scorp.* 12 p. 173, *de fug. in pers.* 9, *de praescr. haer.* 33), idcirco necesse est tribuere ei opinionem confectae sub Domitiano *apocalypsis*; sub Claudio scriptae *apocalypsis* ab apostolo rumorem veterem latius vagantem neque alienum ab isto Proculo, quem scriptorem montanisticum a Tertulliano lectum esse statim notabo, persecutus est Schwartz l. l. p. 29 seq., 35, 41. atque evangelium quoque Ioannem conscripsisse Petro et Paulo adhuc viventibus, saec. II passim creditum est (Schwartz 24 et 26). — ad postremum ambiguus est locus *de praescr. haer.* 36: *apost. I., posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.* est enim inter varias recensiones antiquas *actorum Ioannis* syriaca recensio, qua relegatum quoque a Nerone Ioannem esse narratur (cf. *Acta Ioannis* ed. Zahn, 1880, p. XLIX; R. A. Lipsius, *Die apokr. Apostelgesch.* eqs. I, 1883, p. 438 seq.), pariter ac missum a Nerone in oleum esse Ioannem testatur Tertullianus adulescens apud Hieronymum. has igitur traditiones, syriacam et Tertulliani adulescentis, ne quis adhibiturus sit ad interpretandum locum *de praescr. haer.*, nescio quid obstet.

1) molestias paravisse medio aevo clericis Tertulliani memoriam, documento est ascriptio in margine libri ϑ saec. X *nota Iohannem non a Domitiano, sed a Nerone in fervens oleum missum.* tamen interpolatio *Romae* non videtur ascendere ultra aetatem litterarum renascentium, quam deprehendi ego in codice nullo (inspexi *EϑBCM*).

pultos esse memorat, Ioannem Ephesium tacet, Proculi scripta a Tertulliano lecta sunt; cf. *adv. Valent.* 5 p. 182, 13 seq. Vind. *Proculus noster virginis senectae et christianae eloquentiae dignitas.*[1]) quo ex loco Tertulliani id quoque efficio, virginitatem defendisse praeceptis Proculum et scriptura, ut qui ipse virginis vitam vixerit. atque etiam Ioannes apostolus apud Proculum inter exempla vitae virgineae occurrit, ut infra docebo. quamquam de olei martyrio Ioannis, verso a Tertulliano in virginitatis miraculum (v. infra), verba facta esse a Proculo, testimonium expressum desideratur. verum illud saltem veri simile est, Proculum in urbe scribentem protectorem Asiarum ecclesiarum (cf. Harnack l. l.), romanam stationem Ioannis cognitam habuisse; Schwartzii observationem protuli, qua Ioannem inter lumina ecclesiae Asiae numerare Proculus noluerit. scivit igitur, licuisse Romanis Ioannem inter suos martyras numerare.

At paene eo delapsus sum, ut de auctoritate Proculi in libro Tertulliani adulescentis *ad am. phil.* excitarem suspicionem, quae tamen, quae est clades litterarum montanisticarum plenissima, ad iucundiorem probabilitatis gradum perduci nequit. contra iam facile est evincere, Tertulliani librum *ad am. phil.* verbum de Ioanne suggessisse Hieronymo. nam postquam probatum est, traditionem veterem inesse huic verbo Tertulliani, quae in Hieronymo nequeat repeti ex loco *de praescr. haer.* 36, nec alium fontem Hieronymo ad manum fuisse, unde notitiam Neronis persequentis Ioannem accepisset, nil relinquitur, nisi ut amissus aliquis liber Tertulliani exscriptus sit.[2]) amisso-

1) Proculum lectum non esse a Tertulliano, antequam ad Montanum secesserit, noli dicere. quem in uno tantum opere Tertullianus nominatim citavit, potest alias exhausisse nomine celato. neque omnino Tertullianus, si ipsum audis, ad montanismum transiit, sed *psychici* recessere a castitate Christi (cf. *adv. Prax.* 1). praesertim Tertulliani praecepta nuptialia umquam alia fuisse atque montanistarum nulla re indicatur, id quod non fugit doctos (cf. Schanz, *R. L.* III² p. 306). de Tertulliano et Proculo v. etiam Noesselt, *de vera aetate* eqs., Tert. ed. Oehler t. III p. 605.

2) Corssenum refelli ex mera coniectura *Neronem* loco *de praescr. haer.* additum esse ab Hieronymo putantem, cum relegaverim Corssenum ad *historiam ecclesiasticam* ab Hieronymo inspectam, ubi a Domitiano in oleum fervens missum esse Ioannem traditum est. simillima ratio est R. A. Lipsii, *Die apokr. Apostelg.* I (1883) p. 420 sumentis, memoriae de Ioanne repetendae praecipue ex libro *de praescr. haer.* partem aliquam reapse ortum ducere ex *ecclesiasticis historiis*, quas paulo ante p. 279 D citaverit Hieronymus. itaque post ea, quae contra Corssen dixi, Lipsium neglegere potui; uni

rum autem librorum Tertulliani pergrate se offert citatus in opere Hieronymi aliquanto superius Tertulliani l. *ad am. phil.*; atque statim accingor ad approbandum, argumento huius libri verbum de Ioanne convenisse proprie.

Breviter praemoneo de acumine fragmenti Tertullianei, quo immunitas Ioannis ab igne ex immunitate eius ab illecebris carnis derivatur. hunc sensum subesse verbo Tertulliani abunde docuit Corssen; qui sensus quamquam parum proditur ipsis verbis Tertulliani, tamen apertus fit, cum reliquam traditionem Ioannis in oleum missi inspexeris iam a Corsseno p. 87 collatam cum Tertulliano. quod vero Tertullianus apud Hieronymum refert *puriorem et vegetiorem* exiisse Ioannem ex ferventi oleo, ea sententia exaggerari virtutem divinam virgitatis, affatim idem Corssen l. l. explanavit; quamquam hanc exaggerationem fabulae Hieronymo tribuit, non ut debuit, Tertulliano. Danielem ieiunio *formosiorem* factum esse Tertulliani *ieiun.* 9 p. 284, 18 seqq. verbum est receptum ab Hieronymo *adv. Iovin.* II 15 p. 349 C *Danihel et tres pueri revelationem merentur ieiunio; et pasti leguminibus pulcriores sunt et prudentiores his, qui de mensa regis carnibus vescebantur.*

Miraculum autem virginitatis factum in Ioanne libro coniugali *ad am. phil.* apte tribuitur, quia in servato quoque opere coniugali fabulam de virginitate Ioannis Tertullianus agnovit *de monog.* 17 *Ioannes aliqui Christi spado.* atque haec vox ita sonat, ut Tertullianus

---

tantum expositioni eius etiamnunc occurro. Lipsius nimirum, cum phrasis *in ferventis olei dolium* a Tertulliano, si modo habes fidem Hieronymo, usurpata, recurrat in inferioribus actis Ioannis apud Prochorum, Abdiam atque etiam Ps.-Augustinum (v. Corssen l. l. p. 79), suo iure recusavit, ne ex imitatione Tertulliani phrasin actorum posteriorum deduceret. immo ex eius phrasis historia concludebat, contaminatum esse textum Tertullianeum *de praescr. haer.* 36 ab Hieronymo ex *ecclesiasticis historiis.* at respondeo Lipsio, posse factum esse, ut Tertullianus phrasin illam adhibens cum inferiore memoria actorum Ioannis ad communem fontem priscorum actorum vulgariter christianorum (cf. p. 258 adn.) rediisset, nisi forte *historia ecclesiastica* de Ioanne, qualem Corssen cogitavit saec. III, ab ipso Tertulliano eam phrasin accepit. nam locutiones, quas Tertullianus facundia rara edolaverat, viguerunt et percrebuerunt mirum quantum aetate inferiore apud scriptores christianos. quae cum ita sint, de origine phrasis *in ferventis olei dolium* iudicium retineo; utrum Hieronymus hunc colorem Tertulliano adiecerit, an rationibus meis historia locutionis explicari debeat, nescio; scio absurdum esse ex *ecclesiasticis historiis,* quales Hieronymo innotuerunt, *Neronem* sententiae Tertullianeae repetere. atque hanc difficultatem rationis suae Lipsius ipse sensit p. 438 adn. 1, stupuit tamen eam difficultatem potius quam removebat.

totam fabulam de Christo Ioannem a nuptiis prohibente Leucii qui fertur actorum Ioannis in mente habuerit. cf. *Act. Ioann.* 113 p. 212 Bonnet: *ὁ κἀμὲ φυλάξας μέχρι τῆς ἄρτι ὥρας καθαρὸν ἑαυτῷ καὶ ἀμιγῆ μίξεως γυναικός· ὁ θέλοντί μοι ἐν νεότητι γῆμαι ἐπιφανεὶς καὶ εἰρηκώς μοι· Χρῄζω σου Ἰωάννη· Ὁ καὶ ἀσθένειάν μοι σωματικὴν προοικονομήσας· ὁ τρίτον μου βουληθέντος γῆμαι παραντίκα ἐμποδίσας μοι, ἔπειτα δὲ ἡμέρας ὥρᾳ τρίτῃ ἐν θαλάσσῃ εἰρηκώς μοι· Ἰωάννη, εἰ μὴ ἧς ἐμός, εἴασα ἄν σε γῆμαι.* ceterum nota res est, quam difficile sit accuratius definire, quanta pars inferiorum actorum Ioannis actis saec. II, a quibus Leucii nomen auctoris resolvendum non esse iam periti consentiunt (v. Harnack, *Die Chron.* eqs. II 173 seq.), infuerit. at fabula Christi revocantis a nuptiis Ioannem Leucio inerat; quam rem Corssen nullo obloquente probavit l. l. p. 92 seqq., ascito testimonio prologi in ev. Io. monarchianistici, qui dicitur Corsseno praeeunte, scripti initio saec. III; v. p. 6 Corss.: *qui* (Ioannes) *virgo electus a deo est, quem de nuptiis volentem nubere vocavit deus.* iam vero illud Corssen non quaerebat, num primarium auctorem, ad quem rediret, Leucium Tertullianus ipsum novisset, neque ullo modo dari id quidem poterit.[1]) nempe discrepat in fabulis Ioannis Tertullianus a Leucio ea re, quod martyrium olei ille exhibuisse non videtur (cf. Lipsius l. l. p. 510. Harnack l. l. p. 174 adn. 6). media igitur memoria inter Leucium et Tertullianum intercessit. cum vero supra inciderim in Proculum scriptorem a Tertulliano lectum atque virginitatis defensorem, qui Ephesiam Ioannis

---

1) ad Leucium redire Tertullianum de Ioanne *Christi spadone* loquentem astipulatus Zahnio *Acta Io.* p. CIII optime defendit contra Lipsium l. l. p. 510 Corssen l. l. p. 94. at ista minus placet mihi ibidem Corsseni ratio — quamquam haec res nil valet ad fragmentum de martyrio olei Ioannis libro Tertulliani *ad am. phil.* vindicandum —, qua tractavit Hieronymi verbum *in Is.* 56, 4/5 t. IV p. 658 E Vall. *talem fuisse eunuchum, quem Iesus amavit plurimum, evangelistam Ioannem, ecclesiasticae tradunt historiae.* quo loco Corssen *historiae ecclesiasticae* illius catholicae de Ioanne, quam refingebat, memoriam dixit ab Hieronymo ex Tertulliano interpolatam esse. praesertim si Carolo Schmidt, *Texte u. Unters.* XXIV 1 p. 129 et Harnackio, *Die Chron.* II 173 assentimur, Leucii operis rationem gnosticam non fuisse, fuisse vulgariter christianam, opinio Corsseniana libri catholici contaminati ex Tertulliano vacillat. — obiter adnoto ex scripturis canonicis virginitatem Ioannis parum intellegi; cf. Aug. *in evang. Ioh.* 124, 7 (t. 35, 1976 Migne) *sunt qui senserint . . . a Christo Iohannem apostolum propterea plus amatum, quod neque uxorem duxerit et ab ineunte pueritia castissimus vixerit. hoc quidem in scripturis canonicis non evidenter apparet.*

memoriam item ut Tertullianus adulescens ignoravit, iam de virginitate Ioannis egisse Proculum inde perspicitur, quia Proculi cum Leucio actorum Ioannis auctore cohaerentis testimonium disertum Paciani est *epist. ad Sympr.* 1, 2 p. 4 Peyrot: *ipsi illi Phryges nobiliores, qui se animatos mentiuntur a Leucio, ⟨se⟩ institutos a Proculo gloriantur.* cui voci Pacianeae recte intellectae a Zahnio *Acta Io.* p. LXV seq. quod abrogaverat fidem omnem praeter Lipsium l. l. p. 92 seqq. coniectando locum temptantem Harnack, *Die Chron.* I p. 542 seq. ratus quinto demum saeculo accessisse Leucii nomen actis Ioannis, ipse recessit ab hac sententia t. II eiusdem operis p. 173 meliora edoctus a Carolo Schmidt, *Texte u. Unters.* XXIV 1 (1903) *Die alten Petrusakten* p. 27/77 agente sobrie de actis Ioannis nomen Leucii Charini auctoris saec. II prae se ferentibus. vera, quamvis obscurata memoria verbo illi Paciani inest; ascetica ratione vivendi conspirant tam aperte Leucius et Proculus, ut de conexu eorum referentem Pacianum detrectare nefas sit.

Iterum deflexi ad Proculi auctoritatem in Tertulliano, cum imprimis propositum mihi sit, usum Tertulliani in Hieronymo ostendere, librique Tertullianei *ad am. phil.*, cuius praeter Senecam, Porphyrium, Plutarchum in quaestionibus de eruditione ethnica libri I *adv. Iovin.* ratio habenda sit, memoriam redintegrare. sed si verum est, a Proculo accepisse Tertullianum fabulam de Ioanne spadone Christi, haec res favet mihi magnopere revocanti locum Hieronymianum Tertulliani de miraculo virginitatis ad librum perditum adulescentis Tertulliani; nam in isto adulescentis libro ignorantiam Ephesiarum fabularum Ioannis ex ipsius Proculi usu supra declaravi.

quid igitur est? luculentius etiam in perdito libro *ad am. phil.* quam in servato *de monog.* Tertullianus exemplum Ioannis agitaverat. accommodavit se Hieronymus concedens largum locum exemplo Ioannis in suo *adv. Iovin.* sermone de virginitate ad scriptum perditum Tertulliani. atque ideo quoque hoc, quod effeci, splendet probabilitatis specie, quia ad marem misit Tertullianus librum, cuius fragmenta colligo, Ioannis caelibis exemplum librum ad marem missum praecipue decet. nimirum breviter absolvitur aut nullum est exemplum Ioannis in plerisque litteris ecclesiasticis aliis de virginitate: Tertullianus tot auctor librorum servatorum nuptialium unico tantum in libro *de monog.* id exemplum adhibuit, Ambrosius brevissime tantum strinxit

de inst. virg. 8, 50 p. 262 t. 16, 233 C Migne (*Iohanni* . . . *coniugium nescienti*), in aliis libris de virginitate omnino non posuit. quae res inde declaratur, quia pleraeque litterae christianorum de virginitate ad feminas missae sunt. contra peculiari ratione evidentissima libro *ad amicum philosophum* Ioannes spado Christi prolixius tractatus addicitur.

Quodsi de Ioanne locus *adv. Iovin.* I 26 p. 280 A fragmentis libri *ad am. phil.* additur, nova res accedit ad eius libri descriptionem, viri virginitas sive caelibatus insigniter in eo libro expositus. quae res rursus fructum novicium feret ad numerum fragmentorum libri amplius augendum. quid? si talem fere cogitamus in l. I *adv. Iovin.* usum amissi libri Tertullianei *ad am. phil.*, qualis servati libri *de monog.* ibidem manibus prehenditur imitatione luculentissima expressi (v. p. 26), nonne exspectabimus ut loci lateant in textu Hieronymi, qui se maxime applicent ad adulescentem Tertullianum? nec iam desperatae rei operam navare vereor ne quis me insimulet, si contendo caput quoddam sermonis christiani *adv. Iovin.* imitatione Tertulliani *ad am. phil.* passim repletum esse. cum alioquin sane nolim periclitari de iis lectionibus amisso libro Tertulliani assignandis, quas nomine auctoris tacito expressas esse ab Hieronymo suo quisque iure forsitan senserit[1]), felicissimo rerum complurium concursu accidit, ut caput 28 Hieronymi Tertullianum spectare evinci possit. priusquam autem enarrem, quae variae ra-

1) is liber, qui una cum Tertulliani l. *ad am. phil.* ab Hieronymo I 13 p. 260 B citatur, Gregorii Nazianzeni carmen *παρθ. ἐπ.* nulla fere imitatione redditur in opere *adv. Iovin.*, nisi forte Hieronymus ipso loco illo p. 260 B sententiam tractans *I Cor.* 7, 33 *qui autem cum uxore est . . . divisus est* in memoriam revocat Greg. v. 550 seqq. p. 328 *οἶστρος ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἀφαυρὸς, κόσμῳ τε Χριστῷ τε, ὁ δ' ἔμπεδος εἰς ἕνα τείνων. ἢ γὰρ Χριστὸν ἔχων τις ὅλον, ἀλόγησε δάμαρτος, κτλ.* (cf. etiam *ὑποθ. παρθ.* v. 222 seq. p. 350 *ἐφαπτομένη καὶ σχιζομένη θεότητος, ἥμισυ μὲν Χριστοῖο, τό δ' ἥμισυ σαρκὸς ἐοῦσα*). — casui fortasse tribuendae sunt similitudines inter Hier. c. 24 p. 275 B (*Salomon*) *antequam plures haberet uxores et carnis vitiis laberetur, in principio regni et adolescentiae exstruit domino templum* et Greg. v. 496 seq. p. 324 *καὶ Σολομὼν τὰ πρῶτα σοφὸς, μετέπειτα κάκιστος, ἡνίκα θηλυτέρῃσιν ἐφωμάρτησεν ἀλιτραῖς*, item inter Hier. c. 36 p. 293 E *quomodo stabit humanum genus* et Greg. v. 126 seq. p. 304 *μερόπων . . . γένος . . . ἄστατον ἐκ θανάτοιο καὶ ἱστάμενον τεκέεσσιν*, inter Hier. c. 47 p 315 B (*sapiens*) *habet secum omnes qui sunt quique umquam fuerunt boni* et Greg. 596 seq. p. 330 *αὐτὰρ ἐμοὶ τοκέες μὲν, ὅσοι καλὸν ἐξεδίδαξαν, παῖδες δ', οὓς ἐδίδαξα*, inter Hier. c. 12 p. 256 A seq. sermonem de auri effossione et purgatione et Greg. v. 602 p. 330 *ὡς χρυσὸν χοάνοισι καθαιρόμενον ῥυπόωντα.*

tiones veram naturam huius capitis prodant, quid imprimis caelibatus valeat, quem invenimus modo insignem libri *ad am. phil.* partem fuisse, ad explicandam originem capitis 28 ex imitatione Tertullianea, hoc totum caput correcto ope codicum Vallarsii textu accipe.

281 D
Supra in transitu, ubi nobis adversarius proposuerat Salomonem mul- **c. 28**
tinubum, qui templum dei extruxit, strictim responderam, ut per quaestio-
nes reliquas currerem. nunc ne clamitet et hunc et alios in lege patriar- **E**
cas, profetas et sanctos viros a nobis esse temeratos, proponam huic ipsius,
qui multas uxores et concubinas habuit, de nuptiis voluntatem. nemo enim
melius scire potest, quid sit uxor vel mulier nisi ille qui passus est. loqui- **282 A**
tur ergo in Proverbiis [9, 13]: mulier insipiens et audax inops panis
efficitur. cuius panis? nempe illius qui de caelo descendit. statimque
subiungit [9, 18]: terrigenae aput eam pereunt et in profundum in-
ferni incurrunt. qui sunt terrigenae qui aput eam pereunt? utique illi
qui sequuntur primum Adam, qui de terra est, et non secundum, qui de
caelo est. et rursum in alio loco [25, 20]: sicut in ligno vermis, ita **B**
perdit virum suum mulier malifica. si autem adserueris hoc de ma-
lis dictum esse coniugibus, et ego tibi breviter respondebo: quae enim mihi
incumbit necessitas venire in dubium, utrum mala, utrum bona sit futura
quam duxero? melius est, inquit [21, 9], habitare in terra deserta
quam cum uxore litigiosa et iracunda. quam rarum sit uxorem sine
his vitiis inveniri, novit ille qui duxit uxorem. unde pulchre Varius Ge-
minus sublimis orator: qui non, inquit, litigat, celeps est. — [*prov.* **C**
25, 24] melius est enim habitare in angulo tecti quam cum uxore

---

hoc caput tantum non integrum contuli in antiquissimo E (ut Senecam parum spectantia praeterieram antea f. 64r v. 1 = p. 282 D his quae dicuntur — *f. 64v v. 10 = p. 283 B* dominam suam), *integrum in 𝔷MBC, S excussi inde a p. 282 B* si autem . . . *usque ad p. 282 D* his quae dicuntur, *A inde a p. 282 B* uxor maledica . . . *usque ad p. 282 C* celebs est. *ad textum constituendum adhibui ES𝔷AC, adnotationem criticam instituens rationibus iisdem, quas invenies in recensendis capitibus I 41—49 et II 5—14 sub calce libri.*

1 transitum *E* 3 patriarchas et *v* 4 proponamus *v* huic (c. *p. r.*) *E,* 𝔷 huius *C v* 6 melius*****scire *E* potes *Ea.c.m2* n. i.] illo *v* 9 inferi 𝔷*C* 13 mulier] uxor *A et ex* mulier *C* -ifica *E forma nota ex Plauto,* -efica *Em2,* 𝔷*C* -edica *A* adseueris *S* asseueraueris *v* 14 coni. d. e. *v* 15 incunbit *E* bona an mala *A* m. an b. *C; nil offensionis habet* utrum — utrum *pro* utrum — an *sive* an — an *positum, cum* utrum *in simplici interrog. apud inferiores passim ponatur ut apud Aug.* (*Corp. Vind. LIII 441*), *Cassian., Ennod.; cf. etiam Paul. Faust. Rei. epist. 4 p. 182, 6 V.* interrogo, utrum . . . an . . . aut utrum. *Sidon. epist. IX 9, 3 p. 156, 19 Luetj.* dubito . . . utrum futura sit *v* 17 cum *om. A, s. v. add. m2* *liticsa *S* 18 inuenire *C* ducit *A* duxerit *C* 19 inquit *om. C, post* litigat *v* celeps (*ES*𝔷 celebs *AC*) *per* -e-, *etsi novit Hier. originationem a* caelo *adv. Iovin. II 37 p. 381 D, de qua cf. Reitzenstein, Hell. Wundererz. p. 144 adn. 1* 20 enim *om. SC*

maledica in domo communi. si domus communis mariti et uxoris,
erigit uxorem in superbiam et contumeliam viro facit. quanto magis, si
ditior uxor fuerit et in domo eius vir manserit. incipit enim non uxor esse,
sed domina, et viro, si offenderit, migrandum est. stilicidia eiciunt homi-
nem in die hiemali de domo sua, similiter et mulier maledica de propria
D domo [27, 15]. adsiduis quippe iurgiis et cottidiana garrulitate facit per-
pluere domum eius et eicit eum de aedibus suis, id est de ecclesia. unde
et supra ab eodem Salomone praecipitur: fili ne perfluas. et apostolus
ad Hebraeos: propterea, inquit [2, 1], debemus amplius intendere his
quae dicuntur, ne forte perfluamus. illud vero quis taceat, quod
E sub aenigmate scribitur [*prov.* 30, 15 *seq.*]: sanguisugae tres filiae
erant dilectione dilectae, et istae non saturaverunt eam, et
quartae non sufficit dicere satis est. infernus et amor mulieris
et terra quae non satiatur aqua, et ignis non dicent satis est.
si sanguisuga diabolus est, diaboli filiae sunt dilectione dilectae, quae sa-
283 A tiari in|terfectorum cruore non possunt, infernus et amor mulieris et terra
arens et ignis exaestuans. non hic de meretrice, non de adultera dicitur,
sed amor mulieris generaliter accusatur, qui semper insatiabilis est, qui
extinctus accenditur et post copiam rursum inops est, animumque virilem
effeminat, et excepta passione quam sustinet, aliud non sinit cogitare.
simile quid et in sequenti parabola legimus [30, 21 *seqq.*]: per tria mo-
B vetur terra, quartum vero non potest ferre: si servus regnet, et
stultus si saturetur panibus, et odiosa uxor si habeat virum bo-
num, et ancilla si eiciat dominam suam. ecce et hic inter malorum
magnitudinem uxor ponitur. quod si responderis, 'sed uxor odiosa', dicam
tibi quod et supra: ad hoc periculum inminet, fieri gravest [*Ter.*
Andr. 566]. qui enim ducit uxorem, in ambiguo est, utrum odiosam an
C amabilem ducat. si odiosam duxerit, ferri non potest; si amabilem, amor il-
lius inferno et arenti terrae et incendio comparatur.

Salomonem, qui tractatur hoc capite atque etiam sequentibus capitibus 29—31, cum libri Scripturae *proverbia* (c. 28), *ecclesiastes* (c. 29), *canticum canticorum* (c. 30 et 31) deinceps absolvantur, iam

---

2 si] s* (i *s. v. add. m1*) *E* 3 fuerit uxor ß 4 uiro (o *p. r.*) ß uir˙ *C* stilicidiae *E a. c.* stilli- ß *C*, *at v. Lachmann ad Lucr. p. 32 seq.* 6 perfluere *v* 7 domūs *ex* domos ß sedib; *C* 8 et *prius om.* ß supereffluas *v* 9 int. ampl. *v* 10 supereffluamus *v* 12 et (*a.* istae)] sed *v* 13 sufficiet ß 14 dič *C* dicit *v* 15 si *om. v* 22 vero] autem *C* ferri ß *p. c.*, *C* 23 bon. vir. *v* 24 inter] item inter *C* 25 sed] et ß 26 ad hoc] adhuc *C* fieri] ferri *C* *Terenti versus* at istuc (adstuc *Non. 219*) periclum in filia fieri grave est *proverbialis erat, cf. Donat. ad l. p. 181 Wessner; novata apud Hier. memoria proditur forma* periculum *medio versu posita, Terentio minus grata* 27 qui] quem *E* (*vitio volgari acc. pro nom. posito, cf. Roensch, Itala u. Vulg.*[2] *p. 418*, *Ahlquist, Studien z. mul. Chir. p. 22*) cum ß 28 duxeri*t *E*

c. 24 p. 275 A (cf. etiam c. 5 p. 244 A) Hieronymus strictim tetigerat, atque recurrere se iterum ad Salomonem initio capitis 28 ipse dicit. excursus igitur locum tenet ista iterata Salomonis tractatio, quae priorem multis partibus exsuperat, licebitque hanc rem insuper firmare toto ordine sermonis christiani capitum 5—40 breviter conspecto. qui sermo incipit a propositione Ioviniani de virginitate pari loco cum viduitate et nuptiis habenda huiusque a propositionis demonstratione Ioviniani in epitomam redacta ab Hieronymo capite 5 longissimo; sequitur interpretatio praeceptorum Pauli *epist. I Cor.* 7 complectens capita 6—15. deinde cc. 16—27 singula exempla, quae Iovinianus ex vetere et novo Testamento ad defendendas nuptias attulerat, suis rationibus redarguit Hieronymus applicans se in universum ad progressum sermonis Ioviniani (cf. W. Haller, *Iovinianus* eqs., *Texte u. Unters.* XVII 2, 1897, p. 15 adn. 2). denique cc. 33—36 interlocutiones complures adversarii respuuntur, postremo cc. 37—40 contexuntur loci Pauli, Iacobi, Petri, Ioannis in unam virginitatis suasionem (cf. Haller p. 17 adn. 3). — restant cc. 28—32, quorum c. 32 verbum *Is.* 7, 14 enarrat de virgine filium in utero concipiente, cc. 28—31 de Salomone sunt.

tripertitus igitur est christianus sermo Hieronymi; novissima parte cc. 37—40 itemque prima cc. 6—15 argumentum persequitur Hieronymus parum respiciens ordinem disserendi viasque proprias adversarii; media parte cc. 16—36 artius se ad illum accommodat exceptis tamen cc. 28—32. ergo is est locus capitis 28 in conexu totius l. I *adv. Iovin.*, quo ruisse Hieronymum in effusiorem imitationem auctoris omnino sibi placentis, Tertulliani, relicto Ioviniano libenter putaveris.

Pluribus autem rationibus aperta fit Tertullianea capitis 28 imitatio. Salomon in *proverbiis* homo uxorius questus de vita coniugali nonne singulariter opponitur Ioanni caelibi, quem infuisse libro Tertulliani modo demonstravimus? nonne cum viri virginitatem in libro *ad am. phil.* praecipuum locum habuisse apparuit, viri angustias nuptiales clarissimumque Scripturae exemplum mariti uxoribus indulgentis Salomonis ibidem eximie actum fuisse exploratum est? atque c. 13 p. 260 A seq., cum Hieronymus illo loco se nolle diligentius exsequi angustias nuptiarum edixisset, ad aliasque litteras relegaret lectorem, ubi eadem materia tumore rhetorico illustrata esset, mariti, non ma-

ritae molestiis praesertim occupatus erat: *maritus uxori placere desiderat, et ut uxori placeat sollicitus est.* citantur tamen illic eae tantum litterae, si amissum excipis librum Tertulliani *ad am. phil.*, quae feminarum potius quam virorum molestias pingunt. opera *adv. Helv. de Mar. virg.* et *epist.* 22 *ad Eustoch.* illic citata quas res promant ex materia angustiarum nuptialium feminas tantum spectantes p. 246 dictum est; praeterea quod illic laudatur Gregorii Nazianzeni carmen *παρϑ. ἔπ.*, ne Gregorius quidem multum curavit viri molestias contentus brevissime tetigisse eas v. 626 seq. p. 332; contra longius versatus est in puellis afflictis viduitate, partus doloribus, mariti improbitate v. 625 seq., 632 seqq., 638 seqq., praeter quod agitavit v. 483 seq. p. 324 et v. 636 seq. p. 332 locum de liberis in curas parentum natis pariter sane ad patres et matres pertinentem (v. supra p. 197). ad summam, qui inter libros christianos c. 13 p. 260 B citatos habeatur, in quo praeter mulierum molestias maritus vexatus ab uxore litigiosa et iracunda coloribus uberibus et ferventibus depictus fuerit, nullus restat nisi liber amissus Tertulliani *ad am. phil.*[1])

Denique pars magna fiduciae, qua c. 28 imitatione Tertullianea imbutum esse arbitror, ex sermone contentioso et paene causidicali capitis redundat. nempe de Tertulliano adulescente *ludente* in libro *ad am. phil.* de angustiis nuptiarum verbum Hieronymi c. 13 sic supra p. 248 seq. interpretatus sum, ut ad spinas et ampullas rhetorum prolixe huic libro tribuendas referrem. atque imaginem adumbratam curiose ut mente captes rationis illius contentiosae libri *ad am. phil.*, verbo *ludendi* ab Hieronymo notatae, evolve imprimis ipsius epistulam 14 *ad Heliodorum monachum,* cuius naturam *ludendi* verbo eodem quo Tertulliani librum Hieronymus iterum *epist.* 52, 1, 1 significavit. sermo per syllogismos procedens, interlocutiones, responsiones, quae epistulae *ad Hel.* propria sunt, recurrunt in libri I *adv. Iovin.* capite 28. et cum universus habitus epistulae *ad Hel.* tamquam genus quoddam sermocinandi Tertullianeum sit, tum in hac epistula trium Tertulliani librorum imitatio *ad mart.* 3 (v. Hier. 2, 1), *de cult. fem.* II 12 (5, 3), *de spect.* 30 (11, 2) retecta est.

---

1) mariti molestiae nuptiarum omnino rarius a christianis depictae sunt quam feminarum. depinxit tamen verbi gratia Ps.-Cyprian. *de singul. cler.* 6 p. 179 V.; qui quod Salomonem ipse quoque producit, vides quam dissimile veri sit, de mariti angustiis nuptiarum Tertullianum egisse Salomone spreto.

porro quamvis longum sit artem cavillandi in c. 28 obviam illustrare arcessitis undique ex Tertulliani operibus cavillationibus consimilibus, exemplum tamen afferam insistens Salomonis lectioni p. 282 E *prov.* 30, 16 et cavillationibus Hieronymi, quae ex ea pendent. his enim effecit Hieronymus, ut Salomonis verba sic sonarent in suo sermone, tamquam matrimonium potius probissimum et coniugium civile damnarent quam Venerem spurcam et mulierem odiosam. ac plane eiusdem fallaciae cavillationes transcriptas ex servatis operibus Tertulliani tibi dabo in Hieronymo. velut in *epistula* 123 *ad Ageruchiam*, plena variorum imitatione librorum Tertulliani, c. 6 p. 904 D perpetravit Hieronymus, ut apostoli praeceptum *ad Tit.* 1, 5 seq. de presbyteris eligendis ex monogamis dimicaret pro decreto, ut laici quoque tenerentur praeceptis monogamiae, hac captione argutissima: *laicus . . . talem praebere se debet, ut possit eligi in sacerdotium. non enim eligitur, si digamus fuerit. porro eliguntur ex laicis sacerdotes. ergo et laicus tenetur mandato, per quod ad sacerdotium pervenitur.* haec captio non crevit in horto Hieronymi, mera Tertulliani est, v. *de exh. cast.* 7 *una fides, una et disciplina. usque adeo nisi et laici ea observent per quae presbyteri alleguntur, quomodo erunt presbyteri qui de laicis alleguntur? ergo pugnare debemus ante laicum iussum a secundo matrimonio abstinere, dum presbyter esse non alius potest quam laicus semel fuerit maritus.* ac deprehenduntur etiam in ipso opere *adv. Iovin.* captiones istae causidici Tertulliani in Hieronymum delapsae. velut l. I c. 7 et 9 circa Pauli verbum *I Cor.* 7, 9 *melius est enim nubere quam uri* argumentationem dialecticam, qua apostolum per se bonum non esse coniugium docuisse Hieronymus intendit, p. 26 seq. exscripsi ad compilationem Tertullianeam Hieronymi generaliter illustrandam. praeterea l. II c. 15 p. 350 D omnino non concessisse Paulum vini potionem concludit Hieronymus sophismate usus periculosissimo ex *epist. I Tim.* 5, 23 *noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum* his verbis: *cui autem dicit, iam noli aquam bibere, ostendit eum aquam ante potasse. quod non concederet, nisi crebrae infirmitates et dolor stomachi postulassent.* quod sophismation recurrit in libro Tertulliani *de ieiun.* 9 p. 285 seq., ubi in hanc desinit sententiam Tertullianus: *hoc ipso abstinentiam vini dignam deo suasit, quam ex necessitate dissuasit.*

at desisto longius exponere, captiosis capitis 28 Scripturae inter-

pretationibus indicari imitationem Tertullianeam; nemo nescit quantum momentum habuerit ad artem scribendi Hieronymi causidicalis ratio Tertulliani.[1]) nec vero hunc conexum cum Tertulliano occultabat Hieronymus; qui cum 'γυμναστικῶς' in opere *adv. Iovin.* multa dixisse se confessus sit in *apologetico* eiusdem operis (*epist.* 49 = 48 Vall.) 13, 1, inter auctores, ad quos se in eo genere scribendi applicaverit, Tertullianum ibid. 4 nominavit.

5

Salomon igitur uxorius, vexatus angustiis nuptiarum, magna pars erat christiani sermonis libri *ad am. phil.*, cuius de exemplis et fragmentis christianis ex Hieronymo eliciendis, quantum potui, dixi. ceterum quae de hoc libro habeo, ne nunc quidem absolvi; redeo eo, unde egrediebar libri fragmenta colligens, ad eruditionem saecularem. nempe in eodem capite 28 Hieronymi, quod de Salomonis angustiis nuptiarum est, quae nullo modo afuisse possunt a Tertulliani libro nobili angustiis nuptiarum mariti felicissime depictis, p. 282 B Varii Gemini oratoris Augusteae aetatis apopthegma de caelibe legitur: *qui non litigat, caeleps est.* de quo apopthegmate iam quaero, utrum una cum captionibus a Salomonis *prov.* proficiscentibus ex Tertulliano in opus *adv. Iovin.* descenderit, an reliquae copiae Hieronymi tribuendum sit. velut versum Terentianum leniter transformatum *Andr.* 566 memoriter Hieronymus p. 283 B interpretationibus captiosis Scripturae admiscuit et p. 283 A Sallustium *Cat.* 11, 3 imitatus est.

Atque quaestio de origine apopthegmatis Varii Gemini accessio non est fragmentorum christianorum iam collectorum libri *ad am. phil.*, immo — si verum vis — Gemini gratia christianis quaestiunculis de Ioanne et Salomone tantum spatium concessi. quanta enim saecularis eruditio libro Tertulliani infuerit, ex disputatione de apopthegmate Gemini demum plene elucebit. praesertim autem de Senecae fragmento disceptatio est, cum agitur de origine apopthegmatis Gemini in Hie-

1) cf. Harnack, *Sitzungsb.* l. l. p. 555 'für diese Seite an Tertullian, seine Antithesen und Pikanterien, seinen Witz und Spott, seine heißblütige Lebhaftigkeit und advokatische Dialektik ('scribere γυμναστικῶς' . . .) hatte Hieronymus besonderes Verständnis.' — genus scribendi causidicale Tertulliani facunde descripsit Heinze, *Tert. Apolog.*, *Ber. d. S. G., Ph.-h. Kl.* LXII (1910) p. 484 seqq.

ronymo. cuius apopthegmatis occurrentis media in christiana parte sermonis nuptialis libri I certam esse sane alii originem Annaeanam putant, Haase (v. frg. 60), Bock (l. l. p. 16), Grossgerge (l. l. p. 36). nec vero refragatur apopthegma Gemini argumento dialogi *de matr.*, quale in prioribus capitibus definivi et definietur c. VII. lites coniugales commemoratae erant in hoc dialogo, quae memorantur etiam in libris *de brev. vit.* (d. X) 3, 2 *duc quantum ex isto tempore ... abstulerit ... lis uxoria*, *de ira* III 33, 1 *propter hanc (pecuniam) uxorum maritorumque noctes strepunt litibus, de rem. fort.* 15, 4 *foediores divortio male cohaerentium rixas.* accedit quod ipsius Gemini facete dictum legitur in Senecae *epist.* 40, 9 *nam Geminus Varius ait: 'quomodo istum disertum dicatis nescio: tria verba non potest iungere'.* hinc rationem optimam putaveris esse, qua Haase eiusque sectatores apopthegma Gemini in Hieronymo ad auctoritatem Senecae rettulerint. atque iam in christianae partis l. I c. 28 Senecam adhibitum esse ab Hieronymo forsitan etiam tibi persuaseris collata huius capitis lectione p. 282 B *quae enim mihi incumbit necessitas venire in dubium, utrum mala, utrum bona sit futura quam duxero* cum sententia ex Seneca delapsa in Hieronymum Epicuri c. 48 p. 318 A *grave autem esse viro sapienti venire in dubium, utrum malam an bonam ducturus sit* (v. c. VII 5).

Omnia corrasi quae possint afferri pro Haaseo ex Gemini verbo frg. 60 Senecae faciente. iam vero accipe, cur illi ut astipuler, non a me impetrem exque certis Senecae fragmentis Geminum relegem in locum dubiorum.

Oratorum Augusteae aetatis eorum Geminus est, quorum memoria operibus patris Senecae *contr.* et *suas.* paene solummodo propagatur; apud hunc uberrima Gemini memoria est. quocirca quod Grossgerge l. l. dicit, inde facile cognosci Geminum ex Senecae dialogo in Hieronymum venisse, quia 'saepissime Seneca illum Varium Geminum commemoret', putes medii aevi hominem loqui, qui patrem Senecam a philosopho non distinxerit. reapse loco illo *epist.* 40, 9 uno a Sen. phil. Varius Geminus respicitur, ac ne hoc quidem in re morali, sed in rhetorica, ubi de dicendi velocitate philosophum male decente sermo est. neque hoc casui tribuo; nam etiamsi plurimum debeat Sen. phil. oratoribus istis Augusteae aetatis, quorum sententias, divisiones, colores pater Sen. filiis tradidit, in locutionibus, de-

scriptionibus, communibus locis (v. E. Rolland, *De l'infl. de Sén. le p. et des rhét. sur Sén. le phil., Univ. de Gand, Rec. de travaux* 32, 1906; C. Preisendanz, *De Sen. rhet. apud phil. fil. auctoritate, Philol.* LXVII, 1908, p. 68 seqq.), tamen apopthegmatis eorum oratorum ad approbandas res morales uti noluit. sic fit, ut mentio qualis in Hieronymi c. 28 est Varii Gemini cogat nos utique meminisse rhetoris Senecae, filii philosophi non item. immo pauci tantum eorum oratorum, quos Seneca pater in *contr.* et *suas.* sollemniter appellat, appellantur saepius in filio, nullique fere nisi ii, qui ab arte rhetorica in philosophiam aut in aliam scribendi provinciam, diversam utique a rhetorica, declinaverunt. velut Papirius Fabianus persaepe a Sen. patre dictus adulescens tantum declamando excellebat, postea disputando, cuius scripta moralia et naturalia manibus trivit Sen. philosophus. deinde Crispi Passieni apopthegmata quaedam Sen. phil. *de benef.* I, 15, 5 et *nat. quaest.* IV a praef. 6 exhibet; at Passienus iste distinguendus est ab avo ipsius, cuius sententias, divisiones, colores Sen. pater propagavit (v. Schanz, *R. L.* II 1³ p. 493); nepotem magis propter subtilitatem iudicii et castigata ab eo vitia quam propter declamandi artem adamavisse Sen. phil. ex *nat. quaest.* l. l. intellegitur. similiter Furnius ille, cuius Sen. *de benef.* II 25, 1 dictum elegans refert, oratoris nomen multo minus quam pater ipsius C. Furnius meruit. nam etiamsi Hieronymus *chron. a. Abr.* 1980 (II p. 139 Sch. p. 159 Helm) habet *Furnii pater et filius clari oratores habentur,* tamen cognitum dudum est a vero Hieronymum recedere (v. *Realenc.* VII 377); *historiarum* fide et elegantia Furnius filius magis claruit quam arte oratoria; virtute bellica potius quam divisionibus et coloribus vir consularis eminuit. ceterum Sen. rhetor nullam Furniorum sententiam tradit. deinde Bassi Aufidii historici sententiae rhetoricae nonnullae in Sen. *suas.* 6 sunt; at de Basso Sen. phil. *epistulam* 30 ut scriberet, id effecerunt Epicuri praecepta a Basso observata. Asinium Pollionem, cuius memoria item in Sen. patre atque in filio viget, inter philosophiae scriptores latinos secundum locum obtinere existimat filius *epist.* 100, 9; certe Pollio comptum dicendi genus, figuras, numeros despiciebat maxime. e contrario Corvinum Messalam eloquentia et arte oratoria hominem praecipue insignem multis locis Sen. pater, paucis tantum filius commemoravit; facete dictum Messalae in satura, cuius sermo proprius est, *apoc.* 10, 2 adhibuit. Mamercus Aemilius Scau-

rus, orator a Sen. phil. una cum patre auditus (v. *contr.* X praef. 2), cuius lepidum dictum Sen. *epist.* 29, 6 reddit, cuiusque impuritatem denotat *de benef.* IV 31, 3 seqq., etiam extra forum tragoedia *Atrei* laesoque in ea Tiberio Caesare nomen adeptus est. denique mirum fit, quod Iunium Gallionem declamatorem Sen. phil. nullo loco memoravit, qui amicitia intima cum Sen. patre coniunctus, multifariam ab eo citatur, quique fratrem philosophi Novatum adoptaverat.[1]) atque adeo veri oratores ut Varius Geminus[2]), P. Vinicius, Asellius[3]), Q. Haterius, praeter rhetoricam nullam tangentes partem litterarum, tantum in *epist.* illa 40, quae de recto dicendi cursu oratorio est, in sermonem inducuntur.

Cras igitur ad Sen. phil. confugiam, ut originem apopthegmatis Gemini in Hieronymo explicem. nemo spero mihi opprobrio dabit, si prius ex patris Sen. scriptura rhetorica, quae quidem ex parte tantum diem tulit, plena memoriae Gemini, quam ex philosopho Seneca Geminum deducere temptem. sic autem altius fundamentum parabo opinionis de auctoritate Senecae rhetoris in libro I *adv. Iovin.*, ut reliquam memoriam rhetoris in Hieronymo adeam. Hieronymus enim in libri *contra Iohannem Ierosolymitanum* c. 12 t. II p. 419 C seq. Vall. de Q. Haterio oratore aequali Gemini iudicium Caesaris Augusti exhibet, cuius iudicii praeter Hieronymum unicus testis pater Sen. *contr.* IV praef. 7 est. simul eodem loco *c. Ioh.* 12 Hieronymus de Haterio locutus etiam altera dictione patrem Senecam imitari videtur. huius igitur loci libri *c. Ioh.* originem proprio sermone tractare necessarium est.

Hier. c. Ioh. 12:

en Lysias noster, en Gracchus et ut aliquid de neotericis inferam, Qu. Aterius, qui ingenium in numerato

Sen. contr. II 5, 20:

de hoc eleganter dixit divus Augustus: 'L. Vinicius ingenium in numerato habet'.

---

1) Gallio frater Senecae, ad quem nonnulla opera philosophi missa sunt, inter rhetores refertur, *egregius declamator* vocatur ab Hieronymo *chron. a. Abr.* 2080 (II p. 155 Sch. p. 183 H.) confundente videlicet patrem adoptivum, oratorem celeberrimum, cum filio (cf. Schanz, *R. L.* II 1³ p. 485 adn. 2. Quint. *inst.* III 1, 21 *scripsit de eadem materia . . . non nihil pater Gallio*).

2) cursum honorum Varii Gemini tituli narrant CIL. IX 3305 et 3306, cf. *Pros. imp. rom.* t. III p. 385 n. 187.

3) Asellius non confundendus est cum Arellio Fusco, nobilissimo rhetore; quamquam Asellius quoque in Sen. patre occurrere videtur, cf. *Realenc.* II 1532.

habebat, ut sine monitore tacere non posset: de quo egregie Caesar Augustus: 'Quintus', inquit, 'noster sufflaminandus est'.

ibid. IV praef. 7:
itaque divus Augustus optime dixit: 'Haterius noster sufflaminandus est'.

Luebeck, *Hier.* eqs. p. 204 reddi suspicatur hoc loco ab Hieronymo lectiones patris Senecae duas quas exscripsi, cum Hieronymus in eo falsus memoria fuisset, ut de Vinicio verbum Augusti confunderet cum eiusdem Augusti iudicio de Haterio. nec haec Luebeckii opinio, etiamsi accommodata quodammodo sit opinioni meae de apopthegmate Gemini redeunte ad primariam auctoritatem patris Senecae, tamen ab omni scrupulo remota est. primum phrasin *habendi ingenium in numerato* Quintilianus quoque profert *inst.* VI 3, 111 *dictum est . . . de actore facile dicente ex tempore ingenium eum in numerato habere.* quae phrasis si proverbialis fuit, in ea consensus Hieronymi et patris Senecae minus memorabilis est. praecipue vero Haterii oratoris notitiam hausit Hieronymus altero loco, ubi eum memorat *chron. a. Abr.* 2040 (II p. 147 Sch. p. 172 H.), ex Suetonio (cf. Reifferscheid, *Suet. rel.* p. 85, *de orat.* frg. 10); inde dubito an etiam in libro *c. Ioh.* Suetonio Haterium debeat. loco autem in tabella proposito libri *c. Ioh.*, perorationi capitis 12, antecedunt in eodem capite alia exempla ex historia eloquentiae veterum petita, quorum exemplorum unum utique — si interim Haterianum sepono — Suetonio etiamnunc tribuo. sed de Suetonii auctoritate in c. 12 libri *c. Ioh.* iudicare arduum est, nisi si capitis exempla inspiciuntur omnia. inde excursu totam eruditionem capitis ad fontes refero.

Hieronymus eo animo exempla quaedam ex historia eloquentiae in caput *c. Ioh.* 12 congessit, ut Ioannem episcopum Ierosolymitanum suggillaret, qui gloriatus erat 'se quadam die, cum praesens lectio evangelii provocasset, audiente Epiphanio episcopo Cyprio et universa ecclesia, de fide et omnibus ecclesiasticis dogmatibus disputasse'. hac loquendi ex tempore sollertia Hieronymus quod a Ioanne superari dicit irridendo p. 419 A Gorgiam Leontinum, quem *cuncti philosophi et oratores lacerent, quod ausus sit publice sella posita polliceri responsurum se, de qua quisque re interrogare voluisset,* tu cf. Plat. *Γοργ.* p. 447 C et *Μέν.* p. 70 B seq. deinde Demosthene arcessito sic pergit illudere Hieronymus Ioannem p. 419 C *nunc est mirari Demo-*

sthenem, qui pulcherrimam orationem contra Aeschinem multo tempore dicitur exarasse. quae memoria Demosthenis eatenus offensione caret, ut illius vigiliae et labores assidui noti sint quibus in publicum prodituros orationes excoluerit (cf. Blass, *Die att. Bereds.* III 1^2, 1893, p. 74 seqq.), nec non anni aliquot consumpti sint inter Ctesiphontem ab Aeschine in ius vocatum et defensum a Demosthene oratione, quam longe optimam veteres habent (cf. Cic. *orat.* 26. 133. Dion. H. *π. συνϑ. ὀνομ.* 25 p. 204. Hier. *epist.* 53, 2, 2). ceterum testimonium Hieronymi de multo tempore consumpto in exaranda oratione adversus Aeschinem singulare est.[1]) tertio exemplo, quod excipitur memoria in tabula exscripta Haterii neoterici, Hieronymus utitur ad carpendum Ioannem Cicerone: *frustra suspicimus Tullium; refert enim Cornelius Nepos se praesente iisdem paene verbis, quibus edita est, eam pro Cornelio seditioso tribuno defensionem peroratam.*[2]) atque hoc fragmentum Nepotianum, oriundum ex libris perditis Nepotis *de vita M. Tullii Ciceronis* (cf. Peter, *Hist. rom. rel.* t. II p. 34), intercedente Suetonio in Hieronymum venit. omnis enim memoria Nepotianae vitae Ciceronis nititur duobus locis, hoc Hieronymiano et Gelliano altero XV 28, 1. Gellianum testimonium merito Reifferscheid, *Suet. rel.* p. 424 assentiente Petero l. l. p. LIV seq. ex Suetonii opere *de viris illustribus* deduxit. idem ego facio cum testimonio Hieronymi; nam Hieronymus caret lectione ipsius Cornelii Nepotis, citatur ab eo Nepos praeter hunc locum tantum in catalogo scriptorum biographicorum operis *de viris illustribus*, qui ex Suetonio fluxit (v. p. 136 adn. 1).

itaque Haterius *c. Ioh.* 12 aggregatus Suetoniano fragmento Nepotis legitur, Haterium Suetonius Hieronymo *chron. a. Abr.* 2040 sug-

---

1) quod testimonium nemo usurpavit ad promovendas quaestiones contortas circa originem orationis Demosthenicae, de quibus v. Arn. Schaefer, *Dem. u. s. Zeit* t. III 2 (1858) *Beilage* 4 p. 72 seqq.; A. Kirchhoff, *Über die Redaction d. Dem. Kranzrede, Abh. d. Berl. Ak.* 1875 p. 59 seqq.; W. Fox, *Die Kranzrede d. Dem.* (1880) p. 213/7; Blass l. l. p. 430 seqq. — equidem item ut Haterianum et Nepotianum locum capitis 12 *c. Ioh.* (v. infra) testimonium quoque de Demosthene ad Suetonium revoco.

2) huic verbo Nepotis refragatur Plinius *epist.* I 20, 8 *idem . . . ait se . . . pro C. Cornelio quadriduo egisse, ne dubitare possimus, quae per plures dies, ut necesse erat, latius dixerit, postea recisa ac repurgata in unum librum grandem quidem, unum tamen coartasse.* — reapse Cicero actiones quattuor in orationes duas contulit, v. C. F. W. Mueller ed. Cic. IV 3 p. 241. Muenzer, *Realenc.* IV 1254.

gessit. unde nolo Luebeckio accedere sumenti rhetorem Senecam ipsum imitatione expressum esse ab Hieronymo *c. Ioh.* 12; immo alia ratione consensum inter Sen. *contr.* et Hieronymum *c. Ioh.* declaro. nimirum apopthegma Augusti de Haterio ortum trahit illud quidem ex Seneca rhetore, sed Suetonio intercedente auctore medio. inter fontes Suetonii rhetor Seneca fuit. quomodo usus sit Suetonius gazis Senecae rhetoris, describentis curiositate exactissima aequales suos artis professores, perspicitur egregie ex vita Suetoniana C. Albucii Sili *de gr. et rh.* 30 collata cum Sen. *contr.* VII praef. recte Leo proclamavit *Die gr.-r. Biogr.* p. 139 seq. eandem rationem inter Laertium Diogenem et eius auctores intercessisse atque inter Suetonium et patrem Senecam.[1])

Ab excursu facto in Senecae patris memoriam in opere *c. Ioh.* revertor ad l. I *adv. Iovin.* et Varium Geminum ex Sen. rhetore derivandum, non ex Sen. philosopho. qui excursus de Haterio si interrogas quid doceat de Gemini apopthegmatis origine in Hieronymo, respondendum hoc est: laetum esse Hieronymum frustulis patris Senecae, sed ex lectione mediorum auctorum illum accepisse. quocirca *adv. Iovin.* I 28 in Gemini apopthegmate is auctor quaerendus est, qui illic vice Suetonii stat et partes easdem obtinet, quas in Augusti apopthegmate de Haterio *c. Ioh.* 12 obtinet Suetonius. quid multa? cum supra iniudicatum reliquerim, utrum Geminus una

---

1) praeter *c. Ioh.* 12 alia vestigia Sen. *contr.* sive *suas.* in Hier. nimis incerta sunt, de quibus v. Luebeck, *Hier.* p. 204 adn. 4 et p. 115 adn. 4. Publilii versum T 4 Meyer *tam deest avaro quod habet quam quod non habet*, allatum a Sen. *contr.* VII 3, 8 adhibuit Hieronymus *epist.* 53, 11, 2 et 100, 15, 2. at Quintilianus quoque, cuius imitatio Hieronymiana est maxima (cf. Luebeck p. 213 seqq.), versum laudat IX 3, 64. aut igitur ex Quintiliano innotuit Hieronymo aut ex ipso Publilio, cuius de memoria occurrente in Hier. cf. supra p. 10. praeterea quod contra invidos locutus Asinium Pollionem Hier. *adv. Rufin.* I 30 t. II p. 485 B seq. Vall. cum Luscio Lanuino Terentii obtrectatore copulat, praeclarum invidiae Pollionis in Ciceronem exemplum Sen. *suas.* 6, 27 offert. sed quanto livore Pollio in Ciceronem, Iulium Caesarem, Sallustium, Livium invectus sit, etiam alii veteres narrant, quorum praeter Suet. *de gramm.* 10 nomino Quint. *inst.* I 21, 22, unde item sumere Hier. potuit (v. Zielinski, *Cic. im Wandel d. Jahrh.*[3], 1912, p. 11 seqq. Schanz, *R. L.* II 1[3] p. 26 seq.). denique contulit Sen. *contr.* I 8, 15 *patrem calca* et Hier. *epist.* 14, 2, 3 *per calcatum perge patrem* Bornecque, *Les déclamations et les déclamateurs d'après Sén. le père* p. 123. postremo v. p. 274 adn. 1 et p. 283 adn. 1.

cum captionibus in Salomone haerentibus ex Tertulliani libro *ad am. phil.* fluxisset, an ab ipso Hieronymo spinis Tertullianeis additus esset, verum illud est. ut Tertulliani librum de angustiis nuptiarum apopthegma Gemini de caelibe libero a lite uxoria propter argumentum decet magnopere, sic rhetoris Senecae lectio scriptori scholastico Tertulliano valde convenit. atque non flocci facio, quod adhuc nulla imitatio altera Senecae rhetoris in Tertulliano retecta est. nam consensus, quem indicavit H. Bornecque, *Les déclamations* eqs. (*Univ. de Lille, Travaux* eqs. I, 1902) p. 81 adn. 4, Tertulliani vocem *apol.* 4 *iniquam ex arce dominationem* comparans cum mentionibus *arcis* Sen. *contr.* II. 5, 3; III 6, al., ad locum communem tyrannidis pertinet (cf. Oehler ed. Tert. ad l.). nec Mamerci Scauri commemoratio Tertulliani *de pall.* 5 *impuritati Scauri* proprium colorem trahit ex patre Seneca permulta de Scauro habente, at tacente infamiam eius, quam perhibent Sen. phil. *de benef.* IV 31, 3 seqq. et Tacitus *ann.* III 66. verum omnino viguisse usum rhetoris Senecae posterioribus saeculis a Bornecquio abunde illustratum est (cf. l. l. p. 29 seqq.: *Le succès du livre* et p. 122 seq.; item *Sénèque le rhéteur*, Paris. 1902, t. I p. 294 seqq., t. II p. 357 seqq.). Quintiliani et Ps.-Quintiliani nec non Calpurnii Flacci *declamationes* notitiam Senecae rhetoris produnt, item epitome *controversiarum* saec. IV constituta probat, tunc quoque id opus delectavisse plurimos.

atque in Africa, Tertulliani patria, ubi scholastica studia aetate imperatoria maxime florebant, rhetoris Senecae memoriam assidue cultam fuisse, documento etiam est a Bornecquio praetermissus Augustinus *de civ.* XVI 20 p. 161, 21 seqq. *consuetudo, ut, quando terrenorum aliquid partiendum est, maior dividat, minor eligat* collatus cum Sen. *contr.* VI 3 *maior frater dividat patrimonium, minor eligat*, ibid. *lex iubet maiorem dividere, minorem eligere.* quae regula popularis, etsi recurrit apud Sulpicium Victorem *rhet.* 38 p. 336, 10 seq. Halm et Graecorum Cyrum t. VIII p. 388, 7 seq. Walz, tamen in nulla legitur controversia nisi in ea, in qua etiam apud Senecam *mater nothi lecta pro parte*; inde latinus saltem rhetor Sulp. Victor ad Senecam redit, praesertim cum regula ista non iuris nec graeci nec romani sit, sed commenticia rhetorum alibi non tradita (Bornecque, *Sén.* I 344).[1])

---

1) similiter atque equidem *controversiam* Senecae compilatam esse a Tertulliano dico, ecclesiasticorum scriptorum Firmicus Maternus *de err. pr. r.* c. 17

Sequitur ut de sede qua apopthegma Gemini usum sit in scriptura perdita Sen. rhetoris, certiora indicem, occurrens nonnullis, quae contra ortum fragmenti ex Sen. rhet. proque ortu ex Sen. phil. mihi obici possunt. nam non defore scio qui increpent me, quod a Senecae philosophi dialogo *de matr.* apopthegma Gemini prohibens tam bonam occasionem praetermiserim id apopthegma reddendi sedi propriae, cum nuptialis sermo patris Senecae tantum in coniectura incerta haereat. at vituperatoribus quae respondeam habeo. mutila nimirum nec nisi ex minima parte excerpta traditur patris Senecae *controversia* VI 8, acta de virgine Vestali rea incesti, cum hunc versum sacerdos scripserit: *felices nuptae! moriar nisi nubere dulce est.* quae controversia si praeter colores et sententias divisiones continuit, in ea deesse aegerrime potuit divisio, qua de ipso versu, sensu eius et approbatione morali prius quaereretur quam de virgine versum scribente. unde ut nuptas non felices, ut Vestalis dixit, sed infelices et litigiosas diceret, illic se obtulit Gemino occasio optima. atque Geminum in *contr.* VI 8 dicentem fuisse copiosius certum est, cum excerptum quod diem tulit, abrumpatur incipiente declamare Gemino: *Varius Geminus apud Caesarem dixit: Caesar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant, qui non audent, humanitatem.*[1]) nempe is qui tam graviter praelusit, causam peroravit uberrime. itaque antequam in controversia de Vestali factum Vestalis ut indignum castitate et sacerdotio Vestae reprehendisset, ipsam versus sententiam quasi plenam fraudis rationisque falsae impugnaverat Geminus impertiens laudes caelibatui exsecrensque apopthegma scurrile servatum ab Hieronymo; sane mos erat Gemino ex verbo Sen. *suas.* 6, 12 scurrilia inserere sententiis. simul relego propter divisionem et colores tribuendos Gemino in mutilata *controversia* de Vestali ad sermonem Gemini in *controversia* de patre servo suo filiam collocante VII 6, 17; quo insuper id apparet, quanto studio in rebus nuptialibus Geminus versatus sit apud patrem Senecam: *Varius Geminus factum ipsum defendit: magnos viros fecisse, ut libertinas uxores ducerent. M. Cato, inquit, coloni sui filiam duxit uxorem. 'sed ingenuam'. respondeo: sed Cato; plus interest inter te et*

Ps.-Quintiliani *declamationem* 4 usurpavit (cf. C. Weyman, *Berl. Ph. Woch.* t. XXIX, 1909, p. 780).

1) cf. Hier. *epist.* 15 (*ad Damasum*) 2, 1 p. 63, 15 H.: *quamquam igitur tui me terreat magnitudo, tamen invitat humanitas.*

Catonem quam inter libertum et colonum. quam multa commoda haberet subiectus et obsequens maritus: non petulantiam timebit, non verborum contumeliam, non paelicem, non repudium. filiam meam domi semper habebo; quam eo magis desidero, quod adeo diu ab illa afui. deinde factum liberti laudavit. ceterum Geminum in controversia de virgine Vestali coram Augusto Caesare, auctore legum Iuliae de maritandis ordinibus et Papiae Poppaeae, caelibatum laudibus sustulisse, cum declamavisset pro castitate Vestalium, credibile est.[1])

6

Fortasse iam pari lance pendere concedis sententias, et meam de patre Seneca fonte apopthegmatis Gemini in Hieronymo, et priorum Senecae phil. *de matr.* apopthegma ascribentium. unam tamen adhuc remanere intemptatam stationem Haaseo aliis inter fragmenta Sen. phil. Gemini apopthegma recipientibus ipse fateor. etiamsi optima sedes sit in scriptura Sen. rhetoris fragmenti Gemini *controversia* mutilata VI 8, tamen dialogum philosophi in libro I *adv. Iovin.* constare passim adhiberi etiam aliis locis, de usu *controversiae* VI 8 in libro I *adv. Iovin.* alias constare nihil. inde planiorem multo atque faciliorem sententiam Haasei de origine apopthegmatis quam meam evadere.

at huic quoque interlocutioni affatim respondere possum. utramque enim rem iam probaturus sum: nullum vestigium dialogi *de matr.*, si interim excipis verbum Gemini, adesse in christiana parte libri I *adv. Iovin.* inde ab initio libri usque ad c. 41 eosque falli qui secus senserint; e contrario patris Senecae *controversiam* VI 8 non modo in christiana parte libri I c. 28 apparere, sed etiam in eruditione ethnica christianae parti adnexa, ita ut dialogum philosophi in quaestione de origine apopthegmatis Gemini nullo nomine praeferre liceat patris *controversiae*; immo haec, utpote quae Tertulliano intercedente in Hieronymum venerit, evadat maxime idonea, cuius memoriam simul christiana, simul ethnica pars libri I *adv. Iovin.* servaverit.

Strictissime igitur percurram omnem utique eruditionem saecu-

1) argumentum *contr. exc.* VI 8 cognatum est cum narratione Livii IV 44, 11 seq. de Vestali Postumia rea facta propter ingenium liberius et cultum amoeniorem, cf. Bornecque, *Sén.* I 347.

larem in sermone christiano capitum 1—40 de virginitate et nuptiis, ex suo quamque fonte repetens eruditionem ecclesiastici, ne quis ullo loco dialogum Senecae in censum vocet. sententiam autem c. 7 p. 246 E seq. *narrant et gentilium fabulae Mithram et Ericthonium* (*-cth-C -chth- E*) *vel in lapide vel in terra de solo aestu libidinis esse generatos* ad Senecam Bock, *Arist.* eqs. p. 16 referebat. qui quod ad Ericthonium attinet, non vidit, quod interim perspexit Frid. Lammert, *de Hier. Donati discipulo, Comm. phil. Ienens.* IX 2 (1912) p. 29 ex scholastica eruditione Hieronymum fabulae notitiam traxisse, quae legitur in Servio aucto qui dicitur passim pendente a Donato, magistro Hieronymi, *ad georg.* I 205 *Erichthonium, qui natus est ex semine Vulcani, quod, dum stuprum Minervae inferre conatur, fudit in terram.* deinde quod Mithrae e lapide nati commemorationem ex Seneca deducebat, mira inscitia Bockii est. nam quamquam sacra Mithriaca Romanis statim ex piratis Cilicibus a Pompeio Magno superatis innotuerunt (Plut. *Πομπ.* 24), tamen in litteris romanis nulla eorum mentio est ante Statium *Theb.* I 719 seq., demum sub Flavia gente constat Mithram Romae increbuisse (v. Cumont-Gehrich, *Die Myst. d. Mithra*², 1911, p. 34). sic fit ut fabulae testimonia dei ex lapide nati antiquissima non ascendant ultra saec. II christianum, quorum pleraque deberi auctoribus christianis docet eorum collectio instituta a Cumont, *Lex. d. gr. u. r. Myth.* II 2 p. 3046. rem a Iustino mart. *πρὸς Τρύφ.* 70 primo omnium traditam, repetitam a Firmico Materno *de err. pr. r.* 20 et Commodiano *instr.* I 13, 1, quibus ex litteris Hieronymus petiverit, dubitatio nulla est. omnino quae erat aetas Hieronymi, summa ei suppetebat scientia superstitionis Mithriacae, quam ebulliit etiam *epist.* 107, 2, 2; Senecam in hac re advocare absurdum est, nil Senecae cum Mithra.

Eodem autem modo atque Mithras et Ericthonius etiam reliqua documenta doctrinae saecularis in christiana parte libri I aut ex litteris christianis aut ex scholastica Hieronymi eruditione satis explicantur; ubi vero philosophica eruditio comparet, ibi probabo eam esse oriundam a contemporalibus Hieronymi philosophis neoplatonicis, non a Seneca.[1])

---

1) omnem eruditionem saecularem cc. 1—40 corradens ne ornamenti quidem gratia allatos scriptores ethnicos expressosve imitatione omitto. in prooemio c. 1 p. 238 A Horatianum *de arte p.* 139 leniter mutatum cum Persiano *sat.* 3, 117 seq.

Primum absolvo scholastica. cum Heraclito Iovinianum comparavit Hieronymus propter dicendi genus c. 1 p. 238 A *Heraclitum quoque cognomento σκοτινὸν sudantes philosophi vix intellegunt. sed quid ad nostrum αἰνιγματιστήν, cuius libros multo difficilius est nosse quam vincere?* mentionem Heracliti, quem pro exemplo obscurae elocutionis Hieronymus etiam *adv. Rufin.* I 30 t. II p. 487 B Vall. posuit, ad certum auctorem nemo referet; de Sen. *epist.* 12, 7 epitheton σκοτεινός vitante cf. p. 116; Cicero habet *de fin.* II 15 *Heraclitus cognomento qui σκοτεινὸς perhibetur, quia de natura nimis obscure memoravit.* in Eusebio graecum epitheton σκοτεινός reddidit Hieronymus *chron. a. Abr.* 1517 (p. 101 Sch. 107 H.) per *tenebrosus*; omnino graeci patres passim Heraclitum σκοτεινὸν vocant; cf. e. g. Clem. Alex. στρωμ. V 8 (50, 2) p. 360, 25 St., Euseb. εὐαγγ. προπ. X 14 p. 504 C. ceterum quod Hieronymus dicit, cum Heraclito σκοτεινῷ de obscuritate certare αἰνιγματιστὴν Iovinianum, obiter addo αἰνιγματιστής tradi in litteris graecis ecclesiasticis (cf. Thes. gr. l.) et migravisse etiam ad latinos, ubi est in Glossis, Itala, Augustino. — tritissimis deinde in exemplis rhetoricis versatur Hieronymus *Epicurum* christianorum c. 1 p. 237 A appellans Iovinianum, opponens c. 4 p. 241 D *Pythagoram et Platonem et Aristidem Aristippo et Epicuro et Alcibiadi.* paulo dignius memoratu est, quod in sententia c. 40 p. 304 A *post … cibarium panem et aquae potum … ad iura Apicii et Paxami … se conferat* artis culinariae principi Latinorum Apicio aggregavit Paxamum, quem inter Latinos unus Columella XII 4, 2 praeter eum novit. in oriente degens ex vita graeca Hieronymus nomen traxit, ubi Paxamum in exemplum abiisse Simplicius ἐξηγ. εἰς τὸ Ἐπικτ. ἐγχ. 33, 7 p. 115 Duebner docet.

---

consuit Hieronymus in sententiam unam *parturiunt* (*-ent* *𝔖 C*) *montes, nascetur* (*-itur E*) *ridiculus mus — quod ipse non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.* ibid. paulo post Vergilianum *Aen.* X 640 adhibuit *dat sine mente sonum.* quos tres poetas tractatos fuisse ab ipso Hieronymo, si firmare opus est, Luebeckii docent tabellae *Hier.* p. 160 seqq., 167 seqq., 195 seqq. deinde in eodem capite prooemii Plautinus locus *Pseud.* 25 seq. *has quidem pol credo nisi Sibulla legerit, interpretari álium posse neminem* ad sensum exprimitur: *illud Plautinarum litterarum ei possit aptari: has quidem praeter Sybullam leget nemo.* Plautum se legisse Hieronymus narrat *epist.* 22, 30, 2. praeterea ad Terentianum *Eun.* 445 *par pro pari refertur* alludit c. 36 p. 293 E *par pari referam* item ut *adv. Pelag.* I 13 t. II p. 705 B. denique c. 34 p. 291 E *incessus pomparum ferculis similis* lepida imitatio Ciceronis est *de off.* I 131 *cavendum autem est ne aut tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur.*

haesito an copiam gentilem christiani sermonis complectens omnem, tamen praeteream recurrentes res in saeculari sermone originis Tertullianeae: c. 1 p. 238 A *furiosas Apollinis vates legimus* et c. 11 p. 254 B seq. *hac lege virgines quoque Vestae et Iunonis univirae*[1]) *in sanctarum queant ordine numerari* (cf. p. 79 et 238). mitto etiam Priapi mentionem c. 22 p. 272 C, nec non notitiam fabularum gentilium in sententiis c. 4 p. 242 B *voluptuosissimum contionatorem . . . quasi sirenarum cantus e fabulis* (*et fabulas* Vall.) *clausa aure transite* (cf. *c. Vigil.* 1 t. II p. 387 A; *in Hierem.* III 1 p. 150, 10 Reiter) et c. 36 p. 294 C *et quasi inter duas scopulos et quasdam necessitatis et pudicitiae συμπληγάδας hinc atque inde vel pudoris vel causae naufragium sustinemus.* at immorandum paulisper est in phrasi ibid. p. 294 D *melius tamen est clausis, quod dicitur, oculis andabatarum more pugnare.* andabatarum enim notitiam ex Varrone hausisse Hieronymum Friedlaender, *Darst. aus d. Sitteng.* eqs. II[3] p. 542 seq. decrevit; sed phrasi proverbiali uti eum, apparet ex locutione *quod dicitur* atque etiam ex eiusdem phrasis usu *virg. Mar.* 5 p. 210 C seq., falsoque dixit Friedlaender, solum remanere Hieronymum aetate imperatoria andabatarum memorem; cf. Aug. *c. Iul. op. imperf.* I 19 (t. 45 p. 1057 Migne).

Sequitur ut eruditionem in variis disciplinis saeculi, physiologia, medicina, philosophia cc. 1—40 explicem. c. 30 p. 285 B *legamus physiologos et reperiemus, turturis hanc esse naturam, ut si parem perdiderit, alteri non iungatur, et intellegemus digamiam etiam a mutis avibus reprobari* Vallarsius composuit cum Plinio *nat. hist.* X 104 seq., qui columbarum pudicitiam fidemque coniugalem sane effert, perpetuam tamen viduitatem turturum silet. nec vero hausit exemplum Hieronymus ex scriptore saeculari, sed cum cc. 30 et 31 in Salomonis *cantico canticorum* allegorice interpretando versentur (v. p. 262), simillimum veri per se est, non extinctum fuisse in animo Hieronymi Origenis commentarium in *cant. cantic.*, quo Origenem 'se ipsum vicisse' Hieronymus, cum latine verteret homilias duas Origenis in cant. advivente etiam papa Damaso ante a. 384, summa cum admiratione confessus erat *hom. Orig. in cant.* praef. t. III p. 499/500.

1) dicit flaminicam, quam Iunonis sacerdotem fuisse testatur Plutarchus κεφ. κατ. Ῥωμ. 86 p. 285 A diffidente Wissowa, *Rel. u. K. d. R.*[2] p. 516 adn. 2, quem item ut Marquardtium, *Röm. Staatsv.* III[2] p. 331 adn. 12 fugit hic locus Hieronymi.

ergo deduco locum de turture libri *adv. Iovin.* ex Origenis commentario in cant., cuius latine redditi a Rufino cf. l. II (1, 10) t. XIII p. 132 C Migne: *turturum ferunt huiusmodi naturam esse, ut neque masculus praeter unam feminam adeat aliam, nec femina plus quam unum patiatur marem; ita ut si accidat altero intercepto superesse alterum, pariter cum coniuge extinctus sit ei concubitus amor.* praeterea alii etiam christiani lectitati ab Hieronymo turturis monogamiam celebrant: Tert. *de monog.* 8 *columbae . . . avis non tantum innocuae, verum et pudicae, quam unam unus masculus novit.* Greg. Naz. *ὑποθ. παρθ.* v. 536 seqq. p. 368 Maur. *πύνθανομ' ὡς πτερόεσσα τρυγών, τρυγόνος φιλίοιο χηρωθεῖσ', ὁμόλεκτρον ἐὸν ποθέουσα σαόφρων, οὐ δέχεται πόσιν ἄλλον ἑῆς καθύπερθε καλιῆς. ὄρνι σοφή· μερόπεσσι δ' ἁγνὸς βίος, ὅσσον ἀρείων.* Greg. Nyss. *ἐξηγ. εἰς τὰ ἄσμ. λόγ.* III t. 44 p. 816 A Migne *μαρτυρεῖται δὲ παρὰ τῶν τὰ τοιαῦτα παρατετηρηκότων, τοῦτο τὸ ὄρνεον μένειν, εἰ διαζευχθείη τῆς συζυγίας, εἰς τὸ ἐφεξῆς ἀσυνδύαστον, ὡς φυσικῶς ἐν αὐτῷ τὸ κατορθοῦσθαι τὴν σωφροσύνην.* utique id planum, adhortationi Hieronymi *legamus physiologos* lectos ab ipso physiologos non subesse, sed ecclesiasticos.

medicinam spectat sententia c. 3 p. 239 B *nonne vel per febrim somniare eum putes vel adreptum morbo phrenetico Hippocratis vinculis adligandum?* locutio *alligandi Hippocratis vinculis* iteratur *c. Vigil.* 4 t. II p. 390 B. de vinculis ad curandos phreneticos adhibendis cf. Cels. III 18 p. 102 Dar. et Cael. Aurel. *acut.* I 9, 60 et 65. Hieronymus libris medicorum studia impendit; de Galeno l. II *adv. Iovin.* c. 6 et 11 exscripto v. appendicem. praeterea quae de medicamento hyssopi leguntur c. 11 p. 255 B seq. *aspersi calidissimo rore hisopi omnem pituitam noxiae voluptatis excoximus*, ea mixta sunt ex doctrina saeculi et Scripturae; cf. Cels. IV 10 p. 132 (*tussis*) *pituitam citat. oportet hyssopum . . . bibere.* Scrib. Larg. 49. Vulg. *psalm.* 50, 9 *asperges me hyssopo et mundabor. lev.* 14, 6 seq. *num.* 19, 6.

philosophicam eruditionem prodit c. 30 p. 286 D *in principali cordis ubi habet sermo dei hospitium* terminus *principale* graecum *ἡγεμονικόν* exprimens (cf. Vall. ad l.). notionem *ἡγεμονικοῦ* reddens vox *principale* non occurrit ante Senecam, cuius cf. *epist.* 92, 1; 113, 23; al.; Cicero quidem *ἡγεμονικόν* Graecorum se per *principatum* reddere dicit *nat. deor.* II 29. at ante Hieronymum inter ecclesiasticos latinos Tertullianus *de anima* 15 p. 319, 29 V. *principale* et *ἡγεμονικόν* idem

valere definivit. deinde in phrasi *principali cordis* quae sit ratio duorum nominum inter se coniunctorum, declaratur apte verbo Basilii *ὁμ. εἰς τὸν ψαλμ.* VII 6 v. 10 p. 103 (t. 29, 243 Migne) *καρδίαν ἡ Γραφὴ πολλαχοῦ ἐπὶ τοῦ ἡγεμονικοῦ παραλαμβάνει.* fusius tractat *ἡγεμονικόν* Greg. Nyss. *περὶ κατασκ. ἀνθρ.* 12 t. 40, 156 C seqq. Migne.

Iucundum deinceps est locum longiorem c. 3 p. 240 A seqq. de nuptiis, viduitate, virginitate aequandis cum numeris certis, triginta, sexaginta, centum inspicere, qui imbutus est suco philosophiae nec tamen Annaeanae. qui locus tanta singularitate doctrinae excellit, ut seorsum medio aevo propagatus sit; codex miscellaneus saec. XIII Guelferbytanus 1329 (1221 Helmst.) fol. 100/2 sub n. 10 hunc locum Hieronymi offert exornatum titulo *De expressione numerorum inflexionibus digitorum secundum Hieronymi tractatum evangelice sententie* (v. Heinemann, *Die Hss. d. H. B. zu Wolfenb., 1 Die Helmst. Hss.* t. III p. 116). correctum autem ex codd. locum accipe: *centensimus et sexagesimus et tricensimus fructus quamquam de una terra et de una semente nascatur, tamen multum differt in numero. triginta referuntur ad nuptias. nam et ipsa digitorum coniunctio quasi molli osculo se conplexans et foederans, maritum pingit et coniugem. sexaginta vero ad viduas, eo quod in angustia et tribulatione sint positae. unde et superiori digito deprimuntur; quantoque maior est difficultas expertae quondam voluptatis inlecebris abstinere, tanto maius et praemium. porro centesimus numerus — diligenter quaeso lector attende — de sinistra transfertur ad dexteram, et isdem quidem digitis, sed non eadem* (*eadem*] *eum* Vall.) *manu, quibus in laeva nuptae significantur et viduae, circulum faciens exprimit virginitatis coronam.*

festiva ista expositio Hieronymi fundamento nititur triplici. Scriptura ei porrigebat parabolam de agricola exeunte ad seminandum *Matth.* 13, 8 *alia autem ceciderunt in terram bonam et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.* altera res, quae occasionem dabat Hieronymo ad instituendam interpretationem mysticam numerorum XXX LX C, tres gradus castitatis significantium, popularis erat loquela illa per gestum digitorum, cuius de origine antiqua et usu tenacissime per saecula durante v. Hultsch, *Realenc.* II 1113 seq. iuvat autem testimonia gestuum XXX LX C apponere excerpta ex Beda monacho redeunte ad traditionem antiquiorem *de loq. per gest. dig.* t. 90, 691 Migne: *cum dicis triginta, ungues indicis et pol-*

licis blando coniunges amplexu; ibid. *cum dicis sexaginta, pollicem ut supra curvatum* (i. e. *exteriore artu instar graecae litterae Γ curvatum*) *indice circumflexo diligenter a fronte praecinges*; ibid. *centum vero in dextera quemadmodum decem in laeva facies* (v. supra: *cum dicis decem, unguem indicis in medio figes artu pollicis*). his locis Bedae tam generaliter illustratur, quo iure Hieronymus gestus publicos numerorum suis lusibus accommodaverit, quam praesertim illud, simillimos reapse fuisse gestus numerorum XXX et C. qui non nisi manu alternata inter se differunt, praeter quod in numero XXX index figitur in extremo pollice, in C in pollice medio. iam vero huius similitudinis gestuum XXX et C origo antiqua confirmatur insuper Apuleio *apol.* 89 p. 99,4 seq. H.: *si triginta annos pro decem dixisses, posses videri computationis gestu errasse, quos circulare debueris digitos adgessisse* (sic Helm, *adperisse* cod., *adplicasse* Bluemner). qui locus non intellectus a Wuensch apud Abt, *Relig. Vers. u. Vorarb.* IV 2 (1908), *Die Apol. d. Apul.* eqs. p. 243, tractatus recte a Bluemner, *Berl. Ph. Woch.* XXIX (1909) p. 236 seqq. manifestissime docet, iam aetate Apulei loquelam digitorum, qualem in suos usus vertit Hieronymus, floruisse.

nec tamen haec ratio christiana, qua parabola Scripturae de fructu tricesimo, sexagesimo, centesimo ad tres gradus castitatis refertur, puto exorta esset, nisi pythagorica ratio virtutum numeris significandarum exempla dedisset. qualis mystica doctrina praesertim Iamblichi est, cuius liber VI perditus maximi operis *συναγωγὴ τῶν Πυθαγορείων δογμάτων* de moralibus significationibus numerorum egit; nec non in eiusdem operis l. VII seorsum tradito inscriptione *τὰ θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς* ipse *γάμος* p. 16 Ast triadi, p. 24 pentadi, p. 33 hexadi aequatur (cf. Zeller, *Die Phil.* I 1[5] p. 395 adn. 2; III 2[4] p. 739 adn. 1 et 760 adn. 2). quae ineptiae vanae philosophiae mysticae etiamsi ex parte usque ad vetustiorum platonicorum et pythagoreorum disciplinam ascendant (cf. ⟨Ps.-Plut.⟩ Stob. I p. 22,3 Wachs. *τὴν δὲ ἑξάδα Γάμον*. Theo Smyrn. p. 102,5 Hiller. Schmekel, *Die Phil. d. m. Stoa* p. 417), tamen Iamblichus excellebat aetate Hieronymi auctor praecipuus earum (de Iamblichea memoria Hieronymi cf. Luebeck, *Hier.* p. 86).

Denique philosophica eruditio c. 36 apparet, quo capite duabus interlocutionibus Ioviniani Hieronymus respondet. quarum interlocu-

tionum alteri p. 293 D seq. *si omnes virgines fuerint, quomodo stabit humanum genus?*[1]) opponit: *si omnes viduae fuerint vel in matrimonio continentes, quomodo stirps mortalium propagabitur? hac ratione nihil omnino erit, ne aliud esse desistat. verbi gratia: si cuncti philosophi sint, agricolae non erunt. quid loquar de agricolis? non oratores, non iurisconsulti, non reliquarum artium praeceptores.* eam argumentationem Hieronymi altius haerere in disciplina scholastica et logica eius nemo non sentit; recurrit similis *c. Vigil.* (a. 406) 16 t. II p. 399 E seq.: *argumentaris et dicis: 'si omnes se recluserint et fuerint in solitudine, quis celebrabit ecclesias? quis saeculares homines lucrifaciet? quis peccantes ad virtutes poterit cohortari?' hoc enim modo si omnes tecum fatui sint, sapiens quis esse poterit? et virginitas non erit approbanda. si enim omnes virgines fuerint, nuptiae non erunt.* quo in horto creverit argumentandi genus istud dialecticum et dimicandi ratio, dubitatio nulla est: Pythagoram sequitur christianus. Porphyrius, cuius per *εἰσαγωγὴν* introduxit magister Hieronymum ad logicam (v. *epist.* 50, 1, 3 p. 389, 5 seq.), praestat locum proxime distantem ab his locis duobus *περὶ ἀπ. ἐμψ.* IV 18 p. 259, 18 seqq.: *πρὸς μέντοι τοὺς ἐρωτῶντας 'τί ἔσται μιμησαμένων πάντων τοὺς τοιούτους;' ῥητέον τὸ τοῦ Πυθαγόρου· καὶ γὰρ βασιλέων πάντων γενομένων δυσδιέξακτος ὁ βίος, φησίν, ἔσται, καὶ οὐ δήπου φευκτέον τὸ τῆς βασιλείας· καὶ σπουδαίων ἁπάντων κτλ.*; v. etiam ibid. p. 259, 7 seqq. *καὶ οὐδεὶς οὔτε παρὰ τούτοις οὔτε παρὰ τοῖς ἄλλοις τοῖς εἰρημένοις σοφιστὴς προελθών, οἷοι βροτοὶ νῦν παρ' Ἕλλησιν, ἀπορεῖν ἔδοξε λέγων· 'ἐὰν ὑμᾶς πάντες μιμήσωνται, τί ἡμῖν ἔσται;' οὐδὲ διὰ τούτους συνεχύθη τὰ τῶν ἀνθρώπων· οὔτε γὰρ ἐμιμήσαντο πάντες κτλ.*

Altera Ioviniani interlocutio repulsa c. 36 p. 294 B seqq. versatur in humani corporis membris genitalibus, quorum in structura providentia dei nulla agnosceretur approbatis virginitatis defensoribus. talis quaestiuncula pars doctrinae est, qua stoici et christiani eos secuti totum corpus humanum ad providentiam divinam rettulerunt. atque de litteris philosophicis, tractantibus opificium caeleste corporis humani, delapsis ad christianos v. Brandt, *Wiener Studien* XIII (1891) p. 255 seqq. *Über d. Quellen v. Lactanz' Schrift De op. dei*

---

1) eodem argumento quo Iovinianus pars Essaeorum matrimonium defendebat, cf. Zeller, *Die Phil.* III 2⁴ p. 322 seq. cum adn.

et Gronau, *Poseidonios u. d. jüd.-chr. Genesisexegese* (1914) p. 153 seqq. et 206. nec vero de his rebus loquentem Hieronymum exeunte saec. IV saeculares libros adiisse probabile est, cum in aliis litteris christianis multo etiam accuratius de structura genitalium dictum sit, velut a Nemesio Emeseno περὶ φύσεως ἀνϑρ. 25 p. 113 seq. (p. 243 Matth.) et Basilio Ancyrano περὶ τῆς ἐν παρϑ. eqs. 61 p. 675 t. 30, 796 A Migne. atque etiam in singulis cogitationibus et locutionibus similitudines Hieronymi cum aliis christianis deprehenduntur; velut Lactantius *de opif.* 13, 2 et ille p. 294 E pariter pudore prohibiti longius immorari in natura depingenda genitalium deflectunt subito ad libidinem corripiendam.[1]) cum verbis Ioviniano ab Hieronymo tributis p. 294 C *sic a conditore ... fabricati sumus, ut mutuum nostri patiamur ardorem et gestiamus in naturalem copulam* cf. Basil. Anc. l. l. 3 p. 619 (673 C) τὸ ϑῆλυ τμῆμα τοῦ ἄρρενος ἐργασάμενος, οἶστρον μὲν ἑκάστῳ τμήματι τῆς πρὸς ἄλληλα συμπλοκῆς ἄρρητον τῇ φύσει ἐνέϑηκε.

Adduxi te ad locos omnes sermonis christiani libri I *adv. Iovin.*, ubi disciplina saecularis pellucet; nullo loco de Seneca suspicio est. sic igitur fecisse videtur Hieronymus in conscribendo libro, ut saeculares auctores, quos protraxerat ex armariolis aut ipsius aut celebrioribus etiam amicorum in civitatibus, demum post absolutam partem christianam perlegeret, excerperet, mandaret memoriae praeparans se ad dictandam sapientiam ethnicam cc. 41—49. si dialogum Senecae imbibisset mente Hieronymus ante dictandum totum librum I, puto pluribus locis iam in christianis capitibus lectionem eius saperemus. contra, ad quem in christiana parte Hieronymus lectores relegat, Tertulliani liber *ad am. phil.* etiam in saecularis partis quaestione fontium locum sibi vindicat. cum firmare animus sit, Varii Gemini apopthegma illud c. 28 Tertulliano intercedente venisse in Hieronymum ex Senecae patris *controversia* nunc mutila VI 8, non ex Senecae phil. dialogo *de matr.*, favet id, quod effeci de tota parte christiana libri I vacua a dialogo *de matr.*, mirum quantum opinioni meae. desideratur tamen adhuc cumulus huius argumentationis: non modo pro-

1) cum rhetorico genere loquendi Hieronymi c. 36 p. 294 C *vel pudoris vel causae naufragium sustinemus* cf. Sen. *contr.* I 2, 23 *quaedam satius est causae detrimento tacere quam verecundiae* ⟨*dicere*⟩.

baturum me esse promisi p. 275, carere memoria dialogi *de matr.* christianum sermonem Hieronymi; sed alterum etiam praeter Gemini apopthegma vestigium eiusdem *controversiae* patris Senecae VI 8 apparere in libro I *adv. Iovin.*, et id quidem in eius libri sermone saeculari.

Versus virginis Vestalis inscriptio est mutilatae *controversiae* VI 8 patris Senecae, Vestalis noxa vita dignitas argumentum eius constituunt; de Vestalibus amplior aliquis sermo legitur inter exempla castitatis ex superstitione gentilium tracta Hieronymi c. 41 p. 307 A. notatu autem, quae communia habeant Hieronymus et rhetor Seneca, dignissima sunt haecce:

Hier. l. l.:

certe romanus populus quanto honore virgines semper habuerit, hinc apparet, quod consules et imperatores . . . et omnis dignitatis gradus eis de via cedere solitus sit.

Sen. l. l. p. 264 M.:

tibi magistratus suos fasces submittunt, tibi consules praetoresque via cedunt.

Non tam propter phrasin communem *cedendi de via* memorabilis est consensus Hieronymi et rhetoris Senecae, quam propter rem, quam uterque scriptor tradit. nemo enim praeter illos refert, cessisse ipsos consules de via Vestalibus (cf. Marquardt, *R. Staatsverw.* III² p. 341 adn. 1. Wissowa, *Relig. u. Kult. d. R.*² p. 507); obiter adnoto, accedere tantum his testimoniis duobus eiusdem rhetoris Senecae alterum locum *contr.* I 2, 3 *praecedens hanc lictor summovebit? huic praetor via cedet? summum imperium, consules, cedent tibi?* quamquam hic honor a consulibus aliisque magistratibus Vestalibus praestitus redit sane ad concessum Vestalibus lictorem, quem silet quidem Hieronymus, cuius tamen memoria paulo locupletior est; memorant eum praeter Senecam Plutarchus *Νομ.* 10 et Cassius Dio XLVII 19, 4. Plutarchus autem aetate antiquissima Vestalibus lictorem addictum esse a Numa vult, erroris convictus a Mommseno, *R. Staatsr.* I³ p. 391 adn. 3 tuente testimonium Cassii Dionis, qui memoriae tradidit ab anno urbis 712 hoc institutum exordium sumpsisse. atque Mommseno astipulor, recens enim origo huius honoris Vestalium egregie quadrat ad parvum scriptorum numerum, qui eum sciunt. nec Mommseni sententia accepta probabile putabimus Varronem de lictore Vestalium egisse aut alios antiquarios romanos.

nempe rem ab antiqua civitate romana alienam, ne institutam quidem temporibus liberae rei publicae cur *antiquitatum* libris Varronis aut aliis antiquariis tribuas, non est. immo Hieronymi, scriptoris ecclesiastici notitiam hanc ad primariam auctoritatem rhetoris Senecae redire veri simillimum est.

His igitur locis duobus, Varii Gemini apopthegmate et lictoris honore Vestalium, quasi iugo iunctis fundamento nititur sententia mea de auctoritate rhetoris Senecae in libro I *adv. Iovin.*, etiamsi uterque horum locorum vel per se spectatus ad patrem Senecam ducat, non ad filium. cum vero apopthegma Gemini saltem per sensum eius moralem dialogo philosophi *de matr.* licuisset attribuere, honor Vestalium ne quadrat quidem ad argumentum dialogi. in hoc virginitatis laudes nullae fuerunt; imprimis Vestalis Claudiae exemplum, moventis navem matris Idaeae cingulo, a Seneca de matrona Claudia narratum fuisse, initio capitis apparuit.[1])

De rhetore Seneca, fonte primario Hieronymi, dixi; dicendum est de Tertulliano inter rhetorem Senecam et Hieronymum hoc quoque loco intercedente item ut in apopthegmate Varii Gemini. age inspice mecum ex ordine res omnes, quae una cum magistratibus de via Vestalibus cedentibus et Claudiae fabula amplum illum sermonem Hieronymi c. 41 p. 307 A seq. de Vestalibus efficiunt, ut usus Tertullianei indicia illic occurrentia colligantur in unum.

sermo de Vestalibus incipit catalogo numinum paganorum virginibus colendorum, cuius de similitudine Tertullianea cf. p. 238. sequitur Minuciae Vestalis supplicium: *quarum una Minucia propter suspicionem stupri viva defossa est* componendum cum Livii relatione VIII 15, 7 seq.: *Minucia Vestalis suspecta primo propter mundiorem iusto cultum ... viva ... defossa.* quo quidem loco difficile sane est discernere, utrum ipse Livium Hieronymus exscripserit, an

1) ne in servatis quidem scriptis Seneca philosophus castitatem Vestalium effert, quas memorat tribus locis: *de benef.* I 3, 7 *Homerus uni* (*Gratiarum nomen*) *mutavit, Pasithean adpellavit et in matrimonium promisit, ut scias non esse illas virgines Vestales.* — *de prov.* (d. I) 5, 3 *non est iniquum nobilissimas virgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno inquinatas frui?* — *de otio* (d. VIII) 2, 2 ... *virginum Vestalium more, quae annis inter officia divisis discunt facere sacra et, cum didicerunt, docent.*

Tertullianus intercesserit. proximum est, ut de additamento loquar, quo *controversiae* VI 8 memoria de honore Vestalium in Hieronymo contaminata sit. dicit enim Hieronymus non modo consules et imperatores et omnem dignitatis gradum cessisse de via Vestalibus, sed inserit etiam post *imperatores* p. 307 B *et in curribus triumphantes, qui de superatis gentibus tropea referebant.* quae adnotatio procul dubio ex mero errore Hieronymi ortum ducit, qui in mente habuit decantatam illam narratiunculam de Vestali Claudia defendente a tribuno patrem sive fratrem iniussu populi triumphantem ascenso simul curru (cf. p. 228 adn.). clauditur sermo de Vestalibus navi matris Idaeae in Tiberi mota a Vestali Claudia, de cuius exempli origine quaestio supra instituta eatenus exiit in *ζήτημα*, ut de fonte dubitarem, unde Senecam adulterans Hieronymus Vestalem pro matrona posuisset.

hoc zetema nunc dissolvitur. explorata enim sunt subsidia omnia, ex quibus sermo de Vestalibus Hieronymi coortus est; duo Senecae, Livius et Tertullianus soli in censum veniunt. quid ergo est? perinde atque in c. 28 originem Tertullianeam apopthegmatis Varii Gemini Salomon uxorius prodit ad librum Tertulliani de angustiis nuptiarum accommodatissimus, sic hoc loco partes Salomonis occupat Vestalis Claudia pro matrona posita in matris Idaeae miraculo. hoc potissimum vestigium auctoris recentioris est in sermone de Vestalibus Hieronymi. Tertullianus tam idoneus evadit ad explicandam interpolationem exempli Claudiae, quam postulandum est, ut *controversia* VI 8 patris Senecae eadem via in c. 28 et 41 Hieronymi ad eum pervenerit.[1]) in librum *ad am. phil.* collegerat Tertullianus miracula virginitatis; reminiscere modo Ioannis Zebedaei filii, quem exiisse ex olei ferventis dolio puriorem et vegetiorem illic dixerat. cui exemplo christiano accedit saeculare Claudiae ex virginitate vim magicam trahentis. sic duabus etiam amplius rebus, lictore Vestalium et Claudiae

---

1) Tertullianus alludit ad Claudiae miraculum *apol.* 22 *et aquam cribro gestatam et navem cingulo promotam*; ubi obscurum est, ut ultro fateor, utrum Vestalis an matrona dicta sit. ex eo quod Tuccia Vestalis praecedit quae aquam cribro gestaverit (v. p. 228 adn.), certum effici nequit, Tertullianum cogitavisse Claudiam quoque Vestalem fuisse; obstat Augustinus *de civ.* X 16, ubi Tuccia Vestalis Claudiam matronam excipit in exemplorum serie.

miraculo, augetur notitia nostra de Tertulliani libro perdito *ad am.phil.* celebrante monogamiam et caelibatum.[1])

1) lubet conspectum facere locorum omnium, ubi fragmenta aut certe imitationem libri *ad am. phil.* in Hieronymo pono. christiana haec sunt: 1) angustiae nuptiarum Salomonis, sophismatia c. 28 (cf. p. 260 seqq.) 2) *refert autem Tertullianus quod* (*Ioannes*) eqs. c. 26 p. 280 A (cf. p. 252 seqq.) 3) *Tertullianus in libris de monogamia* eqs. *epist.* 85, 5, 1 (cf. p. 251 seq.); saecularia haec sunt: 4) apopthegma Varii Gemini de litibus coniugalibus c. 28 p. 282 B (cf. p. 273) 5) sacerdotia virginum c. 41 p. 307 A (cf. p. 238) 6) Vestalium lictor et Vestalis Claudiae miraculum c. 41 p. 307 A seq. 7) et 8) Carthaginiensia exempla monogamiae, Dido et uxor Hasdrubalis c. 43 p. 310 A seqq. (cf. p. 239 seqq.) 9) sacerdotia monogamorum c. 49 p. 320 C (cf. p. 79).

VII DE SENECAE DIALOGO *DE MATRIMONIO*

Vnus Hieronymus servavit fragmenta Senecae de matrimonio.[1]) duplex tamen condicio horum fragmentorum est; quaedam diserte sub nomine Senecae afferuntur: ubi meum erit, fines orationis Annaeanae unoquoque loco circumscribere, in paraphrasin Hieronymi dictionem Senecae coloribus recentibus fucantis inquirere, fontes ipsius Senecae eruere. alterius sortis fragmenta ratiocinando ex Hieronymo eliciuntur; quod ut probe fiat, adhibenda sane sunt ad eum laborem quaecumque de loco stoico tractato a Seneca *περὶ γάμου* aliunde quam ex Hieronymo explorari possunt, praesertim ex cognatis litteris moralibus veterum, velut frustulis *περὶ γάμου* aliorum stoicorum, nec non ex ipsius Senecae servatis operibus philosophicis et scribendi consuetudine. nimirum ubi semel egisse Senecam de matrimonio peculiari scripto indicatum est, condicionem eius scripti variis rationibus definire licet.

Eo autem ordine fragmenta absolvam, ut exempla ante prae-

---

1) alter fons num sit, dubium est; servatur enim sub nomine Senecae, nec tamen ascribitur dialogo *de matr.* in codice Burdigalensi 267 saec. XIV lectio saec. XV exarata (teste Rossbachio apud Grossgerge, *de Sen.* eqs. p. 45 seq.): *Cordubenses nostri, ut maxime laudarunt nuptias, ita qui sine his iungerentur, excluserunt cretione hereditatum; etiam pactam ne osculo quidem, nisi Cereri fecissent et hymnos cecinissent sacros, attingi noluerunt. si quis osculo solo octo parentibus aut vicinis non adhibitis attigisset, huic abducendae sponsae quidem ius erat, ita tamen, ut tertia parte bonorum sobolem suam parens si vellet multaret.* ante Rossbachium haec lectio nota erat, exceptis paucis varietatibus scripturae, ex opere Arnoldi Ferroni Burdigalensis, regii consiliarii, quod inscribitur *In consuetudines Burdigalensium commentariorum libri duo* (Lugduni 1565). locus, quem praeter alios disputatione docta illustravit Osann, *de Sen. scr. dep.* I p. 13 seqq., dignus Seneca est, praeter quod Haase ed. Sen. t. III p. XVI in voce *parens* i. q. *cognatus* valente offendit, quem usum vocis scriptorum argenteae latinitatis unus quidem Curtius habet VI 10, 30 (v. Vogel-Weinhold ad l.). de natura et auctoritate iuris privati Cordubensibus hoc loco adscripti v. Puchta-Krueger, *Institut.*[10] II § 289 p. 400 adn. f.

cepta et placita exequar. haec claudunt eruditionem ethnicam Hieronymi incipientia a p. 317 D capitis 48 vergentis ad finem; quamquam quibusdam exemplis sermo praeceptorum insuper interrumpitur. summa tamen copia exemplorum ante sermonem praeceptorum legitur distincta in partes duas, quarum prior bonarum uxorum fideique coniugalis ultra mortem servatae, i. e. monogamiae exempla complectitur cc. 43—46, posterior i. e. c. 48 usque ad p. 317 D adulteras uxores et litigiosas. ecloga Theophrastea c. 47 media posita est inter exempla bonarum uxorum et malarum.

hac igitur ex copia exemplorum quae Senecae sint, statuam; nam expresse sub nomine Senecae affertur ab Hieronymo eorum nullum. nomen Senecae adhaeret tantum Claudiae exemplo ascito ab Hieronymo in sermonem virginitatis c. 41; praeterea Senecae diserte tribuitur exemplum mariti illepide amasii inculcatum p. 318 D praeceptis c. 49.

at valde probabile per se est, plurima exempla et bonarum et malarum uxorum cc. 43—46 et 48 ad Senecam redire. ex consuetudine passim apparente in servatis scriptis Seneca usque quaque paratus erat, praeceptis copiam exemplorum addere largissimam. quam consuetudinem generaliter illustravit K. Alewell, *Über das rhet. παράδειγμα* (diss. Kil. 1913) p. 106 seqq. respondet in usu exemplorum ars Senecae doctrinae ipsius expressae voce illa *epist.* 6, 5 *longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla* (*epist.* 83, 13 *instruenda est enim vita exemplis inlustribus*).

1

Exordium sumo a romanis exemplis capitis 46. longa series pudicarum matronarum hoc caput complet repetenda tota ex Seneca. nonnulla monui de huius capitis exemplis iam supra locis diversis: Lucretiae exemplum p. 312 A vitata *castitatis* voce Senecam prodit, cf. p. 187. Biliae, Duillii coniugis p. 312 A/C narratiunculam tolerantis animam putidam mariti de variis ducibus relatam in litteris graecis moralibus ascendere procul dubio ad aetatem liberae rei publicae dixi p. 61. Porcia Catonis filia minor p. 312 C cogitanda est pro *Marcia C. f. m.* indicato errore aperto Hieronymi p. 57, cum eadem matrona intellegenda sit p. 313 A *Porcia minor* (v. p. 58 adn. 1). apopthegmati huius Porciae p. 312 C adnexam sententiam

multos non oculis eqs. cum Plutarchi et Athenaei similibus locis contuli p. 65. Hieronymi eruditione omni de Catonis Vticensis filiabus et uxore cum reliqua memoria earum comparata p. 59 seq. duplicem errorem denotavi in sententia p. 312 D *Brutus Porciam virginem duxit uxorem, Marciam Cato non virginem.*

iam vero venio ad summam argumentationem, qua origo Annaeana huius capitis defenditur. primum ab Hieronymo vetustum auctorem incipientis aevi imperatorii compilari inde perspicitur, quia exemplorum series finitur in *Valeria Messalarum sorore* vidua facta ex coniugio *Servii*, ut apopthegmate Valeriae proditur. huius enim matronae aetatem sagaci quaestione Hauptius, *Opusc.* t. III p. 502 seq. definivit. soror fuit M. Valerii Messalae Corvini, oratoris clari; nupserat filio Ser. Sulpicii Rufi iurisconsulti materque erat Sulpiciae Tibullianae appellantis se ipsam [Tib.] III 16, 4 *Servi filia Sulpicia.* atque Valeriae maritum Servium posse eundem fuisse atque poetam amatorium Servium dictum ab Horatio *serm.* I 10, 86, aliis, etsi oblocutus est Luc. Mueller, *Sat. u. Ep. d. Hor., Mit Anmerk.* (Vindob. 1891) p. 140, sentiunt et Vollmer ed. *Hor.* (Lps. 1912) p. 397 et Kiessling-Heinze, *Hor. Sat.*[4] (Berol. 1910) p. 152.

ista igitur Valeria novissimo loco c. 46 producta recentissimae aetatis fuisse videtur inter matronas capitis. praecedunt matronae duae, quarum de aetate et vita nil constat, nullo alio nomine nisi gentilicio significatae p. 312 E *Annia* et p. 313 A *Marcella maior.* tamen nomenclaturae ratio harum quoque mulierum consentit cum reliquarum matronarum ratione, quae plane accommodata est ad tempora liberae rei publicae. nimirum nullo cognomine utuntur matronae capitis, praeter quod duabus accedunt antiquissima illa cognomina enuntiativa *maior* et *minor*; haec series nominum est: *Lucretia, Bilia, Marcia* (i. e. Porcia) *Catonis filia minor, Porcia* (i. e. Bruti uxor, Atiliae filia), *Marcia, Annia, Porcia minor, Marcella maior, Valeria Messalarum soror.* absunt ab Hieronymo clara nomina matronarum, quae in saec. IV scriptore notitiam singularem matronarum fidelium praestante desiderari possunt, Arriae, quae sub Claudio obiens laudata a Persio versibus est (cf. *Vitam Persii* apud Iahn-Buech.-L., *ed. Pers.* p. 66), posthac in exemplum abiit apud Martialem I 13, Plinium *epist.* III 16, in *Carm. epigr.* 423, deinde Arriae filiae Caeciniae Arriae, Thraseae philosophi coniugis a Tacito *ann.* XVI 34 celebratae; rariora

etiam nomina sunt matronarum aetate imperatoria fide coniugali eminentium Anniae Pollittae et Atiliae Pomptillae (cf. Friedlaender, *Darst. aus d. Sitteng. R.* I^8 p. 517 seqq.).[1])

Sequitur ut Senecae consuetudinem exemplorum conferam. non valet in Senecae dialogum lex illa scholastica de numero exemplorum ternario, quam Plinius *epist.* II 20, 9 defendit, hoc aevo Senecae obtrudere inconsulte temptavit C. Atzert, *Berl. Ph. Woch.* XXXI (1911) p. 424; quamquam terna quoque exempla passim inveniri in Seneca infitias non eo, v. *epist.* 7, 6; 11, 4; *ad. Marc.* (d. VI) 20, 4 seqq.; *de vita b.* (d. VII) 18, 1. ut autem octo matronas Hieronymus c. 46 profert, Seneca septem 'ingratorum' exempla patria exsequitur *de benef.* V 16, 1—6 *Coriolanum, Catilinam, C. Marium, L. Sullam, Cn. Pompeium, Pompei hostem ac victorem, Antonium.* largiore etiam copia exemplorum usus est *ad Marc.* (d. VI) 12, 6—16, 5 ad illustrandam patientiam eorum, 'qui lenirent aspera placide ferendo'; ubi primum viri romani septem fusius producuntur *L. Sulla, Pulvillus pontifex, Paulus, L. Bibulus, C. Caesar, divus Augustus, Ti. Caesar*; praeterea ante Pulvillum graecum exemplum accessionis instar insertum est; deinde viros excipiunt feminae quattuor *Lucretia, Cloelia, duae Corneliae.* denique patriorum exemplorum ubertatem in Seneca illustret locus *de benef.* III 23, 1—27, 4, ubi narratiunculis sex longioribus beneficia a servis illata dominis exponuntur. alia nolo proferre, quae possis sumere ab Alewell l. l. p. 111 seq., qui praecipue in *epistulis* Senecae varium numerum exemplorum tabella compendiosa aperuit.

Nec solum propter multitudinem exemplorum patriorum c. 46 convenit Senecae; sed eius consuetudo ea quoque re apparet, quod epimythia quae dico sive existimationes morales exempla subsecuntur (cf. p. 221 seq.). narratiunculae de Bilia laudes eius adduntur p. 312 B seq. *laudanda in utroque pudica et nobilis femina* eqs. Porciae minoris apopthegmata duo priora sententiae demonstrativae comitantur p. 312 C *quo dicto eleganter ostendit* eqs. et p. 312 D *arbitror* eqs. atque consimiliter mera approbatione excipiuntur exempla *de benef.* III 23, 4; *de tranq.* (d. IX) 14, 5; *de clem.* I 16, 1.

1) Arria a. 42 mortua (*Realenc.* II 1259) paene a Seneca memorari potuit; at dialogum *de matr.* in adulescentia scripsit, v. infra sub 6. — deinde quomodo factum sit, ut apopthegmata matronarum Seneca nulla haberet divi Augusti aetatem excedentium, illud ex fonte Senecae explico; v. sub 2.

Apopthegmata maiorem partem exemplorum capitis 46 efficiunt; apopthegmata multa et varia in Seneca sunt. velut *nat. quaest.* IV a praef. 5—7 trium apopthegmatum series producitur, Planci, Crispi Passieni, Demetrii. deinde Corneliae dictum *ad Marc.* (d. VI) 16, 3 *'numquam', inquit, 'non felicem me dicam quae Gracchos peperi'* cf. cum Anniae responso ad propinquum suadentem ei ut alteri viro nuberet p. 312 E *'nequaquam', inquit, 'hoc faciam'* eqs.[1]) ut Senecae exempla et narrationes dictis et confabulationibus scaturirent, factum est causis duabus: culta a Seneca diatribe stoica descendens a dialogo socratico sermones mirum quantum adamat conscia originis suae. praeterea exemplorum corpora a Seneca inspecta obtulerunt ei, ut ostendit Valerius Maximus, praeter *facta* dudum edolatorum maximam copiam *dictorum memorabilium.* nonnulla apopthegmata in Seneca obvia congessi p. 267 seqq. locutus de apopthegmate Varii Gemini. denique infra accedam ad quaerendum, ex quo fonte speciali Senecae thensaurus magnus apopthegmatum c. 46 provenerit.

Proximum est, si inclinaris ad agnoscendam auctoritatem Senecae in c. 46, ut distinguatur, quidnam de suo addiderit textui Annaeano Hieronymus. quo in capite paraphrasin modicam tantum textus Senecae passus videtur. solummodo Lucretiae exemplum p. 312 A coloribus ecclesiasticis exornatum est: *supervivendi* verbum vix dignum Seneca, quod adhibuit Hieronymus in sententia Lucretiae proxime antecedente c. 45 p. 312 A nec non aliquanto superius c. 41 p. 308 D (hoc loco vertit Porphyrium); phrasis *maculam corporis cruore delevit* Tertulliani imitationem sapit, cuius cf. de Lucretia sententias *de monog.* 17 *maculam carnis suo sanguine abluit* et *de exh. cast.* 13 *sanguine suo maculatam carnem abluit.* nihilominus Lucretiae exemplum in dialogo *de matr.* fuisse neque acquievisse Senecam in brevissima mentione Lucretiae c. 49 p. 320 A (de illa ad Senecam redeunte v. sub 5), nemo non probabile putabit, atque adeo propriam causam p. 187 dedi, cur a ceteris exemplis Annaeanis c. 46 Lucretia non sit dissolvenda. at reliqua elocutio capitis vacat a vestigiis latinitatis recentioris; nul-

1) Corneliae dicta duo de Gracchis Seneca habet: verbum in textu exscriptum et alterum *ad Helv.* (d. XII) 16, 6; cum his conferendum est tertium, quod fuit in Pomponii Rufi *collectorum* libro (v. Val. Max. IV·4). Pomponii tamen Rufi memoria ab omni parte incerta est, v. Alewell l. l. p. 42 seqq.; inde ad fontem Senecae in apopthegmatis matronarum explorandum ille momentum nullum habet.

lum vocabulum, structura nulla, quam prohibearis Senecae tribuere.[1]) quo in genere observandum est, iuncturam vocabuli *querendi* cum dat. in enuntiato p. 312 B *cumque uxori questus esset* (cf. e. g. Iuv. *sat.* 2, 131 *nec quereris patri*) a vetustissimis codicibus *E* et *S* abesse praestantibus *cumque uxore questus est*, ita ut antiquior structura vocabuli *querendi*, qua cum praepositione *cum* iungitur, evadat, usurpata a Seneca *de tranq.* (d. IX) 11, 2 et *epist.* 22, 15. sic purus a consuetudine recentiore quavis excepto Lucretiae exemplo sermo c. 46 argumentum haud leve est originis Annaeanae. quo in capite etiam ingenium Senecae passim mihi videor deprehendere; velut p. 312 A seq. *ut illo quoque saeculo pro exemplo fuerit, quo inpudicitia monstrum erat, non vitium* cf. cum *de vita b.* (d. VII) 21, 3 *illud saeculum, in quo censorium crimen erat paucae argenti lamellae.*

Paraphrasis Hieronymiana cum nulla fere cernatur genere dicendi c. 46, quaeri debet, num prodatur memoria falsa p. 312 D de Porcia virgine ducta a Bruto in matrimonium, Marcia non virgine a Catone (v. p. 59 seq.). nimirum confusam esse istam memoriam dubitari nequit, nequiretque, etiam si legeremus eam in servato libro Senecae nulli obnoxiam haesitationi de ortu eius; tam aperte et graviter faciunt Lucanus, Appianus, Plutarchus adversus Hieronymum. et praecipue cum Lucani II 329 de Marcia vox sit *quondam virgo toris melioris iuncta mariti*, qui est Lucani cum patruo in plurimis rebus concentus, aegre a me impetro, ut confusionem ipsi Senecae dem. quamquam meum duco *σφάλματα* Senecae hoc loco converrere, ut pateat quibus finibus ista se continuerint. qualia ne antiquos quidem fugerunt; cf. Quintiliani de Seneca vocem *inst. or.* X 1, 128 *multa rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab his, quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est.*

error de Porcia et Marcia ex consilio laudandae monogamiae natus est; quae virgo nupserit, ea summam quoque fidem coniugalem praestitisse dicitur, in Porciam Bruti transfertur omnis perfectae coniugis qualitas.[2]) mirum autem est, ut nonnullorum errorum in Seneca

1) tantum dubitare licet an p. 312 C *magis vellet* pro *mallet* Senecam minus deceat; locutionis *magis velle* auctores adnotant lexica Ter. *Eun.* 1002 et Val. Fl. III 270.

2) cf. Senecae laudem materterae *ad Helv.* (d. XII) 19, 4 . . . *cui virgo nupserat.*

ratio ea sit, ut exempla certam quandam virtutem spectantia aliorum virorum transferantur in ipsum, qui eiusdem virtutis tamquam imago praecipua sit. velut de Aristide habet narratiunculam Seneca *ad Helv.* (d. XII) 13, 7 ducto ad supplicium, tamquam animadverteretur in iustitiam ipsam, cum inventus sit nihilominus, qui in faciem eius inspueret. at supplicium et tota narratiuncula Senecae non cadit in Aristidem, in Phocionem cadit, Atheniensium virum optimum ad supplicium ductum et, cum duceretur, sputo respersum, id quod narrat Plutarchus *Φωκ.* 36; errorem Senecae retexit Lipsius ed. *Sen.* (1615) p. 84. praeterea Philippi regis Macedonum, parentis Alexandri Magni, virtutem propriam in patientia contumeliarum posuit Seneca *de ira* III 23, 3, nec solus Seneca (v. infra sub 4); inde ad hunc regem trahitur fabula de Demochare Parrhesiasta, qui post Alexandrum Magnum aetate diadochorum floruit, legato Atheniensium tractante impune Macedonum regem dicto procaci. de errore Senecae locuti sunt Ruhnken ed. *Rutil. Lup.* (1768) p. 9, Wilamowitz, *Antig. von Kar.* p. 189 adn., Niese, *Gesch. d. gr. u. mak. Staaten* eqs. t. I p. 335 adn.; erroris rationem non viderunt in uno Demochare inhaerescentes eiusque ad ingenium illustrandum monentes constitutam esse narratiunculam, quam ad celebrandam patientiam Philippi Seneca adornavit.

deinde gravis apud Senecam error *de benef.* III 37, 3 repetendus est ex stoicorum studio efferendi narratiunculis magnanimitatem Antigoni Gonatae, qui Macedonum rex, Demetrii Poliorcetae filius, familiaritate iunctus erat Zenoni Citiensi et Persaeo stoico; eundem hunc regem partes certas in narratiunculis scriptoris stoici Senecae obtinere nemo adhuc dixit.[1]) et primum quidem loco illo operis *de benef.* in Antigonum transfertur honestum et nobile factum patris eius, Demetrii Poliorcetae: *vicit Antigonus qui cum ingenti proelio superasset hostem, praemium belli ad patrem transtulit et imperium illi Cypri tradidit. hoc est regnum, nolle regnare, cum possis.* cui exemplo quae res gestae subsint, cf. Niese l. l. I p. 320 seq.; constat Lipsii vigilantia l. l. p. 307 de falsa memoria Senecae. reapse autem vigere in scriptis Senecae Antigoni Gonatae memoriam, fautoris illius stoicorum philosophorum, ut

1) W. W. Tarn, *Antigonos Gonatas* (1913), qui multa de narratiunculis ad Gonatam pertinentibus recte expedivit (cf. praecipue c. VIII, *Antigonos and his circle* p. 223 seqq.), tamen Senecam praeteriit. editorum Senecae Gertz, *Sen. dial.* (1886) p. 142 errat de Antigono a Seneca saepius commemorato.

regis exemplar constanter secuti honestam et philosophicam vivendi regulam, efficio ex reliquis narratiunculis ad summam quattuor, quas de Antigono rege certius non significato praestat Seneca. quarum primo loco promo *de benef.* II 17, 1 *ab Antigono cynicus petit talentum: respondit plus esse, quam quod cynicus petere deberet; repulsus petit denarium: respondit minus esse, quam quod regem deceret dare.* eandem narratiunculam Plutarchus profert *περὶ δυσωπίας* 7 p. 531 F adnexam alteri narratiunculae de eodem Antigono donante Biantem talento; ubi quod Antigono epitheton ὁ *γέρων* additum a Plutarcho est, cave ne hoc te fallat, velut fefellit iam antiqua aetate auctorem pseudoplutarcheorum *'Αποφθ. βασ. κτλ.* p. 182 E referentem narratiunculam de cynico repulso a Gonata inter apopthegmata Antigoni maioris, avi Gonatae.[1]) quomodo autem incurreret in epitheton *τοῦ γέροντος* Antigonus Gonatas, haud illepide explicare temptavit Tarn, *The Iournal of hell. Studies* XXIX (1909) p. 268[2]); ceterum fac Plutarchum ipsum quoque contra me stare et intellexisse Antigonum *τὸν γέροντα* Gonatae avum: utique manifestum est, exemplo 'Biantis' ab Antigono donati pecunia subfuisse primitus Bionem Borysthenitam dono a Gonata sublevatum teste Laertio Diogene IV 54, cf. Wyttenbach, *animadv. in Plut. mor.* p. 1078 Oxon., Niese l. l. II 223. quocirca cynici quoque exemplum illud talentum poscentis repulsamque ferentis coniunctum

1) ad Alexandrum Magnum refertur eadem narratiuncula in *Gnomologio Vaticano* 104 Sternbach (*Wiener Studien* X, 1888, p. 17).

2) „All the great figures of his generation, who had played their parts on the political stage — the two Antiochi of Syria, Pyrrhus of Epirus and Areus of Sparta, Magas of Cyrene and Demetrius the Fair, Philetairos of Pergamum and Alexander of Corinth, chiefest of all Ptolemy Philadelphus of Egypt — all were dead; Antigonus alone remained, the "old man" of the political world. We have seen a somewhat similar nickname given to a statesman in our own time (Gladstone)". quamquam non ab omni parte munivit hanc explicationem agnominis Plutarchei Antigoni Gonatae *τοῦ γέροντος* Tarn; praesertim vellem vidisset, Wyttenbachium, *animadv.* eqs. p. 116 Oxon. (t. III p. 88 Lips.) i. q. *maiorem* valere epitheton *τοῦ γέροντος* Antigoni intendisse, Wyttenbachium etiam allegasse Metellum *τὸν γέροντα* vocatum a Plutarcho *περὶ ἀδολεσχίας* 9 p. 506 D (cf. etiam Pohlenz, *Goett. Nachr.* 1913 p. 347 adn. 3). nihilominus illud utique Tarnio dandum, neque ego dubitavi umquam, iis locis quibus Plutarchus Antigonum *τὸν γέροντα* dicit, *Πελοπ.* 2, *περὶ τῆς 'Αλ. τύχ κτλ.* 9 p. 330 E, *περὶ *Ισ. κ. 'Οσ.* 24 p. 360 C, *περὶ δυσωπ.* 7 p. 531 E, aut erravisse Plutarchum aut cogitavisse Gonatam; quibus de locis egit Tarn, *Iourn. of h. St.* l. l. et *Ant. G.* p. 251 seq.; de *Πελοπ.* 2 cf. etiam Wilamowitz, *Antig. v. Kar.* p. 228 adn. 54.

apud Plutarchum cum exemplo Biantis ad Gonatae illustrandum iudicium probum beneficiorum dandorum primitus inventum est, conveniteque quod Seneca vocans regis factum sub censuram moralem quaerensque, quid ex exemplo repulsi cynici de beneficiorum regula efficiatur, morem regis diserte approbat l. l. 2; nimirum scriptor stoicus defendit regem stoicum.[1])

praeterea tres Seneca de Antigono narratiunculas exhibet *de ira* III 22, 2—5, quibus rex magnanimiter maledicta militum nec non hostium in castello obsessorum patiens inducitur. ubi quod *mitis animus* Antigoni atque comitas eius adversus manipulares celebratur, δημοτικὸς καὶ πρᾶος vocatur Antigonus Gonatas etiam ab Aeliano ποικ. ἱστ. II 20 eo loco, quo apopthegma praeclarissimum eius refertur τὴν βασιλείαν . . . ἔνδοξον εἶναι δουλείαν.[2]) atque Gonatam ab Aeliano hoc loco dici inter omnes constat (cf. Wilamowitz, *Ant. v. Kar.* p. 232 adn. 66. Tarn l. l. p. 256 adn. 122). denique quod *deformitatem* Antigoni Seneca ibid. 4 memorans de *statura humili* eius et *conliso naso* loquitur, ἑτερόφθαλμος vel μονόφθαλμος sive Κύκλωψ audit Antigonus maior ille quidem apud Aelianum ποικ. ἱστ. XII 43, alios (cf. *Realenc.* I 2406), nec tamen luscum spectat descriptio Senecae.[3]) inde non flocci facio, quod Ps.-Plutarchus primam narratiunculam harum trium Senecae *de ira* III 22 Antigono maiori tribuit Ἀποφθ. βασ. p. 182 C (eandem narratiunculam verus Plutarchus περὶ ἀοργ. 9 p. 457 E atque etiam tertiam narratiunculam Senecae ibid. 10 p. 458 F sub simplici Antigoni nomine affert)[4]), praeterea idem Ps.-Plutarchus Ἀποφθ. βασ. p. 182 B in senectute

---

1) fieri potest, ut apopthegma, de quo stoici disputarunt, ipsum a Bione Borysthenita auctore primario litteris mandatum sit; certe luculentum numerum apopthegmatum Gonatae ad Bionem redeuntium composuit Tarn, *Ant. G.* p. 236 adn. 47. vituperatio cynici, quae apopthegmati inest, quadrat ad Bionem cyrenaicis philosophis potius adnumerandum quam cynicis, denique favet origini Bioneae exempli Annaeani de beneficiorum regula dictum Bionis de beneficiis apud Teletem περὶ αὐταρκείας p. 6, 3 seqq. ed. Hense[2] καὶ σὺ μὲν εὔπορος γενόμενος δίδως ἐλευθερίως, ἐγὼ δὲ λαμβάνω εὐθαρσῶς παρὰ σοῦ, summa cum probabilitate ab Henseo ibid. prol. p. LXXIX relatum ad Antigonum Gonatam.

2) hoc apopthegma in Seneca restituit Wilamowitz *de clem.* I 8, 1 p. 220, 16 H.[2]

3) descriptione Senecae non usus est Tarn, *Ant. G.* ubi debuit p. 249.

4) communis auctor unde haec narratiunculae de Antigono descenderunt in Senecam et Plutarchum, Sotion est, Senecae praeceptor, cf. P. Rabbow, *Antike Schr. über Seelenheilung* eqs. I (1913) p. 75 seqq. quis Antigonus dictus sit a Plutarcho et Seneca, non quaerit Rabbow.

Antigonum maiorem ἠπίως καὶ πράως iam imperio usum esse tradit. immo Senecae *de ira* III 22 narratiunculae de miti et magno animo Antigoni addendae sunt propriis stoicorum narratiunculis de Antigono Gonata, quales adnotatas invenis apud Niese l. l. II p. 223 et Tarn l. l. p. 34. 251. 301 (Plut. πρὸς Ἀπολλ. 33 p. 119 C; Aelian. ποικ. ἱστ. III 5; IX 26; XII 25; al.).

Ab Antigono revertor ad errores Senecae, quorum species certa Antigono stoicorum fautore posito pro Demetrio Poliorceta, Aristide iustitiae exemplo clarissimo pro Phocione, eiusmodi erratis cernitur. sed Porcia confusa cum Marcia, cum fidelior coniunx virgo nupsisse, infidelior monogamiae laude perdita nupsisse dicatur ex errore cum probabilitate nonnulla tribuendo Senecae, nihilominus in eo discrepat ab erroribus Annaeanis modo in unum genus a me collectis, quod Porcia patrium Senecae exemplum est, externa illa sunt. atque in externis rebus Seneca sane multo magis quam in patriis rebus erroribus obnoxius fuit. quantam ad ignorantiam illic processerit, reges Macedones Philippus, Alexander Magnus, Antigonus Gonatas illustrant *de ira* III 23 in mente Senecae in eum ordinem digesti, ut Alexander Magnus nepos fieret Antigoni Gonatae, v. l. l. 1 *huius* (i. e. Antigoni) *nepos fuit Alexander*, *qui lanceam in convivas suos torquebat* eqs., ibid 2 *non habuit hoc avitum ille vitium, ne paternum quidem; nam si qua alia in Philippo virtus* eqs. ad hunc modum a Seneca pessumdatus laterculus regum Macedonicorum ea via se insinuavit opinor in mentem philosophi, ut vel nesciens indulgeret opinionibus moralibus, quibus ab optimo rege Antigono imperium decidisset in saeculum pestem ferens Alexandrum; velut miratur Seneca *nat. quaest.* V 15, 3 *ante Philippum Macedonum regem fuere, qui pecuniam in altissimis usque latebris sequerentur.*[1]) nominum vero permutatio haec Senecam male habuit: Philippum a Romanis superatum cum sciverit Antigono cuidam, qui Doson erat, successisse, confudit Philippi nomen minoris cum maiore, Amyntae filio, Antigonum Dosonem cum Gonata[2])

---

1) explicare tempto quod posse explicari desperavit Rabbow l. l. p. 76 adn., simul nego exempla c. 23 libri III *de ira* ex auctore graeco, Sotione, a Seneca deducta esse. immo θέαν παραδειγμάτων Sotionis auxit Seneca hoc c. 23, florilegio latino usus, v. infra sub 2 et 4.

2) Gertz ed. *dial.* p. 142 de hac confusione Senecae loquens ipse lapsus in eo est, quod Philippum a Romanis superatum *Antigoni Dosonis filium* vocat, vo-

Prae tali errore lenia videntur alia in externis rebus sive litterarum historia a Seneca peccata; velut quod *nat. quaest.* IV a 2, 2 *Philas* et *Meroen* confudit Nili insulas distinctas recte a Lucano X 303 et 313, vel quod *de brev. vitae* (d. X) 1, 2 sententiam Theophrasteam Aristoteli tribuit (cf. p. 14 adn. 2). denique commutationem *Phocaeae* cum *Phocide* communem Senecae *ad Helv.* (d. XII) 7, 8 cum aliis litteris tangam infra in exemplo Mausoli.[1])

e contrario in patriis rebus scientia antiquitatis et litterarum notitia multo maior et munitior erat Senecae quam in rebus litterisque externis. nempe hic gravius nulla in re haud scio an peccaverit quam in eo, quod Tibullianum I 7, 26 *nec Pluvio supplicat herba Iovi* Ovidianum esse putavit *nat. quaest.* IV a 2, 2. deinde narratiunculam de M. Horatio Pulvillo, qui mortem filii sibi nuntiatam dedicanti Iovis aedem in Capitolio constantissime tulerit, Seneca *ad Marc.* (d. VI) 13, 1 falsa memoria obstrictus eadem, qua Valerius Maximus V 10, 1, de pontifice Pulvillo narravit, non de consule (cf. Schendel, *quibus auctoribus rom. Sen.* eqs., diss. Gryph. 1908, p. 11 adn. 5. Klotz, *Herm.* XLIV, 1909, p. 199). at rara remanent talia vitia Senecae domestica; neque assequor, quo iure Stangl, *Berl. ph. Woch.* XXX (1910) p. 400 *σφάλματα μνημονικὰ* ad romanas litteras pertinentia questus sit ut plurima et foeda Senecae. certe Phaedri Augusti liberti fabulas Aesopias versibus senariis expressas alienis ab arte graecissante numerorum saeculi Annaeani quod Seneca *ad Pol.* (d. XI) 8, 3 ignorare videtur, ea res impingenda non est inscitiae eius, sed explicanda cum Buechelero ex Phaedri scribendi genere contempto a Seneca homine melioris condicionis et cultioris stili, graecam artem in structura versuum servante (cf. *Berl. ph. Woch.* XXVIII, 1908, p. 910).

Relinquitur ut eam quae maxime delectet, quaestionum capi-

---

luit *successorem* sive *pupillum.* ceterum quod Antigonum Dosonem commutatum esse a Seneca cum Antigono prisco, Demetrii Poliorcetae patre Gertz ait, cf. p. 294 adn. 1.

1) accidit id quoque, ut ab huius aevi doctis erroris Seneca arcesseretur ipsis errantibus. velut Gercke *nat. quaest.* VII 28, 2 immerito in nomine Aristotelis offendit, cf. supra p. 14 adn. 2. deinde patris Senecae errorem *suas.* 1, 5 ad Callisthenem referentis ea quae Clito acciderunt, in filio Seneca recurrere *de ira* III 23, 1 contenderat Rolland, *De l'influence de Sén.* eqs. p. 22 seq.; quem refelli *Berl. ph. Woch.* XXVIII (1908) p. 1116.

tis 46 absolvam, quae est de fontibus Senecae, unde exempla capitis et praecipue apopthegmata matronarum petiverit. ac talis quaestio ipsa quoque quodammodo pars investigandi est, num Hieronymus a Seneca pendeat; peritia antiquitatis et eruditione Seneca dignum esse hoc caput Hieronymi illustrandum est. augetur autem notitia nostra antiquitatis romanae c. 46 memoria trium praecipue mulierum, Valeriae illius Messalarum sororis de qua Hauptius, Biliae et Porciae minoris. nam aliae matronae, Annia et Marcella maior, mera nomina remanent; de aliis autem, Lucretia et Porcia Bruti mortem sibi ipsis consciscentibus, Marcia Catonis uxore discurrente inter Catonem et Hortensium quae Hieronymus habet, ea rhetorum communia sunt. iam vero Biliae vel nomen ostendit memoriam ad priscos annales sincerae fidei ascendere, quamvis fabula de putida mariti anima Sullanae aetatis annales potius fabulosos redoleat. aptissime enim ea matrona, quae singulari patientia coniugali inter uxores priscae aetatis eminuerit, inter illas quaeritur, quae nuptiis in manum mariti convenerunt. egi autem de *Bilia* nomen gentilicium mariti ferente *Duillii* i. e. *Bilii mus. Rhen.* t. LXV (1910) p. 604 seq.; ante annum 527/227 earum matronarum romanarum et paullo etiam longius latinarum civitatium, quae usu sive farreo sive coemptione matrimonii causa in manum mariti convenerant, nomenclatura ad exemplum matronae Poubliliae Turpiliae formata fuit; in sermone cottidiano simpliciter nomine gentilicio mariti uxores huius iuris vocatas fuisse, ipsum *Biliae* exemplum monstrat.

iam vero exemplorum corpore quodam intercedente Biliae narratiuncula ex annalibus Sullanae aetatis in Senecam venit; ex eiusdem generis fonte primario descendit atque Claudiae exemplum ineunte c. VI tractatum, itemque ut illic ne hic quidem primarium fontem vidit Seneca. nec vero Porciae minoris apopthegmata tria Hieronymi ab auctore primario huius de Porcia minore memoriae Senecam ipsum accepisse certum est, quamquam collectio specialis, si qua erat, apopthegmatum huius Porciae haud multum afuit ab aetate Senecae. at siquidem illius apopthegmata coniuncta cum aliarum matronarum apopthegmatis, Anniae, Marcellae, Valeriae, apud Hieronymum leguntur, maior apopthegmatum matronarum libellus fons Senecae cogitandus est; quin id quoque dubitandum est, an matronarum dicta ista pudica ex varii generis facetiarum et apopthegmatum cor-

pore ampliore Seneca excerpserit; nil nisi hoc planum est, apopthegmatum collectiones aetatis Augusteae pro fonte a Seneca reapse exscripto habendas esse. ceterum in praesentia nolo auctoris nomen dicere, qui suppeditaverit apopthegmata matronarum Senecae, etiamsi per ambages disputationis ad unum nomen infra perveniam. interim acquiesco in cognati generis collectionibus apopthegmatum indicandis harumque litterarum condicione generali et auctoribus potissimis significandis. odiosa nimirum res est anthologii cuiusdam frustula, nisi forte casus felicior adiuvit, ad certi auctoris nomen velle revocare. quin saepius, cum anthologiorum auctores secundarii passim nil egerint, nisi ut propagarent materiam tralaticiam, ne attinet quidem in eorum nominibus enucleandis operam perdere.

Primum igitur peculiaris collectio apopthegmatum Porciae coniectura petenda quas similitudines habeat in apopthegmatum litteris romanis, videndum est. atque Catonis Vticensis, cuius pudicitiam notant devitati apud populum praesente illo ioci Florales testibus Seneca *epist.* 97, 8, Valerio Maximo II 10, 8, Martiale *epigr.* I praef., filiae dicta pudica collecta a scholasticis esse sive potius pudicitiae flores varios translatos in eam matronam esse, per se probabile est. certorum hominum dicta peculiaribus voluminibus aetate illa Romae propagabantur; Ciceronis *facete dicta* sive *ioci* a Trebonio vel a Tirone emissi sunt (v. Cic. ed. Mueller IV 3 p. 341 seqq.), in gente Porcia tamquam hereditarium erat studium colligendorum apopthegmatum. Cato Censorius florilegium facete ab aliis dictorum foras dederat, postea ipsius Censorii apopthegmata promulgata sunt certe ante aetatem Ciceronis et Cornelii Nepotis. praecipue autem fontem primarium apopthegmatum Porciae minoris refingo ad exemplar *βιβλιδίον μικροῦ* a Bibulo confecti, Porciae maioris filio, quo de libro apopthegmata Bruti, vitrici Bibuli, continente notoque ex Plutarchi *Βρούτου* c. 13 cf. Cichorius, *Realenc.* III 1368. atque praeter vitricum Porciae matris memoriam eo libello Bibulus coluit, ut narratiuncula de Porcia ostendit delapsa ex eo libro in Plutarchi *Βρούτ.* c. 23. — denique mantissae instar etiam nonnulla alia adnoto de certorum hominum apopthegmatis propagatis operibus peculiaribus aetate liberae rei publicae exeuntis et principatus ineuntis. Cascellii iurisconsulti, aequalis Ciceronis, liber *bene dictorum* a Pomponio citatus *dig.* I 2, 2, 45 rectius refertur ad apopthegmata ab alio quodam edita Cascellii quam ad florilegium

dictorum variorum a Cascellio constitutum, etsi hoc voluit Wissowa, *Herm.* t. XVI (1881) p. 499 adn. 1 (cf. Peter, *Jahrb. f. Phil.* t. CLV, 1897, *Die Litteratur der Witzworte in Rom* eqs. p. 855; Schanz, *R. L.* I 2^3 p. 486).[1]) Domitii Afri *dicta urbane* consulis suffecti sub Caligula in vulgus data sunt teste Quintiliano *inst.* VI 3, 42.

Haec hactenus de litteris, quibus fons primarius apopthegmatum Porciae minoris, si modo fuit talis fons libellus peculiaris apopthegmatum huius Porciae, addendus est; nempe iniudicatum relinquo, utrum is fons revera fuerit, an potius collectiones ampliores variarum facetiarum aetatis Augusteae primam notitiam de hac Porcia litteris mandaverint. consequens est, ut iam maiora ista corpora apopthegmatum variorum aevi illius tangam; quaeres, quaenam capita matronarum apopthegmatum in his operibus fuerint. multa autem auctorum nomina et varia opera sese offerent ei, qui locum ascribere temptat dictis mulierum Hieronymi in litteris dictorum aetatis Augusteae. atque conspectum brevem harum litterarum dedit Peter l. l. p. 856. cum vero maxima clades litterarum illarum sit, quarum ne unum quidem florilegium diem integrum tulit, nulla dubitatio potest esse, unde mihi quaerenti de matronis Hieronymi exordium sumendum sit: Macrobii *Saturnaliorum* liber II refertus est apopthegmatis fontium vetustorum, cuius c. 5 Iuliae, divi Augusti filiae, dicta referuntur. Iuliae dicta Macrobii impudica ad Porciae minoris dicta pudica Hieronymi genere litterarum, cum hic et illic matronae saec. VIII urbis memoria propagetur, proxime accedunt.[2]) atque in libro II Macrobii dicta Iuliae c. 5 leguntur post divi Augusti dicta c. 4, Ciceronis c. 3;

1) Cascellii apopthegmata traduntur Val. Max. VI 2, 12, Quint. *inst.* VI 3, 87, Macrob. *sat.* II 6, 1 et 2. inde Pomponii locutionem *Cascellii scripta non exstant nisi unus liber bene dictorum* refero ad dicta eius ab alio edita, cuius nomen periisse non miramur, cum Quintilianus nescierit, quis Ciceronis iocos edidisset, v. *inst.* VI 3, 5 *libertus eius Tiro aut alius, quisquis fuit qui tres hac de re libros edidit.* atque Quintilianus hoc loco itemque VI 3, 42 et 65 collectores et editores apopthegmatum alienorum non significat *scriptoris* vocabulo. tantum Domitium Marsum de urbanitate '*scripsisse*' VI 3, 102 dicit; item divi Iulii *dicta collectanea* una cum *laudibus Herculis* et tragoedia *Oedipode* inter *scripta* eius a Suetonio *Iul.* 56 referuntur. — absurde nonnulli apopthegmata Cascellii a Valerio Maximo aliisque tradita non revocant ad librum in *Dig.* citatum (cf. *Realenc.* III 1637).

2) Corneliae, matris Gracchorum dicta, quae in Seneca et Valerio Maximo occurrunt (v. p. 292 adn.), propter aetatem matronae nolo imprimis conferre cum apopthegmatis Porciae. ceterum Iulia in Senecae dialogo *de matr.* locum non

omnino tot vetusta apopthegmata, quorum pars servatur etiam in aliis scriptoribus, descenderunt in hunc librum Macrobii, ut quaestio de fontibus eius fundamento idoneo nisa aliquo cum fructu ab aliis coepta sit. excursu igitur de origine dictorum Iuliae apud Macrobium loquar; quo finis imponitur disputationi de matronarum apopthegmatis Senecae.

2

Agenti autem mihi de apopthegmatis Iuliae in Macrobii *sat* l. II praecipue infringenda est Wissowae auctoritas, qui *Herm.* XVI (1881) *anal. Macr.* p. 499 seqq. ausus est totum thensaurum facetiarum libri II Macrobii ad Domitii Marsi *de urbanitate* librum revocare; neque enim E. Arndt, *de ridiculi doctr. rhet.* (diss. Bonn. 1904) p. 42 seq., qui nonnulla iam admodum feliciter adversus Wissowam protulit, omnibus numeris mihi satisfecit. magnopere autem coartatur numerus auctorum, qui pro fonte Macrobii haberi possint, ea re, quod nemo inter viros et feminas memoriae certae, quorum apopthegmata Macrobius recenset, Iuliam, divi Augusti filiam, antiquitate superat.[1]) in eo igitur recte egit Wissowa, quod inter apopthegmatum collectiones primae aetatis imperatoriae auctorem Macrobii quaerit. at parum circumspecte ex ipso anno tricesimo et octavo Iuliae a Macrobio 5, 2 commemorato terminum facere aggressus est, quo finivisset auctor Macrobii collectanea sua.[2]) nam condicio apopthegmatum Iuliae non minus impudicitia et

---

habuisse non potest; in servatis libris memoravit philosophus impudicitiam eius *de benef.* VI 32, 1.

1) de hominibus libri II Macrobii plerumque satis adnotatum est in editione Iani; pauci aliunde noti non sunt, aut significatio, quamvis a Iano absens, in proclivi est. velut de Planco c. 2, 6 Ianus silet, narratiunculam de eo *in Maevia Galla nupta male audiente* Drumann, *Gesch. Roms* eqs. t. IV p. 212 probabiliter traxit ad L. Munatium Plancum cos. a. 42 (ubi tamen mirus est error Drumanni, ne a Groebe quidem correctus 1908 p. 228, ex *Caecina Albino* dialogi Macrobiani facientis aequalem Planci). praeterea incertioris memoriae remanent 2, 8 *Publius Mucium* vituperans; 2, 10 *Servilius Geminus* et *L. Mallius pictor*. denique 5, 10 *Populiae Marci filiae* nomen corruptum esse iam vidit Ianus ad l. (nomina in *-ullius*, *-ulius* praebet W. Schulze, *Abh. d. Goett. Ges.* V 2 p. 406 seq.); medela est lubrica, quia apopthegma nil continet, quod ad certam valeat matronam significandam, sed in loco communi versatur illo, quem adumbravi p. 182 adn. 2.

2) annus tricesimus et octavus Iuliae commemoratus a Macrobio in sententia 5, 2 *annum agebat tricesimum et octavum* aliter explicari nequit nisi sic, ut auctor Macrobii omnem narrationem ineptiarum Iuliae incipere iusserit a

protervitate insignium quam urbanitate praefracte impedit, ne Augusto etiam vivente a Domitio Marso in vulgus data sint. aetate provectiore censuram litterarum severiorem exercebat Augustus; apopthegmatum litterae vigilantiam eius praeterierunt numquam. velut patris *dicta collectanea* publicari vetuit teste Suetonio *Iul.* 56, idem Suetonius refert *Aug.* 56 *iocis quoque quorundam invidiosis aut petulantibus lacessitus contradixit edicto.* accedit propria condicio apopthegmatum Iuliae animusque Augusti constanter intentus in flagitium domus suae inde a relegatione filiae. quanto maerori seni Augusto filia fuerit inter moechas reperta et paene publicas, Velleius II 100, Seneca *de benef.* VI 32, Plinius *nat. hist.* VII 149, Suetonius *Aug.* 65 tradunt. quis igitur probabit, Marsum scriptorem insigni loco positum, Maecenati olim iunctum familiaritate, ex maerore Augusti et domo Caesaris gravissime afflicta arcessivisse oblectamenta civibus, mandantem litteris relegenda urbi et orbi dicteria Iuliae, quale est dictum explicantis, quomodo in adulterio similes Agrippae gnatos pepererit: *numquam enim nisi navi plena tollo vectorem*? itaque non quaero cum Arndtio l. l., num omnino divi Augusti dicta et ceterorum clarorum virorum ante obitum ipsorum publicare romanus mos fuerit; sed miror quomodo Wissowa peculiarem condicionem apopthegmatum Iuliae non respexerit. terminus post quem auctor Macrobii collectanea sua finivit, differtur in annum christianum 14, quo Augustus diem obiit; quo Iuliam quoque peremptam Regii esse obiter memoro.[1]) itaque Marsus compilatus esse a Macrobio nequit, cuius mors probabiliter in primos annos christianos cadit; etiamsi Ovidii versus *ex Pont.* IV 16, 5, quem recte intellexit Skutsch, *Realenc.*

relegatione eius a se relata, etiamsi in ipso Macrobio nullum verbum de relegatione Iuliae est. Iulia nata est a. 715/39, agi coeptum est in eam extremis mensibus anni 752/2 (v. Gardthausen, *Augustus u. seine Zeit* I 3, Lps. 1904, p. 1101). Macrobius l. l. inducit Iuliam, cum annum tric. et oct. agat, adhuc *abutentem indulgentia patris*; cogitavit igitur annum 752/2. nimirum cadit Iuliae annus tric. et oct. in annos 752/2 et 753/1. falso dixit Wissowa l. l. p. 499 annum 753 nec aperuit contextum totius relationis in auctore Macrobii.

1) parum idoneus inde quoque est terminus Wissowae Iuliae annus tric. et oct. (752/2), quia c. 4, 25 (*Augustus equiti*) *obiecit quod ad contrahendum matrimonium legibus non paruisset. ille uxorem sibi et tres esse liberos dixit* revocandum est ad equitum fremitum adversus leges Iuliam et Papiam Poppaeam, de quo v. Cass. Dion. 56, 1 et Suet. *Aug.* 34. quamquam autem lex Iulia de maritandis ordinibus rogata est iam a. 736/18, tamen ipsa Macrobii dictio *legibus* rectius trahitur ad leges Iuliam et Papiam Poppaeam non adhibitas ante a. christ. 10 (cf. Puchta-Krueger, *Instit* t. I^{10} p. 297 et 301).

V 1430, certam de morte Marsi memoriam non offert, tamen scriptoris ἀκμὴν multo priorem Ovidio exule fuisse ex eodem versu Ovidiano utique cognoscitur; opus pedestre Marsi *de urbanitate* una cum scriptura poetica eius merito aetati Augusti tribuitur.

Quodsi causa manifesta obstat, ne Marsum pro fonte Macrobiani libri II habeamus, tamen nondum aequum est Marsum relinquere, priusquam destructa sit ratio adversaria, qua quidem usus Wissowa suam de Marsi auctoritate sententiam fundavit. atque eo libentius in illius opinione explicanda et refellenda operam insumo, quia illinc occasio transeundi erit idonea ad aperiendum verum auctorem.

Quinque facetiarum tabulam, quibus Macrobius cum Quintiliani libri VI c. 3 *de risu* proprie congrueret, fundamentum argumentationis Wissowa l. l. p. 500 esse voluit. Quintilianus enim harum facetiarum duas diserte Marso prodit se debere, quem *de urbanitate diligentissime scripsisse* ibid. 102 adnotat. qua in re illud nequaquam vitio verto Wissowae, quod originem quinque tantum facetiarum libri II Macrobii sibi exploravisse visus, statim in auctorem totius copiae illius apopthegmatum maximae, non appellatum ab ipso Macrobio, se incurrisse confisus sit. nam iste ratiocinandi modus, qui primo obtutu audacior videtur, reapse iure bono fruitur; haeret enim alte in consuetudinibus scriptoris Macrobii, quibus illustratis ipse Wissowa in diss. Vrat. *de Macr. sat. font. capita tria* (1880) p. 2/15 nomen meruit. verum de quinque illis similitudinibus falso iudicavit effecitque ex iis contrarium eius rei, quam oportet ex iis effici.

similitudinem eam primam tracto, quae reliquas superat consensu verborum, apopthegma alterum duorum, quae se debere Marso Quintilianus confessus est; cf. VI 3, 109 *et contumeliosi* (*generis dictorum urbanorum exemplum ponit Marsus*) *quod* (*Cicero*) *Attico scripsit de Pompeio et Caesare: 'habeo quem fugiam, quem sequar non habeo'* et Macr. II 3, 7 *Pompeius Ciceronis facetiarum impatiens fuit. cuius haec dicta ferebantur: 'ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo'*. hoc igitur ex consensu quod Marsi auctoritatem in Macrobio elucere iudicat, Wissowa non respexit expressum ad litteram a Macrobio Ciceronem *ad Att.* VIII 7, 2 *ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo,* discrimenque hinc agnoscendum Macrobii a Quintiliano, non respexit Ps.-Plutarchum *Ἀποφθ. βασ.* p. 205 C (*Κικ.* 14) *Πομπηίου δὲ καὶ Καίσαρος διαστάντων ἔφη· γινώσκω ὃν φύγω μὴ γι-*

νώσκων πρὸς ὃν φύγω (cf. Plut. *Κικ.* 37 *ἔχειν μὲν ὃν φύγῃ, μὴ ἔχειν δὲ πρὸς ὃν φύγῃ*) liberius reddito apopthegmate Ciceronis cum Quintiliano facientem adversus Macrobium, denique non vidit, quam intricata omnino quaestio esset circa verbum aliquod ex epistulis Ciceronis *ad Atticum* a Domitio Marso prolatum ea tempestate, qua epistulae illae in vulgus nondum datae erant. saeculo nimirum post mortem Ciceronis istae epistulae publici demum iuris factae sunt. atque adeo quibuscumque seram litterarum *ad Att.* editionem probarunt Buecheler, *mus. Rhen.* XXXIV (1879) p. 352/5 et postea Buechelero accedens Leo, *misc. Cic.* (*Ind. schol. Gotting.* 1892) p. 3 seqq., ii summo iure recusabunt, ne Marsi minus accuratam notitiam apopthegmatis alicuius ortum ducentis ex epist. *ad Att.* casui tribuant aut Quintilianum dicant reddidisse Marsum minus fideliter. immo quomodo discrimen inter Marsum (Quintilianum), Plutarchum, Macrobium in memoria huius apopthegmatis explicari debeat, ut mihi opinandi sit nulla cura, curavit rem Leo, etsi quaestionem de fonte Macrobii paene non tetigit, l. l. p. 6: 'in Macrobii collectionem verba ex ipsa epistula excerpta transiisse apparet sive a Tirone sive ab alio, cui aditus ad eas epistulas pateret, cum Marsus dictum ex sententiarum compage solutum et liberius enuntiatum similiter accepisset atque Plutarchus.' ceterum non, si improbamus sententiam Buecheleri et Leonis de editione sera epistularum *ad Att.*, idcirco licet agnoscere Marsi auctoritatem in Macrobio. utique relinquitur discrimen inter illum proferentem dictum Ciceronis fando ut videtur aliquamdiu propagatum et Macrobium dictum de codice expressum reddentem cura grammatica.

reliquis locis quattuor a Wissowa allegatis consensus Quintiliani cum Macrobio argumenta solummodo narratiuncularum spectat, verborum similitudo parca, interdum nulla est. velut narratiuncula de Augusto praefectum quendam vitiis deditum cum ignominia mittente apud Quint. VI 3, 64 et Macr. II 4, 6 diversis coloribus et sine ullo concentu vocabulorum decurrit, ipsa tantum praefecti vox et Augusti responsum congruunt; cf. Quint. '*quid respondebo patri meo?*' '*dic me tibi displicuisse*', Macr. '*quid patri meo dicam?*' ... '*dic me tibi displicuisse.*' eiusmodi igitur consensus cave ne rapiat te in fraudem; periti sciunt, etiam nullo litterarum vinculo intercedente apud veteres effectam esse memoriam comparem apopthegmatum virorum illustrium. velut Macrobius VII 3, 8 et Seneca rhetor *contr.* VII 3, 9 dictum Laberii in

Ciceronem congruentes reddunt '*atqui soles* (*solebas* Macr.) *duabus sellis sedere*', unde tamen communionem fontis intellegere velle rhetoris Secae et Macrobii temerarium est. similiter Suetonius et Macrobius memoria eadem in dictis nonnullis Ciceronis, Sullae, Augusti utuntur, nec vero libri cuiusdam usum communem Suetonii et Macrobii ponere inde fas est; cf. Suet. *Iul.* 50, 2 *facetissime Cicero: 'quo melius', inquit, 'emptum sciatis, Tertia deducta'*, Macr. II 2, 5 '*quo melius emptum sciatis, comparavit Servilia hunc fundum Tertia deducta*'; Suet. *Iul.* 45, 3 *Sullae dictum* . . . '*ut male praecinctum puerum caverent*', Macr. II 3, 9 '*cave tibi illum puerum male praecinctum*'; Suet. *Aug.* 85, 2 (cf. Lyd. *περὶ μην.* IV 112 p. 151 W.) *quaerentibusque amicis quidnam Aiax ageret, respondit, Aiacem suum in spongiam incubuisse,* Macr. II 4, 2 *quid ageret Aiax suus. et ille 'in spongiam', inquit, 'incubuit'*; Suet. *Aug.* 53, 2 *quendam ioco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem*, Macr. II 4, 3 *Augustus, cum ei quidam libellum trepidus offerret et modo proferret manum modo retraheret, 'putas', inquit, 'te assem elephanto dare?'* atque hunc novissimum Augusti iocum praeter Suetonium et Macrobium etiam Quintilianus exhibet VI 3, 59 *cuius est generis illud Augusti, qui militi libellum timide porrigenti 'noli', inquit, 'tamquam assem elephanto des'*. sed ne hoc quidem ex loco colligi potest, propriam cognationem intercedere inter Macrobium et Quintilianum; nam etsi Macrobius cum Quintiliano phrasi *dandi assem* conspirat, tamen in eo abhorrens a Quintiliano cum Suetonio facit, quod narratiunculam de homine plebeio narrat; de milite loquitur unus Quintilianus.

Abiecto Marso quaeritur, num alius auctor apopthegmatum copiae Macrobianae dici possit. quem priusquam dicam, ne videar nominando auctorem affectare viam ad eam rem, quae expediri nequeat, verbis nonnullis explicabo, quo iure unus tantum auctor principalis libri II Macrobii ponatur. quin de universa ratione, qua fontium investigatio Macrobiana uti debeat ad dispiciendum opus Macrobii ortum ex compilatione impudentissima variorum auctorum, pauca commonenda erunt, cum ingenue fatear, didicisse me inquirentem in hanc rationem ab illo, quocum pugno de fonte libri II, plurimum. ne multa, oportet, antequam retegam verum auctorem apopthegmatum Macrobii, me breviter intueri, quatenus definiant rationes scriptoris Macrobii generaliter col-

lectae ex usu Macrobiano servatorum scriptorum, Gellii potissimum et Plutarchi, cursum quaestionis de origine apopthegmatum libri II.

totam autem arripio meamque reddo inter exceptiones, sub quibus Wissowa quaestionem de origine apopthegmatum libri II iniit, eam, ut absit a Macrobio litterarum ab eo reapse exscriptarum significatio. velut quod Furii Bibaculi, cui Ciceronis iocus infuerit, liber a Macrobio c. 1, 13 citatur, qui sunt mores Macrobii Gellium et Plutarchum uberrime ab eo exscriptos ne semel quidem in totis *saturnalibus* nominatim appellantis, vel hinc certum intellegitur, Bibaculi *lucubrationes* eum non evolvisse. item ex sententia 1, 12 *Cicero autem quantum in ea re valuerit quis ignorat, qui vel liberti eius libros quos is 'de iocis' patroni composuit, quos quidam ipsius putant esse, legere curavit?* apparet corpus dictorum Ciceronis Macrobium non inspexisse.

praeterea in ea quoque re procul dubio approbandus est Wissowa, quod unum principalem auctorem apopthegmatum libri II sibi eruendum proposuit; exploratum enim cura ipsius *de M. font.* p. 2 seqq. est, musivi generis non esse Macrobii scriptionem neque natum esse textum eius ex diversorum auctorum commixtione simul ab eo haustorum novumque in sermonem redactorum; immo singulos deinceps auctores eum adsuesse absolvere. atque adeo diversissimum est a Macrobio Hieronymi genus scribendi, quod musivum esse docebam repetendum ex schola christiana Clementis Alexandrini. nihilominus eadem fiducia, qua Wissowa thensaurum integrum facetiarum libri II praeter additamenta Gelliana pauca II 2, 1—3 (Gell. V 5), II 2, 15—17 (Gell. XIX 11, 2 seqq.), II 7, 2 seqq. (Gell. VIII 15) uni auctori tribuit, nolo equidem totam materiam horum capitum inter Gellium et alterum auctorem dispertiri. etiamsi enim a contaminandis fontibus abstinuit Macrobius neque subsidiarios auctores rerum ex principalibus fontibus petitarum simul adhibuit, tamen additicios similium rerum fontes arcessebat pannisque inde tractis copiam principalem augere solitus est (Wissowa, *de M. font.* p. 9 seq.). sic nonnullis expergefactus indiciis mihi persuasi, Ciceronis apopthegmata Macrobio innotuisse non omnia ex fonte uno, deque ea re, quid habeam, accipe.

Is ordo est sermonis Macrobiani cc. 2—6, ut c. 3 totum dicatum Ciceroni, 4 totum Augusto, 5 totum Iuliae praecedat variorum hominum apopthegmata continens c. 2, sequatur item miscellaneum c. 6. unus tamen dissensus deprehenditur ab isto ordine: Ciceronis dictum

aliquod legitur iam in miscellaneo c. 2. ac quamvis verba, a quibus incipit dictorum Ciceronis c. 3, Symmachi a Macrobio inducti *sed miror omnes vos ioca tacuisse Ciceronis* rationem artis habeant, cum Symmachus idem c. 2, 5 iocum praemissum illum Ciceronis narraverit, tamen distributionem iocorum Tullianorum in capita plura, cum vacent ab Augusti iocis miscellanea capita illa 2 et 6, diversitate fontium declaro. Ciceronis iocos, propagatos multifariam in litteris antiquis, venisse viis pluribus in Macrobium ultro probabile est et cognoscitur ex quattuor illis dictis Ciceronis in Macrobii l. VII c. 3, 8—10 obviis nec absentibus a libro II. collatio enim locorum libri II et VII docet, neque ex imitatione sui in libro posteriore VII posuisse Macrobium dicta libri II, neque eiusdem fontis iteratum usum socordiorem illic agnosci posse; hoc quidem Wissowa voluit *de M. f.* p. 11.

Tulliani in Laberium dicti responsique Laberiani memoria haec est l. II 3, 10 '*recepissem te, nisi anguste sederem*' et '*mirum si anguste sedes, qui soles duabus sellis sedere*'; l. VII 3, 8 '*reciperem te, nisi anguste sederem*' et '*atqui solebas duabus sellis sedere*'. altera recensio consentit cum patre Seneca *contr.* VII 3, 9 '*atqui soles duabus sellis sedere*', ita ut nefas sit, eam ex neglegentia Macrobii, fontem eundem iterum evolventis atque iam redigentis in brevius, deducere. item socordiae nescio quomodo tribuas, quod l. VII 3, 10 Ciceronis iocus '*veniebam, sed nox me conprehendit*' ad eum consulem refertur, qui uno tantum die consulatum peregit, i. e. Caninium (cf. Muenzer, *Realenc.* III 1479), cum idem iocus l. II 3, 5 de Vatinio paucorum dierum consule narretur. nimirum quadrat ad Caninium apopthegma illud, non quadrat ad Vatinium, ut iam Ianus dixit ed. Macr. t. II p. 228. denique differt liber VII a libro II apopthegmate Otacilii II 2, 13 '*ante flamines, nunc consules diales fiunt*' translato in Ciceronem VII 3, 10.

eiusmodi igitur cum ratio intercedat inter apopthegmata Tulliana librorum VII et II, auctor principalis, quo compilato Macrobius libri II c. 3 apopthegmatum Tullianorum condidit, in libro VII iterum exscriptus non est. nihilominus sane veri simile est, cum accessionis instar in libro VII dicta illa quattuor Ciceronis inserantur Plutarcheae de scommatis disputationi (adnectuntur inibi apopthegmati Ciceronis a Plutarcho tradito *συμπ. προβλ.* II 1, 4 p. 631 D), additamentum libri VII sic ortum esse, ut Macrobius auctoris sibi ex libro II conficiendo noti meminisset. ergo duobus ex fontibus iam illic Tulliana hauserat. iocos

libri VII una cum solitario ioco Ciceronis c. 2 libri II, nec non fortasse etiam cum adnotatiunculis Symmachi generalibus de Ciceronis scurrilitate iocoque in oratione *pro Flacco* tunc non iam exstante c. 1 libri II, ad fontem scholasticum aliquem Macrobio suppetentem de Cicerone refero. scholastica tractatio Ciceronis saec. IV maxime pullulavit, cuius pars ipsius Macrobii est opus *comm. in Cic. somn. Scipionis.*

Ciceronis igitur dictorum nego unum tantum fuisse auctorem Macrobii. restat copia dictorum aliorum libri II, Augusti, Iuliae, Cascellii, ceterorum, quorum originem simplicem et unam esse iam meo Marte contendo. facetiae Macrobii ut ex uno facetiarum corpore oriundae sint, postulatur vel maxime terminatione illa earum communi omnium in anno christ. 14 posita. nonne si vel duo corpora miscellanea apopthegmatum compilavisset Macrobius, valde mirum foret, si utrumque corpus eodem teneretur termino vetustatis? atque adeo hominum anno christiano 14 recentiorum dicta desiderantur apud Macrobium vehementer velut Caesarum (cf. Vespasiani dicta a Suetonio relata) nec minus Domitii Afri oratoris sub Tiberio et Claudio florentis, cuius dicta in collectionem peculiarem abierant. itaque iam unus ille auctor principalis apopthegmatum Macrobianorum definiendus est; ad quem paravit viam F. Muenzer, *Beitr. z. Quell. d. Naturg. d. Plinius* (1897) p. 360 adn. 2 iis, quae observavit de Macrobio exhibente II 4, 12 divi Augusti fragmentum epistulae ad Macenatem, plenum cavillationis humanissimae; prima notitia eius epistulae nemini maiore iure tribuitur quam cum Muenzero Maecenatis liberto, Melisso Maecenati, conditori maximi corporis facetiarum librorum CL.[1])

A Muenzero igitur Melissum primo dictum inter auctores libri II Macrobiani in locum principalis auctoris huius libri substituo, habeoque quomodo decretum defendam. Melissus qui sub Augusto floruit, extendit vitam in initia Tiberii. Suetonius ponit Melissum *de gramm.* 21 loco infimo grammaticorum aetatis Augusteae post Hyginum (hic natus est circiter a. 694/60), ante Pomponium Marcellum, cuius ἀκμή

1) Muenzeri observatio fugit Paulum Wessner, referentem de fontibus Macrobii ceteroquin diligenter apud Teuffel-Kroll, *Gesch. d. r. L.* III^{6} (1913) p. 385. etiam in capite de Melisso eiusdem operis t. II (1910) p. 81 tacetur Muenzer.

iam sub Tiberio erat. terminus igitur, ante quem auctor Macrobii scribere non potuit, impedit nullo modo, quominus Melissus is auctor fuerit, annus christ. 14, mors Augusti et Iuliae. atque statim ex morte Iuliae apopthegmata eius, cuius memoria tunc etiam recens fuerit, credas vulgata esse litteris. quodsi ipsis initiis Tiberii auctor Macrobii lubentissime attribuitur, traditum habemus senem Melissum apopthegmatum opus, i. e. *ineptiarum* libros CL incohavisse, tantum numerum librorum aegre absoluturum annis paucis; cf. Suet. *de gramm.* 21 (*Melissus*) *ut ipse tradit, sexagesimum aetatis annum agens, libellos 'ineptiarum' qui nunc 'iocorum' inscribuntur, componere instituit, absolvitque C et L.* ergo illis ipsis annis, quibus dicta Iuliae in libellum coiisse putandum est, Melissus versabatur in uno et altero libro *ineptiarum* addendo libris prioribus, effecturus librorum numerum maximum CL.

Deinde propriam rationem, qua amplector Melissi auctoritatem in Macrobio, traham subito ex quaestione, quae de paraphrasi est textus Macrobiani orti ex eclogis variis consutis scriptorum vetustiorum. paraphrasis autem Macrobianae quaestio pessime iacet neglecta adhuc in studiis Macrobianis. quae quaestio initium capere debet ab eclogis Gellianis Macrobii conferendis cum codicibus Gellii. mirus autem concentus deprehenditur inter Gellium et compilatorem eius, qui concentus libri II eclogis Gellianis apte illustratur. accedunt vero ad eclogas tres enotatas supra p. 307 haec quattuor: c. 7, 10—12 (Gell. XVII 14, 3 seqq.), c. 8, 3 (Gell. XIII 11, 6 seq.), c. 8, 4—9 (Gell. XV 2, 3—8), c. 8, 10—16 (Gell. XIX 2, 1—8). his eclogis textus Gellianus paginarum Teubnerianarum complurium continuus in Macrobio constituitur; nihilominus uno tantum loco deliberandum est, num substituerit Macrobius per paraphrasin recentius genus loquendi pro vetustiore: c. 8, 15 *quis igitur ... voluptatibus istis duabus ... gratuletur* pro *gratuletur* in Gellio XIX 2, 6 est *gaudeat*; iunctum cum ablativo *gratulari* valet i. q. 'laetari', 'gaudere' praesertim sane apud inferiores (cf. e. g. Vulg. *psalm.* 34, 26 *gratulantur ... malis meis*), sed abhorret ne ab Apuleio quidem usus iste (*met.* III 10 *gaudii nimietate gratulari*). unde existimanti, Macrobium repperisse in suo Gellii exemplari *gratuletur*, non habes quomodo dubitationem eximas. — iam vero minutae tantum sunt ceterae differentiae inter Gellii codices et excerpta Macrobii praeter unum varietatum genus dignissimum, quod efferam. locis quinque non tulit Macrobius

dictiones Gellii proprias vel eas, quas praeter Gellium tantum inferior latinitas offert, posuitque pro iis sollemniores vetustioresque. apud Gellium XVII 14, 3 *Publilii sententiae . . . ad communem sermonum usum commendatissimae* struitur *commendatus* cum *ad* singulariter (v. Thes. l. l. III 1853, 56), Macrobius c. 7, 10 pro *commendatissimae* exhibet *accommodatissimae* dictionem consuetudinis Tullianae. deinde *ἅπαξ λεγόμενον* Gellius habet *incitabulum* in locutione XV 2, 3 (*vinum*) *incitabulum ingenii virtutisque,* cuius nominis loco Macrobii libri optimi (cf. Hertz, ed. Gell. t. II p. 224, 17) c. 8, 4 *ignitabulum* offerunt, apud Paul Fest. p. 105 M. primum traditum. item nemo nisi Gellius verbo *concelandi* usus est XI 9, 2 et XV 2, 5 (v. Thes. l. l. IV 19, 38 seq.), Macrobius locum XV 2, 5 transsumens c. 8, 6 *celaret* maluit scribere. denique *beluinus* adiectivum a Gellio XIX 2, 2 primo usurpatum in phrasi *duabus istis beluinis voluptatibus,* deinde a posterioribus aliquot (v. Thes. s. v.), suppressum est a Macrobio c. 8, 11 *duabus istis voluptatibus.* ad postremum pro *voluptatibus praevinctus* Gellii XIX 2, 3 dixit Macrobius c. 8, 12 *voluptatibus occupatus.* rarus est *praevinciendi* verbi usus adhibiti a Gellio primo praeter hunc locum etiam XV 10, 2, postea a Ps.-Ven. Fort. *vit. Med.* 4, 13 p. 69 Krusch; *voluptatibus occupatus* loquendi genus usitatius et vetustius, participium *occupatus* iunctum cum ablativo maxime notum est ex Livio (XXXIII 40, 5 *occupatis . . . cura.* XXVII 20, 5. Ter. *Phorm.* 502).[1])

Haec cum sit condicio paraphrasis Macrobianae in Gellii eclogis, perditorum scriptorum compilationem Macrobii fere eandem fuisse puto. abhorreo, quod paraphrasin attinet tribuendam Macrobio generaliter in eclogis ab eo receptis, a Reifferscheidio suspicato teste Wissowa *de M. f.* p. 14 seq., Gellii paraphrasin Macrobianam fuisse peculiaris generis: ad unius Gellii consuetudinem accommodavisse omnem dicendi rationem Macrobium imitatione curiosa, simium illum Gellii quem vo-

1) hoc uno loco, quinto eorum, ubi vetustius genus dicendi restituit Macrobius delevitque proprietatem Gellianam, possis obicere, nullam nisi numerum oratorium eiusque legem mutatam post Gellium, causam mutandi Macrobio fuisse. maiore iure eo loco, quo recentioris latinitatis locutionem *gratuletur* pro *gaudeat* Macrobius in Gellium intulit, numerorum regulam arcessere licet ad explicandam differentiam memoriae. ubi cursus velox *commūnes sunt gratulḗtur* opponitur 'dactylico' *commūnes sunt* | *gaúdeat.* Gellium saec. II, quae tunc erat ars numerorum, decebat aeque clausula trochaica *grătulḗtur* atque cretica *gaúdeàt.*

cant; itaque concentum tantum, quantus sit inter Gellium et Macrobium in singulis vocabulis et sententiis, nequaquam intercessisse inter quemlibet alium fontem Macrobii et ipsum.

Ista Reifferscheidii sententia ne ab ipso quidem sustentata, nedum ab alio comparatione diligentiore elocutionis Gellianae et Macrobianae refellitur iis, quae modo observavi de proprietatibus Gellianis a Macrobio expunctis; has nimirum in ipsas grassari imitatoris erat amplectentis praecipuum genus loquendi Gellianum. praeterea eae partes operis Macrobiani, ubi Macrobius excerpta auctorum resolutus a textu eorum inducit propriis phrasibus, liberae non sunt a latinitate Gellio inferiore. immo inibi passim latinitas infima est; nonnulla de hac re statim enotabo.

Missis ambagibus planum est, qui scriptorem apopthegmatum aetatis Augusteae, sive Marsum, sive Melissum, sive quemlibet alium aetatis eius a Macrobio in sui operis contextum libri II receptum esse ait, eum teneri curis arduis de latinitate partis illius operis Macrobiani. quandoquidem argentea, quin etiam aurea latinitas pro proprietatibus Gellianis reducta est aliquotiens a Macrobio in excerptis Gellii, ut scriptore saeculi I ineuntis dignus sit sermo latinus apopthegmatum istorum postulandum est.

Hoc concesso, quae adhuc expedita esse visa sunt de fonte Macrobii in apopthegmatis libri II, ea vaccillant prorsus miserrime. nam in cc. 3—6, apopthegmatis Ciceronis, Augusti, Iuliae, Cascellii plurima documenta sermonis recentioris sunt; quorum etsi nonnulla paraphrasi Macrobianae ipse tribuo, praesertim ea, quae leguntur in exordiis narratiuncularum nata ex opera compilatoris Macrobii diversos locos auctoris consuentis, tamen alia recentiora, artius conexa cum acuminibus apopthegmatum, non possunt non fuisse in textu auctoris a Macrobio exscripti, dummodo eum auctorem Macrobius simili ratione qua Gellium adhibuerit. sed antequam dicam, quid ex hac condicione sermonis cc. 3—6 efficiendum sit de eorum capitum origine, singula recentiora indicanda mihi sunt. primum ea proferam, quae ab ipso Macrobio profecta esse lubenter concedo.

velut in sermone, quo Iuliae apopthegmata inducuntur, c. 5, 4 phrasis *blandiebatur sibi Augustus laetum in filia animum* insignis est ea structura verbi *blandiendi*, quae scriptorem infimum prodat,

ut non tradita ante Hegesippum I 42, 2 *successionem sibi ... indubiam blandiebatur* (Thes. II 2033, 56 seqq.). deinde in iocis Ciceronis a certo quodam exemplo ad alterum transit Macrobius usus enuntiato c. 3, 4 *nec Q. Ciceroni fratri circa similem mordacitatem pepercit*, quod enuntiatum sermo docet ex calamo Macrobii abstinentis ab imitatione scriptoris vetusti fluxisse totum; nam *circa* praepositio singulariter adhibita est (Thes. III 1095, 30), nec vero licentia quasi Vitruviana in usu praepositionum redolens vulgare quid urbanitatum collectori vetusto debet tribui. nomen autem *mordacitatis* translate de sale iocorum ante Arnobium *nat.* II 45 p. 84, 16 Vind., Ps.-Acronem Horati scholiastam, alios recentiores nemo dixit. quem usum nominis adamat Macrobius, cf. c. 3, 9. 12. 13. iunctum autem *mordacitatis* nomen c. 3, 13 occurrit cum altera proprietate latinitatis infimae; ubi novi ioci Tulliani narratio praeparatur sententia *vigebat in eo excedens iocus et seria mordacitas*, participium *excedens* loco adiectivi absolute adhibetur, cum id quod 'iustum modum excedens' valeat; is usus, quem agnoscere Ianus ad l. dubitavit, commendatur a Cassiodoro, apud quem *excedere* absolute dictum passim i. q. 'peccare' valet (cf. Traube, ind. in Cass. ed. Mommsen p. 540). praeterea in capite de facetiis Augusti quae est transitio a iocis quos protulerit Augustus ad eos quos pertulerit, ei vestigium propriae loquelae Macrobianae inest c. 4, 19 *aequanimiter* adverbium non conveniens aetati veteri, quod receptum est in litteras a Tertulliano (Thes. I 1005, 81. 1006, 11). denique in sententiola 3, 16, qua collinitur commissura capitum 3 et 4, *sed perge Aviene, ne ultra te dicturientem retardem* Macrobii consuetudo proditur verbo meditativo *dicturiendi* posito ab eo etiam VII 2, 7 *quam fortiter a se facta semper dicturiunt et tamen tacent arrogantiae metu*; ubi Plutarchus a Macrobio exprimitur *συμπ. προβλ.* II 1, 2 p. 630 C *ἃ βουλόμενοι λέγειν αἰδοῦνται, καὶ φείδονται τῶν παρόντων.* exceptis autem Macrobio et grammaticis, Prisciano discipuloque eius Eutyche, nulla *dicturiendi* verbi memoria est in litteris latinis fictumque videtur id verbum esse aetate demum infima affectatione locutionis artificiosae, ut paullo post Macrobium Sidonius Apollinaris dixit suo ut videtur arbitratu *scripturio* et *taciturio* (v. Woelfflin, *Archiv f. l. Lex.* I, 1884, p. 413). postremo c. 3, 5 *ut qui respondisse sibi Vatinium meminerat* usus indicativi ipsi Macrobio adscribendus est; v. Ian ed. t. I *proleg.* p. XLI (de Tac. *Germ.* 22 *ut apud quos plurimum hiems occupat* cf. Schmalz, *Syntax*[4] p. 535).

Deinde sunt etiam ii loci in cc. 3—6, ubi de sermonis origine iudicium sane retinendum sit. velut c. 4, 31 *ille legendo laudare* eqs. gerundium pro participio praesentis ponitur eo usu, quem ut vere Macrobianum tractavit Ian ed. t. I *proleg.* p. XL; Plutarchum reddens dicit Macrobius VII 2, 8 *tales interrogationes obstrependo discutiant et alias inferendo fabulas prohibeant illa narrari*; alia exempla ubi etiam magis vis causalis ablativi gerundii recedit, modi significatio elucet, collegit Ian ad *comm. in somn. Scip.* I 9, 5 p. 62. at licet praeter alios scriptores crebra exempla eius usus Macrobius offerat, tamen peculiaris ipsius non est, neque omnino posteriorum temporum, qui usus ne alienus quidem a prisca latinitate, in argentea increbuit. Livius quidem refertus eo est (v. Weissenborn-Mueller ad Liv. II 32, 4), res dudum nota, de qua nova verba fecit Loefstedt, *Ph. Komm. z. per. Aeth.* p. 159/60. item dictio c. 3, 4 *clipeatam imaginem,* quamquam traditur ab uno Macrobio (Thes. III 1350, 69), auctorem tamen vetustum Macrobii decet, velut Melissum. nam *clipeum* de rotunda imagine adhibetur inde ab aetate Augustea (Thes. III 1352, 25 seqq.), *clipeatus* vocabulum quamvis aliud quid significans (i q. 'clipeo armatus') notum est ex Plauto, Ovidio, Livio; genus metaphorae vetustati convenit, velut per idem genus metaphorae nomen accepit 'fabula palliata' a 'pallio'. ipse Melissus vocabulum formationis eiusdem *trabeatus* nova significatione ditavit togatas suas inscribens '*trabeatas*' (cf. Suet. *de gramm.* 21). atque ut hoc loco apopthegmatum collectionem exhauriens *clipeatam imaginem,* sic altero loco III 11, 6 alium auctorem secutus *clipeum* Macrobius dixit exprimens rem eandem.[1])

Iam vero venio ad eos locos, ubi persuasum habeo Gellii respiciens paraphrasin Macrobianam transcripsisse Macrobium ad litteram auctorem suum, quibus tamen locis sermo non quadrat ad aetatem Augusteam, Melissum aut Marsum. primum tracto iocum c. 3, 11 *idem Cicero alias facilitatem Caesaris in adlegendo senatu inrisit palam. nam cum ab hospite suo P. Mallio rogaretur, ut decurionatum privigno eius expediret, adsistente frequentia dixit: 'Romae, si vis, habebit; Pompeis*

---

1) c. 5, 10 *quapropter aliae bestiae numquam marem desiderarent* eqs. opponuntur *aliis bestiis* mulieres, etiamsi vox *bestiae* non est notio latior, sub quam caderent etiam illae. at eum usum pronominis *alius* iam vetusti norunt, velut poetarum Lucretius I 116 (*pecudes alias*), scriptorum Livius, cf. Thes. I 1625, 75 seqq.

difficile est.' qua in narratione complura gravor; structura solitaria est verbi *allegendi*, notata a Vollmero Thes. I 1664, 31, cum vetustiore aetate dictum sit (in Mon. Ancyr., Val. Max., Suet.) *allegere aliquem in senatum, in ordinem.* deinde maxime offendit vox *decurionatus* propter duas causas. quae de dignitate ordinis senatorii municipiorum non legitur in litteris ante Traianum (apud Plin. *epist.* 113), nec vetustior est titulorum memoria eius, quoad video; nam lex Vrsonensis, quae eam habet 105, 20, ex recensione saeculi christiani I exeuntis diem tulit. praeterea mirum quantum hebetatur acumen ioci Tulliani voce *decurionatus*, quae nequeat adhiberi ἀπὸ κοινοῦ de senatu urbis et municipiorum. scriptorem vetustum decebat pro nomine *decurionatus* vocare dignitatem ordinis decurionum per nomen *senatus*, fortasse etiam per vulgare nomen *curiae* (cf. Petron. 44, 8), quae voces pariter adhibentur de romano ordine et de municipali (cf. Marquardt, *R. Staatsv.* I² p. 183. Kuebler, *Realenc.* IV 2319. 2343. Thes. IV 1486, 8 seqq. 57). itaque corpori facetiarum aetatis Augusteae dummodo hic iocus Ciceronis infuerit, nullum verbum inibi erat de *decurionatu* expediendo Mallii privigno, verbum erat velut de 'aditu huic homini dando in senatum' sive 'in curiam' (cf. e. g. Cic. *Phil.* 8, 28. Val. Max. II 2, 1 et 8, 4). 'Romae aditum habere municipalem hominem posse, Pompeis difficile esse', responderat Cicero.

accedunt alii loci haud pauci, proponendi deinceps, ubi mutavisse textum auctoris sui Macrobium non credo, genus loquendi tamen recentius saeculo I est. sic c. 3, 5 *querenti deinde Vatinio quod gravatus esset, domum ad se infirmatum venire* eqs. quaero, si repperisset in auctore Macrobius *aegrotantem* pro *infirmatum*, ut saec. IV dixit Spart. *Hadr.* 23, 4 *veniens ad eum aegrotantem* (Hier. *epist.* 54, 12, 2 *aegrotantem visita*), cur mutaturum fuisse putes Macrobium *aegrotantem* in *infirmatum*? quodsi non mutavit, compilavit textum saeculo I inferiorem, nam *infirmatus* pro 'aeger' primus offert Suetonius (*Aug.* 84 *infirmatis faucibus*), *infirmitas* i. q. 'morbus' significat apud Plin. *epist.*, Suet., Iustin.; *infirmari* pro 'aegrotare' increbrescit demum in sermone ecclesiastico.

c. 3, 6 *Caninius ... Revilus pariter honorem iniit magistratus et eieravit* dubito tribuere scriptori Augusteo formulam *eiurandi magistratum* non traditam ante Tacitum (v. Mommsen, *R. Staatsr.* I³ p. 625 adn. 4). locus Ciceronis *epist.* VII 30, 1, unde apopthegma istud descendit, ea formula caret.

c. 3, 10 *Laberius . . . cum detrectatus est eques romanus et comminus remissus* is usus *detrectandi* verbi est, quem Suetonius primus praestat *Tib.* 25 *Germaniciani* (*milites*) . . . *etiam principem detrectabant non a se datum* (cf. Thes. V 835, 23). praeterea *comminus* valet, quod monuit recte Ian ad l., i. q. 'extemplo', 'sine intermissione'. quae significatio adverbii, quamquam poetarum fortasse loci quidam saec. I exeuntis huc faciunt Val. Fl. III 104, Stat. *Theb.* X 828, luculento tamen exemplo demum illustratur saec. III Iulii Valerii III 31 *haec mihi comminus dicito* (cf. Thes. III 1895, 66 seqq.).

c. 4, 25 (*Augustus*) *eidem obiecit quod ad contrahendum matrimonium legibus non paruisset* locutio *contrahendi matrimonium* saeculum II redolet; quae apud iurisconsultos sollemnis est, aliorum scriptorum primus eam Suetonius *Cal.* 25 habet (Thes. IV 763, 81 seqq.). nec video, qua ratione quis suspicetur in lege Iulia *de maritandis ordinibus* et Papia Poppaea, circa quas hoc exemplum Macrobii versatur, dictionem *contrahendi matrimonii* locum occupavisse dictionum vetustiorum 'ducendae uxoris', similium, nec vetustiorum illarum usus aetate Macrobii abolitus pellexit hunc ad adhibendam phrasin *contrahendi matrimonii.*

c. 4, 29 (*Augustus*) *satis duxit iubere illum* (*opificem*) *dividere donativum cum contubernali* de pecunia homini plebeio data *donativum* dicitur. qualis donatio aetate Augustea et apud antiquiores aut fallor aut non vocatur nisi *congiarium* (Thes. IV 282, 7 seqq.). *donativum* aetate imperatoria appellatur donatio militibus data, quae a *congiario* plebis distinguitur expresse apud Tacitum, Plinium minorem, Suetonium (Thes. ibid. 281, 74). licentior igitur Macrobii usus utique alienus est ab Augusti saeculo.

Summa si subducitur quaestionum in latinitatem cc. 3—6 institutarum, secedit dicendi consuetudo Macrobii infima saeculi IV exeuntis, in prooemiis singulorum exemplorum maxime occurrens, a latinitate saeculi III ineuntis vel vertentis, auctoris Macrobii. videntur igitur pugnare vehementer quae de auctore Macrobii efficiuntur ex sermone examinato cc. 3—6, cum termino illo tenente apopthegmata universa horum capitum, anno christiano 14, ex quo concludendum est, compilavisse Macrobium corpus apopthegmatum aetatis Augusteae. iam vero ex hoc periculo res restituitur nullo nisi Melissi nomine. nam Melissi opus librorum CL ob immensum

voluminum numerum aliquando in epitomam redactum esse et consuetudinem passum esse epitomatoris, cuius latinitate aspersus Melissi textus transscriptus sit a Macrobio, opinio iusta est.

Melissi collectio apopthegmatum plus placuit posteritati quam similia opera vetustatis eiusdem; id quod intellegitur ex Suetonio *de gramm.* 21 testante libellos Melissi *ineptiarum* exornatos titulo novo *iocorum* in manibus vulgi fuisse tempestate ipsius. atque valde delectavit me etiam in Melissum Buecheler incurrens ilico, cum quaereret, quisnam auctor Iuvenali et Plutarcho facetias Gabbae, domestici scurrae Caesaris suppeditavisset *mus. Rhen.* LIV (1899) p. 3. ceterum Suetonii memoriam de mutato nomine operis Melissei illam quidem ego non iungo cum opinione epitomae. nam etsi novam editionem tunc emissam librorum Melissi Suetonii memoria de mutatione tituli procul dubio spectat, tamen nihil habet Suetonius de numero librorum operis Melissei deminuto, cum epitomatores maiorum operum apud Romanos paene constanter deminuerint librorum numerum (cf. Klotz, *Herm.* XLVIII, 1913, *Die Epitoma des Livius* p. 545). ac ne id quidem audeo, quae habuerit fata opus Melissi, protinus refingere ad exemplar selectum quoddam ex operibus romanis illustribus in epitomas redactis, velut Livii, Verrii Flacci a Festo abbreviati, Pompei Trogi a Iustino, Valerii Maximi a Iulio Paride. tantum propter aetatem Festo et Iustino saec. III viventibus imprimis aggrego epitomatorem Melissi.

Ex epitoma Melissi ad integrum eius opus revertor, cuius de natura et auctoritate in litteris saeculi I apparente addam nonnulla, quae etiam ad Senecae dialogum *de matrimonio* me reductura sunt. ex certa quadam regione, si verum est Macrobii gazas apopthegmatum ex Melisso ortum trahere, operis Melissei fines fixi et statuti sunt cum emolumento fontium Senecae enucleandorum. complectebatur opus Melissi non tantum facetias scurriles, quales Gabbae illius scurrae Caesaris fuere, verum etiam urbanitates serias. velut quod Ciceronis verbum de Pompeio et Caesare apud Macrobium legitur c. 3, 7 *ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo,* idem exemplum posuit seriae urbanitatis generis contumeliosi Quintilianus *inst.* VI 3, 109, secutus ille quidem Domitii Marsi scriptum *de urbanitate.* in eo igitur Melissus vetustiori scriptori se applicaverat Marso, ut artius coniungeret cum iocis scur-

rilibus alia urbane dicta, seria quae vocata sunt et media a Marso teste Quintiliano l. l. 106; quorum seria rursus in tria genera idem Marsus teste eodem Quintiliano ibid. 108 partitus erat, honorificum, contumeliosum, medium. unde quo sensu titulum operis sui *ineptiarum*, qui aetate Hadriani mutatus est a scribis in titulum *iocorum*, Melissus ipse accipi voluerit, apparet: quisquiliae privatae, apopthegmata et narratiunculae minutae, collatae cum rebus publicis et historia contexta fatorum urbis et imperii romani *ineptiae* esse visae sunt Melisso; neque assentior Schanzio, *Roem. Litt.* II 1[3] p. 218 paene dicenti, librarios aetate Suetonii scivisse melius dare titulum operi Melissi quam ipsum.

carent autem scurrilitate et hilaritate in Macrobii libro II apopthegmata permulta, nil sunt nisi bene dicta responsaque, cf. e. g. censorem Augustum correptum ab equite c. 4, 25 aut eundem Augustum vellicatum in foro a veterano ibid. 27. tales autem narratiunculae Macrobii neminem non debent memorem reddere narratiuncularum Senecae philosophi, quarum magna pars splendet sale et urbanitatibus. velut quam modo commemoravi Macrobii narratiunculam de veterano Augustum rogante, ut sibi in iudicio adesset, eam conferre licet cum narratiuncula Senecae *de benef.* V 24 de veterano divum Iulium in iudicio commonente opis ei latae in bellis Hispaniensibus.[1]) praesertim autem si cui persuasit Muenzer, *Beitr. z. Quell. d. Pl.* p. 359 seqq., praeter apopthegmata fuisse alia memorabilia collecta in opus Melissi, eum partes tribuere oportebit prolixas admodum Melisso in quaestionibus de origine narratiuncularum Senecae. equidem contentus interim sum dialogi *de matrimonio* fontes eruere. matronarum, quarum nulla aetatem divi Augusti excedit, apopthegmata ibi obvia coactaque in seriem longam deflectunt a reliqua consuetudine aliquatenus exemplorum Senecae comparente in servatis scriptis; eo perfectior est consensus eorum cum consuetudine auctoris Macrobiani. Marcellae rogatae a matre '*gauderetne se nupsisse*' obiectio '*ita valde, ut amplius nolim*',

1) praeterea memoriam Vatinii scurrilisque indolis eius Seneca *de const. sap.* (d. II) 17, 3 fortasse debet ex parte saltem Melisso (cf. Macr. c. 3, 5). item Augusti urbana cavillatio Pollionis propter Timagenem inter amicos receptum a Pollione apud Senecam *de ira* III 23, 7 seq. 'θηριοτροφεῖς' redolet Macrobii narratiunculas de divo Augusto; brevius certe de Timagene pater Seneca *contr.* X 5, 22. quodsi haec Augusti vox ex Melisso ortum ducit, fortasse etiam originis eiusdem est quae antecedit, Democharis, v. infra sub 4.

Porciae minoris admonitae '*quem diem haberet luctus ultimum*' responsum '*quem et vitae*' elegantia commendantur eadem, qua dicteria Macrobii. sic addo Hygino a Klotzio aliisque nominato inter auctores exemplorum Senecae praecipue propter narratiunculas ei communes cum historicis (v. supra p. 226 et infra sub 3) et Cornelio Valeriano a Muenzero relato inter auctores Senecae propter curiositatis exempla dialogi X *de brev. vit.* c. 13[1]), Melissum propter apopthegmata matronarum dialogi *de matrimonii.*

3

Matronis capitis 46, romanis exemplis monogamiae et fidei coniugalis, antecedunt apud Hieronymum exempla extera argumenti eiusdem replentia capita tria 43—45. quorum de c. 43, exemplis Tertullianeis Didonis et uxoris Hasdrubalis egi c. VI p. 239 seqq.; item iam tractata est c. 44 narratio a qua caput incipit, Nicerati coniugis c. V p. 219 seq.; reliqua exempla capitum 44 et 45 nunc absolvam.

Haase nullum locum horum capitum inter Senecae fragmenta recepit, id quod miror magnopere; adeo aperta est Senecae consuetudo afferendi praeter domestica exempla extera. et praecipue consensus Senecae cum c. 45 Hieronymi conspicuus in eo est, quod id caput scatet persicis exemplis, persica Seneca amat praemittere patriis. velut *de ira* III 14—16 longum exemplorum sermonem in Cambyse, Dareo, Xerxe consumpsit, antequam ad graeca exempla c. 17 transiret Alexandrum et Lysimachum, hinc tandem ad romana c. 18 Sullam et C. Caesarem. similiter *de benef.* VI 31 disputatio de Xerxe larga est, quam excipit romanum c. 32 exemplum, divus Augustus.

persica autem Hieronymus c. 45 offert Pantheam Abradatis uxorem et Rhodogunen filiam Darii, quibus adnumero Candaulis con-

1) plane probo quae Muenzer de Seneca uso Cornelio Valeriano exposuit *Beitr.* eqs. p. 370 seqq. atque fortasse etiam lectione recenti scriptoris illius declaranda est *de brev. vit.* 13, 3 indulgentia Senecae adversus particulam *etsi.* quamquam Haasei observatio de *etsi* vitata a Seneca in scriptis prosaicis infirmata est dudum ab aliis ut Gertzio ed. *dial.* p. 326, id quod me fugerat olim *Berl. phil. Woch.* XXVI (1906) p. 266, nec Gercke meminit *nat. quaest.* IV b 5, 1 p. 163, 12 *etiamsi* pro *etsi* codicum scribens. traditur *etsi* tertio etiam loco *nat. quaest.* IV a praef. 20 p. 143, 10 non temptatum a Gercke. verum ne nunc quidem coniectura *etsi* Senecae obtrudo ibi, ubi Schultessium secutus obtrusit Hermes *de vita b.* (d. VII) 23, 4 p. 222, 10.

iugem, propter pudicitiam laesam insidiantem marito, regi Lydorum, cum lydica persicis adhaereant apud historicos; nec non Stratonis uxorem, reguli Sidonis, quae Persis imminentibus communem cum viro mortem captivitati praetulit. ista igitur exempla capitis 45 nunc deinceps expediam; videbo quae Senecae sint. nam etsi generaliter commendatur origo eorum Annaeana persicorum amore Senecae, tamen singulorum demum locorum examinatio definite decernet eorum originem.

Magno autem iure revocatur Rhodogune ad dialogum Senecae p. 311 E: *Rhodogune filia Darii post mortem viri nutricem, quae illi secundas nuptias suadebat, occidit.* quae regina fabulosa Persarum in corporibus exemplorum scholasticis romanis nullam sedem habuit, quin omnino abest a romanis litteris excepto Hieronymo. unde Hieronymum elucet accepisse Rhodogunen ex fonte electiore, evoluto ad congerendam eruditionem saecularem de nuptiis, aut ex Seneca aut ex Porphyrio. in graecis autem litteris narrant de Rhodogune Anonymus *tract. de mulieribus* VIII (Westermann, *Παραδοξογράφοι* p. 215, 25 seqq.), Polyaenus VIII 27 p. 393 Melber, Philostratus *εἰκ.* II 5 p. 69 Vind., Dio Chrysostomus or. 21, 7 p. 268 Arnim et 64, 2 p. 148. haec graecarum litterarum memoria Rhodogunes ad Aeschinis socratici dialogum *Ἀσπασίαν* omnis revertitur, cum Anonymus *de mul.* ab Aeschine philosopho se pendere ipse dicat, Philostrati descriptio Rhodogunae sic cum Anonymo faciat, ut eundem auctorem eum sequi certum sit; ne Polyaenus quidem, etiamsi abhorret in singulis rebus minutis ab Anonymo, locupletiorem traditionem de Rhodogune quam Aeschineam usurpavit; cf. H. Dittmar, *Aischines von Sphettos* (*Philol. Unters.* XXI, 1912) p. 41 seqq. primus autem *Aspasiae* dialogo attribuit Rhodogunae fabellam F. Osann, *mus. Rhen.* II (1843) p. 504 adn. 11, cui astipulati sunt Natorp, Wilamowitz, alii, v. Dittmar l. l. p. 45 adn. 142.

iam vero Hieronymus praeteriit eos, qui de Rhodogune locuti sunt tenente locum in *Aspasia* Aeschinis, universos, id quod accidit cum damno magno et fabellae Rhodogunes per saecula persequendae et memoriae *Aspasiae*, dialogi Aeschinei. nam traditio Hieronymiana de Rhodogune si comparatur cum graecis de hac regina fabulosa testimoniis, simul ipsa nulla ex parte infringitur auctoritate Graecorum, simul Graecos certa re superat. quod apud Hieronymum unum Rhodogune in viduitate relicta fere ut in aliis veterum fabulis Semiramis sive Dido virtutem virilem praestitisse perhibetur, aversata matri-

monium secundum, ea res quadrat perbene ad graeca testimonia versantia plurimum in Rhodogune amorem castissime fastidiente, nusquam tamen appellantia Rhodogunen *virginem*, appellantia eam γυναῖκα (Dio Chrys. 64, 2). deinde augetur ex Hieronymo historia fabularis Rhodogunes poena nutricis secundas reginae nuptias molientis. quae cum ita sint, dubitandum est an Hieronymus ab Aeschine descriptae Rhodogunes imaginem integriorem servaverit quam Graeci; atque duplex via est, qua eruditionem Hieronymi explicare liceat. potest sane hoc quoque loco ut aliis multis operis *adv. Iovin.* Porphyrius in censum vocari. quodsi quem haec ratio allicit, ego suadeo, ut Ctesiae Aeschini notitiam Rhodogunes suppeditantis memor sit (cf. Dittmar l. l. p. 55) omninoque Aeschine neglecto, Porphyrio intercedente Ctesiam in Hieronymo esse dicat. altera ratio, qua ex Seneca Hieronymus pendeat, non tantum probabilitate generali ut prior illa commendatur, sed etiam observationibus nonnullis specialibus. nimirum compono Rhodogunes exemplum Hieronymi ex Seneca repetendum, quod in hunc ex Aeschine delapsum sit, cum exemplo *de benef.* I 8, 1 seq. *Aeschinis pauperis auditoris* Socratis pro munere magistro se ipsum offerentis huiusque muneris beneficio vincentis ditissimum Socratis discipulum Alcibiadem. quod exemplum pariter atque Hieronymianum Rhodogunes in litteris romanis alibi non traditur, Graecorum habet Laertius Diogenes II 34. Hirzelii, *Der Dialog* t. I p. 110 seq. adn. 4 idonea coniectura est, fuisse hanc narratiunculam in Euclidis socratici dialogo Αἰσχίνης. pervenerunt igitur, ni fallor egregie, ex saec. IV litteris socraticis exempla in Senecam. quas per ambages viarum in eum pervenerint, id quidem parum attinet ab omni parte explorare, tamen una statio viarum aperta est. nimirum exempla quoque accepit Seneca passim ex eorum auctorum scriptis, quorum doctrinam et praecepta expressit, cum Chrysippi, tum mediae sectae stoicae. ex Chrysippo descendit in eum exemplum *de const. sap.* (d. II) 17, 1, ex Hecatone *de benef.* II 21, 4, item ex Hecatone aliud ibid. VI 37, 1 *Callistratum aiunt — ita certe Hecaton auctor est —, cum in exilium iret* eqs.; ex Asclepiodoto, qui placita naturalia Senecae suggessit, hausit etiam exemplum *nat. quaest.* V 15, 1. Sotion, Senecae praeceptor huic praeter remedia irae exempla historica ἀοργησίας attulit (cf. p. 296 adn. 4). quid multa? Panaetii qui in litteris socraticis studium summum collocavit, eiusque successorum auctoritate intercedente Seneca scribens

de matrimonio usus est memoria *Ἀσπασίας*, dialogi Aeschinei. Rhodogune occurrens in Hieronymo aevi inferioris scriptore ecclesiastico documento est aetatis hellenisticae *περὶ γάμου* scripturam stoicorum laetam fuisse floribus nonnullis dialogi antiquissimi Graecorum coniugalis *Ἀσπασίας*. unde patet, quantum praeteritus Hieronymus nocuerit iis, qui fata perscribere conati sunt Aeschinei dialogi *Ἀσπασίας* post alios Krauss, *Aesch. socr. rell.* (Lps. 1911) p. 71 seqq. et Dittmar l. l.

Praeter Rhodogunen in c. 45 Hieronymi Senecae ascribo exemplum quod antecedit Rhodogunae, Candaulis, regis Lydorum, maritae p. 311 E: *iustam causam regis occidendi putavit uxor, quam maritus nudam amico suo et ignorantem monstraverat. iudicavit enim se non amari quae et alteri posset ostendi.* Candaulis et Gygis fabulam Herodotus I 8—12 et Plato *πολιτ.* II p. 359 D seqq. inter se discrepantes referunt. anulus ille fabulosus apud Platonem, qui a conspectu hominum vindicaverit eum, qui palam eius ad palmam convertisset, abest ab Herodoto. a Platonis auctoritate primaria totus pendet aetate Hieronymi Ambrosius *de off.* III 5, 30, Gygis fabulam hauriens ex Cicerone *de off.* III 38 Platonem secuto. omnino crebra est aetate inferiore et infima anuli magici Gygis mentio, cf. e. g. Philostr. *τὰ εἰς Ἀπ.* III 8, 2; plura invenis apud Platonis commentatores ad *πολιτ.* l. l. (v. ed. Bekkeri, Lond. 1826, t. VI p. 334). at Hieronymus cum Candaulem uxorem *et ignorantem* monstravisse Gygae amico narret, anulum tamen non dicit, sed merum Herodotum exprimit. amicus Candaulis Gyges est in Herodoto, non in Platone; nihilominus apud Herodotum quoque occultus ex loco clandestino Gyges uxorem regis aspicit. ne Iustinus quidem I 7, 17 anulum fabulosum Gygis commemorat.

ut Ambrosius ex Cicerone pendente a Platone sic ex Seneca pendente ab Herodoto Hieronymus traxit Gygis fabulam; Herodoti memoria in servatis scriptis Senecae aliquotiens deprehenditur; *nat. quaest.* II 30, 2 Herod. III 26 redditur, quo de loco dixit Brennecke, *animadv. ad fontes n. q. Sen.* p. 10; *de ira* III 14 Herod. III 34. deinde acumine et breviloquentia enuntiatum *iustam causam regis occidendi putavit uxor, quam ... monstraverat* prodit ingenium Senecae: ubi vox *regis* cum emphasi dicta est ratione Senecae *ad Marc.* (d. VI) 20, 4 *quid enim erat turpius quam Pompeium vivere beneficio regis?* cf. etiam ibid. 16, 2; *de const. sap.* (d. II) 15, 4 *quam paene emisit viri vocem.* nec vero desideratur post vocem *regis* nomen proprium, falsoque Wachs-

muth apud Bock l. l. p. 59 post *regis* inseruit *Gygis*; et id quidem plane dormitanter, quippe debuit *Candaulis*. lubet autem locis quibusdam illustrare consuetudinem Senecae, qua exempla tacitis hominum nominibus posuit, ita ut ex offensione Wachsmuthii indicium fiat originis Annaeanae. sic *ad Marc.* (d. VI) 13, 1 in exemplo *ne nimis admiretur Graecia illum patrem, qui in ipso sacrificio nuntiata fili morte tibicinem tantum ⟨iussit⟩ tacere et coronam capiti detraxit, cetera rite perfecit* et *ad Polyb.* (d. XI) 11, 2 *quanto ille iustior qui nuntiata filii morte* eqs. Seneca siluit arte rhetorica Xenophontis et Grylli nomina dicta a testibus eiusdem narratiunculae Valerio Maximo V 10 *ext.* 2 et Laertio Diogene II 55. similiter deest Alcestidis nomen in exemplo *ad Helv.* (d. XII) 19, 5 *nobilitatur carminibus omnium, quae se pro coniuge vicariam dedit,* Curii nomen ibid. 10, 8 *scilicet minus beate vivebat dictator noster, qui Samnitium legatos audit* eqs., Xerxis nomen *de const. sap.* (d. II) 4, 2 *quid? tu putas tum, cum stolidus ille rex multitudine telorum diem obscuraret* eqs.; cf. etiam ibid. 13, 3; *epist.* 82, 22.

paraphrasis minima notanda est in hoc exemplo; ellipsis infinitivi *esse* subaudiendi ad *iustam causam* ... *putavit,* cum *esse* i. q. *exstare, suppetere* valeat, recentiorem scriptorem plus decet quam Senecam. de ellipsi, quae revera parca est, infinitivi *esse* apud Senecam locutus est A. Hoppe, *Über d. Spr. d. Philos. Sen.* II (progr. gymn. Lauban. 1877) p. 16. contra in latinitate recentiore infinitivi *esse* ellipsis laxior est, cf. Stangl, *Berl. Ph. Woch.* XXVIII (1908) p. 1563 seq. et Schmalz, *Syntax*[4] p. 335. ellipsin non perspexit Bock l. l., qui hinc incidit in pessimam textus corruptionem *qu⟨od e⟩am* pro *quam.*

Persicorum quae vocavi, exemplorum c. 45 post Rhodogunen et lydium exemplum maritae Candaulis restant Stratonis uxor, reguli Sidonis, Persis imminentibus coniugem seque ipsam acinace transverberans et Panthea Abradati viro superstes esse nolens; quorum exemplorum neutrum Senecae addico. nam narratio de S t r a t o n e tantopere auget notitiam nostram historiae saec. IV, ut Senecae vulgatiores tantum proferenti res eius saeculi, non audeam eam tribuere, Porphyrium advocem, meritum ut constat unice de illis temporibus (v. p. 233 adn. 1). nec non convenit Porphyrio Tyrio, natione Syro (Malcho qui vocatus erat nomine patrio, v. Bidez, *Vie de Porph.* p. 6) curiositas peculiaris circa res Sidonias. praeterea ex primario auc-

tore statim appellando narrationis usus Porphyrianus Hieronymi cognoscitur.

protraho autem neglectos adhuc, cum praeclare egerint de Stratone ab Hieronymo dicto, Augustum Boeckh, CIG. I 87 p. 126 seq. (IG. II pars I 86) et Alfredum Gutschmid, *Jahrb. f. kl. Ph., Suppl.* II (1856/7) *Über die Frg. d. Pomp. Trog.* p. 222 seq. adn. 62. qui perspexerunt expugnationem Sidonis eam, quam Hieronymus memorat, eandem non fuisse atque expugnationem, quam Diodorus XVI 45 tribuit anno 351, quo Tennes Sidone regnavit et per proditionem urbem foederatam Aegyptiis Artaxerxi Ocho tradidit, cum Tennes postea ab Ocho abiectus et interemptus sit. iunxerat autem olim cum hoc Diodori loco et Ochi expeditione Aegyptiaca ea, quae incepit Sidone ab Ocho recepta et eversa, Hieronymi narratiunculam Perizonius ad Aelian. *ποιϰ. ἱστ.* VII 2 (Ael. ed. Kuehn, Lps. 1780, I p. 362), in errorem raptus verbo Hieronymi (*Strato Persarum*) *foedus Aegyptii regis societate neglexerat.* sed a rege Aegyptio steterat Sidon etiam prioribus annis in seditione satraparum persicorum suppressa ab Ocho a. 358, quibus annis Aegyptiorum rex Tachos bellum in Phoenicam tulerat, v. Iudeich, *Kleinasiatische Studien* (1892) p. 209 et 336 (Diod. XV 92, 4). unde ad hoc bellum facile trahitur narratio Hieronymi, ut quae propter regis nomen et rationem, qua interierit rex, non quadret ad fata Sidonis in novissima Ochi expeditione Aegyptiaca.

iam vero, nisi Hieronymum arripis, testis antiquus nullus indicat, quis regnaverit Sidone in priore illo Persarum adversus Aegyptum bello a. 358. certe cavendum est, ne turbas paret Babelon, *Les Perses Achéménides* (Paris 1893) p. CLXXIX seqq., nummis usus ad struendum aliquem catalogum regulorum Sidoniorum acceptum incaute a Prášek, *Gesch. d. Meder u. Perser* t. II (1910) p. 224 adn. 2 atque etiam a Kahrstedt, *Forschungen z. G. d. ausgeh. fünften u. d. vierten Jahrh.* (1910) p. 26; tu cf. quae acute adversus Babelon disputavit C. Stavenhagen, *quaest. Demosth.* (diss. Gott. 1907) p. 22 seqq. — ceterum Strato Hieronymi nobis aliunde notus est: cum Nicocle, Cypri rege, filio Euagorae necati a. 374/3 decertabat de laude vitae delicatae et excultae artibus Graecorum musicis Strato Sidonius celebratus ab Athenaeo XII p. 531 A seqq. et Aeliano *ποιϰ. ἱστ.* VII 2 ex Theopompi *Φιλ. ἱστ.* l. XV potissimum pendentibus (v. Theop. frg. 126 Mueller, *FHG.* I p. 299. cf. etiam Max Tyr. XIV 2 p. 172 Hob.). simul

hunc Stratonem violenta morte periisse et Theopompus l. l. commonet, et Athenaeo ibid. teste Anaximenes exposuerat in libro *βασιλέων μεταλλαγαί*. hunc igitur ad Stratonem rettulerant verissime Hieronymum Boeckh et Gutschmid. atque primarius fons Hieronymi utrum Theopompi *Φιλ. ἱστ.*, an Anaximinis liber ille *βασ. μετ.* (de quo cf. Brzoska, *Realenc.* I 2096 seq.) fuerit, dubitare possis. Theopompum Gutschmid voluit, et expeditissimum est Theopompei operis celeberrimi memoriam ponere.

ne de eo quidem fonte haesitatio restat, quem Hieronymus reapse exscripsit. Senecae nulla Theopompi mentio est, Porphyrius insignis est memoria Theopompea *περὶ ἀπ. ἐμψ.* II 16 et apud Eus. *εὐαγγ. προπ.* X 3 p. 464 a seqq. (cf. Bernays, *Theophr.* eqs. p. 69).[1])

Brevis esse possum de novissimo persicorum exemplorum c. 45, Panthea, Abradatis uxore, cum viro in pugna occiso morte iuncta. huius narratiunculae fontem Hieronymus ipse appellat Xenophontem in *Cyri maioris infantia*, *Κύρου παιδ.* VII 3 legitur fabella, quam veterum etiam exhibent Lucianus *εἰκ.* 10 et Philostratus *εἰκ.* II 9 p. 78 seqq. Vind. ipsi quoque Xenophontem se sequi professi. de litteris a Xenophonte redditis deque arte et sensibus moralibus fabulae v. Ed. Schwartz, *Fünf Vorträge über den gr. Roman* (1896) p. 59 seqq. nec non W. Prinz, *de Xen. Cyr. inst.* (diss. Friburg. 1911) p. 47 seqq.

aegre autem dissolvo exemplum Pantheae a Rhodogunes, hoc tribuens Senecae, illud abrogans. neque sermo dissuadet originem Annaeanam exempli Pantheae. nam quod phrasin attinet *sanguinem suum mariti infudisse vulneribus*, verbum *infundendi* structum cum dativo Seneca habet *de benef.* VII 19, 1. quod infinitivus *collocasse* in constructione acc. c. inf. caret accusativo pronominis pro subiecto posito — *collocasse se* ⟨*illam*⟩ Bock p. 59 dedit —, textus traditus latinitati

---

1) lubet apponere qua via Gutschmid Theopompum in Hieronymum venisse putaverit l. l. p. 221 adn.: *Die Stelle des Hieronymus ist mittelbar aus Theopompos geschöpft, aber nicht durch Vermittlung des Trogus, sondern irgendeiner griechischen Schrift περὶ ἀρετῆς γυναικῶν, die der plutarchischen ähnlich war. Ihr und nebenbei dem Varro ist der reiche Schatz von historischen Beispielen entlehnt, den der gelehrte Kirchenvater an jener Stelle aufgespeichert hat und der bisher noch nicht so wie er sollte ausgebeutet worden ist.* quo loco quae de Varrone Hieronymi auctore dixit Gutschmid, in iis erravit (v. p. 236), erravit etiam in designando auctore graeco Hieronymi, sed sic erravit, ut ad verum proxime accederet.

saeculi cuiusvis convenit (v. Schmalz, *Syntax*⁴ p. 437).[1]) at exempli Pantheae condicio inde abhorrens a reliquis exemplis capitis 45 utique peculiaris est, quia Xenophontis *Κύρ. παιδ.* Hieronymum constat lectitavisse sedulo, cf. c. III p. 88; tam universum argumentum *K. π.* quam singulos locos in mente habebat. inde artis lex et ratio plane postulant ut Pantheam repetam ex felicissima Hieronymi recordatione Xenophontis. nil relinquitur nisi ut merum Xenophontem exprimi ab Hieronymo firmem. (*Phantiam*) *collocasse se iuxta corpus lacerum* habet ex Xen. l. l. 5 et 8, *confosso pectore sanguinem suum mariti infudisse vulneribus* ex 14. locutio Hieronymi *confosso pectore* quod Philostrati verbo l. l. 4 p. 80 τὸν μὲν δὴ ἀκινάκην διελήλακεν ἤδη τοῦ στέρνου accedit propius quam Xenophonteis ἡ δὲ ... σφάττει ἑαυτὴν καὶ ἐπιθεῖσα ἐπὶ τὰ στέρνα τοῦ ἀνδρὸς τὴν ἑαυτῆς κεφαλὴν ἀπέθνησκεν, casui tribuo.

Antequam c. 45 relicto aggrediar c. 44, commemoro scholastica exempla tria sub calce capitis 45 obvia, quorum origo, siquidem scholastica sunt, Hieronymus non minus quam Seneca scholae locos novit, dubia remanet, p. 311 E seq.: *Alcestin fabulae ferunt pro Admeto sponte defunctam et Paenelopis pudicitia Homeri carmen est. Laodamia quoque poetarum ore cantatur occiso apud Troiam Protesilao noluisse supervivere.* cum tamen ista exempla, imprimis Penelopes, non tam castitatem et pudicitiam vidualem quam fidem coniugalem defendant, quadrant ad coniugalis vitae suasionem dialogi *de matr.* admodum; quae quomodo caruerit Penelope praesertim et Alcesti, non video. in servatis scriptis tangit Seneca pudicitiam Penelopes *epist.* 88, 8, Alcestidis fidem coniugalem celato Alcestidis vocabulo *ad Helv.* (d. XII) 19, 5 (v. p. 323). Laodamia quoque inter romana exempla coniugalia aetate Senecae recepta erat; cf. Buecheler ad *Carm. epigr.* 423, 4. in loco coniugali stoicorum Alcestis et Penelope fuerunt (ut Alcestis est Muson. XIV p. 75 Hense), cf. Praechter, *Hierokles* p. 136 et 147.[2]) usu rhetorico item atque in Hieronymo tres feminas Alcestin,

1) nil valet ad statuendam diversam originem exemplorum Rhodogunes et Pantheae, quod diversorum morum feminas Xenophon et Aeschines effinxerunt. Xenophontis Panthea suam virtutem omnem virtute mariti cerni vult, Aeschinis Rhodogune cum viris certat virtute bellica. verum praeclarum illud Rhodogunes, quod unum abiit apud Hieronymum in exemplum, nil nisi secundi matrimonii abominatio est.

2) de Alcesti in litteris philosophicis (Plat. συμπ. p. 179 B) cf. etiam Hirzel,

Penelopen, Laodamiam coniunctas repperi Aelian. *ποικ. ἱστ.* XIV 45 *γυναῖκας τῶν Ἑλλήνων ἐπαινοῦμεν Πηνελόπην, Ἄλκηστιν καὶ τὴν Πρωτεσίλεω.*

Venio ad caput 44 Hieronymi quod et ipsum ut 43, 45, 46 monogamiae fideique coniugalis exempla offert, versans in historia nationum variarum, cum 43 carthaginiensibus exemplis, 46 romanis dicatum sit, 45 persicis paene integrum. de primo capitis 44 exemplo, Nicerati coniuge p. 219 seq. disputatum est, restant Artemisia uxor Mausoli, Teuta regina Illyriorum, uxores Indorum rogum ascendentes cum maritis, Alcibiadis concubina fidem ultra mortem amici servans.

Horum exemplorum p. 310 D Teutae origo in liquido est. nam huius Illyriorum reginae Hieronymus homo Illyrius, Stridone natus, quod oppidum videtur in Delmatia situm fuisse (v. Gruetzmacher, *Hier.* I p. 103 seqq.; Lietzmann, *Realenc.* VIII p. 1565), notitiam puer imbibit. ceterum nil nisi generales flosculos de Teuta profert, quae *viris imperaverit, Romanos saepe fregerit.* nec vero quod victoriam Teutam *miraculo utique meruisse castitatis* dicit, in eo pendet a scriptore morali. certe non incidi in testimonium praeter Hieronymum Teutae claritudinem ex castitate deducens (collecta invenis testimonia de Teuta e. g. apud Drakenborch, ed. Liv. t. VI p. 256 seqq. et Niese, *Gesch. d. gr. u. mak. St.* II, 1899, p. 281 seqq.).

Deinde certam licet sententiam ferre de Artemisiae exempli origine: quod ex Seneca fluxit, quamquam Haase non vidit. contra difficilius est definire originem reliquorum exemplorum capitis 44, uxorum Indicarum et concubinae Alcibiadis, etiamsi hos quoque locos temptabo pro virili parte adsciscere fragmentis Senecae.

Atque Artemisiae exemplum non tantum reddam Senecae, sed etiam fructum magnum capere licebit ex hoc exemplo recte tractato ad definiendam originem exemplorum aliquot servatae scripturae Annaeanae. primum autem vestigia quaedam locutionis ecclesiasticae explicanda ex paraphrasi textus Annaeani removebo; textum accipe p. 310 C seq.: *Artemesia quoque, uxor Mausoli, insignis pudicitiae fuisse perhibetur. quae cum esset regina Cariae et nobilium poetarum atque*

Unters. zu Cic. ph. Schr. II p. 393 seqq. adn. locum Penelopes in confabulationibus cottidianis veterum illustrat Rothstein ed. Prop. I (1898) p. 182.

historicorum laudibus praedicetur, in hoc vel maxime effertur, quod defunctum maritum sic semper amavit ut vivum, et mirae magnitudinis ac pulchritudinis extruxit sepulcrum in tantum, ut usque hodie omnia sepulcra pretiosa ex nomine eius Mausolaea nuncupentur.

praeter paucissima potest hic textus constitutus esse ex oratione Senecae. *usque hodie* ille non dixit, dixerunt ecclesiastici (cf. Thielmann, *Arch. f. l. L.* VI, 1889, p. 69 seq.), frequentavit Hieronymus (cf. Goelzer, *Lat.* eqs. p. 426). nec tamen sic affatim purgatur a paraphrasi textus Annaeanus, si pro *usque hodie* reponitur *usque adhuc,* simile quid. nam etiam constructio *ex nomine . . . nuncupentur* an aliena fuerit a Seneca dubito, quam Suetonius *Aug.* 31 et ipse Hieronymus *adv. Iovin.* II 7 p. 336 A (v. append.) praestant. praesertim autem sensus sententiae *ut usque hodie . . . nuncupentur* non quadrat ad Senecam. mos enim quo sepulcra pretiosa appellabantur *Mausolea,* sane Hieronymi temporibus inveteratus erat sanctusque saeculis; at Senecae aetate vix abierat nomen proprium *Mausoleum* apud Romanos in nomen appellativum. divi Augusti sepulcrum primum videtur hoc nomine exornatum fuisse, v. Strab. V 3, 8 p. 236, Suet. *Aug.* 100 (cf. etiam Baumeister, *Denkm. d. kl. Altert.* II 893 a; Thieling, *Der Hellenism. in Kleinafrika,* Lps. 1911, p. 72 s. v. *mausoleum*). ergo eiusdem coloris sensus, quo finitur exemplum Artemisiae in Hieronymo, nequit fuisse in Seneca.

attamen probabile est, cum ab ipso Augusti sepulcro generalis vis nominis *mausolei* i. q. *monumentum pretiosum* valentis descenderit, Senecam in eum cumulum duxisse laudes Artemisiae, ut a Mausoli monumento novam appellationem monumentorum pretiosorum exorsam esse monuerit. consimilem igitur dumtaxat in sensum potest sane exiisse exemplum Artemisiae apud Senecam illi, in quem exit apud Hieronymum. enuntiatum consecutivum incohatum a particulis *in tantum ut . . .* ex usu Annaeano est, cf. *nat. quaest.* III 24, 1 *quare . . . quaedam (aquae) etiam ferveant in tantum, ut . . . .*

hactenus de ecclesiasticae dictionis vestigiis; accedo ad rationem, qua origo Annaeana exempli appareat, quam peto ex comparatione variorum testimoniorum veterum de fide coniugali Artemisiae.

iam saec. IV testimonium refertur Theopompi frg. 116 M. de Artemisia indulgente tantopere desiderio defuncti mariti, ut tabe corrupta obierit; Theopompum secuntur Strabo XIV 2, 17 p. 656 et Cicero *Tusc.* III 75, ipsi quoque mortem passam esse Artemisiam ex amore con-

iugali breviter commemorantes.[1]) at multo largioribus coloribus depingitur amor coniugalis reginae in Valerio Maximo IV 6 ext. 1, qui in capite *de amore coniugali* inter extera exempla primo loco Artemisiam exhibet, item Gellius X 18 totum caput implet amore coniugali Artemisiae variis modis ab ea praestito. a Theopompo, Strabone, Cicerone discrepant Valerius Maximus et Gellius in eo, quod mortem reginae non repetunt ex amore, sed eam praetereunt. ceterum apud Gellium et Valerium Maximum pro narratione historica Theopompi rhetoricum exemplum omni arte excultum obvium est constans tribus potissimum ex partibus: ossa mariti in pulverem contusa ebibisse Artemisiam Gellius et Valerius Maximus pariter narrant, Mausoleum praeclarissimum fidei coniugalis documentum fuisse uterque perhibet; poetarum et scriptorum certamen institutum dicendis laudibus Mausoli Gellius exequitur, quo de certamine Valerius Maximus ne longus esset, *conquisitorum omnis generis honorum* . . . *magnificentiam* strictim memoravit. iam vero Hieronymus plus a Gellio et Valerio Maximo quam a Theopompo, Strabone, Cicerone stat, mortem reginae ex amore factam nescit — quam certe non praeteriisset, si repperisset in fonte —, summum documentum fidei coniugalis Artemisiae Mausoleum habet.

eiusmodi cum sit consensus Valerii Maximi, Gellii, Hieronymi, dubitari nequit, quin ex his testibus communis fons restitui debeat; qui ut corpus exemplorum fuerit, vel propter Valerium Maximum postulamus. deinde Gellii consuetudini, qui fontes a se adhibitos non solet recondere, debetur nomen auctoris, quem praeter eum Valerius Maximus et Hieronymus exprimunt. *Hyginus in exemplis* a Gellio l. l. 7 sub calce capitis citatur atque hoc Hygini opus omnibus numeris idoneum est, quod Valerius Maximus, ipse quoque corporis exemplorum conditor, adhibuerit.

quodsi Hygini memoria in Hieronymum quoque descendit, descendit Seneca intercedente. Senecam magnam partem exemplorum ex litteris *exemplorum* traxisse, hoc loco non iam opus est firmare fusius. quae res intellegitur praesertim ex consensu latius patente Senecae cum Valerio Maximo. supra p. 226 Claudiae narratiunculam ex Claudio

1) Theopompi fragmentum assignatur *Philippicis*. quanta auctoritate usus sit apud posteros ille Theopompi in Mausolum panegyricus, de quo viva Artemisia habito Gellius X 18 loquitur, non liquet.

Quadrigario, intercedente narratiuncularum corpore, in Senecam venisse intendebam. nec non de auctoritate ipsius Hygini in Seneca iam illic loquebar, Klotzii mentionem iniciens, *Herm.* XLIV (1909) p. 213 ad Hygini *exempla* quaedam exemplorum Senecae referentis.

Atque adeo Hygini *exempla* utilitati Senecae fuisse addenti in dialogis philosophicis praeceptis exempla, demonstrat maxime is ipse, qui Klotzium fugit locus Hieronymi de Artemisia. hoc ab loco atque etiam ab altero item ab illo omisso, qui occurrit in servato libro Senecae, proficiscatur oportet qui divinatione complexurus est, quantum valuerit ad dialogos Senecae exemplis exornandos Hygini opus.

Seneca *ad Helv.* (d. XII) 7, 8 *Phocide relicta Graii, qui nunc Massiliam incolunt, prius in hac insula consederunt* eqs. fallitur *Phocide* posita pro *Phocaea,* Massiliensium patria (cf. p. 298). rectius Livius V 34, 8 *Massilienses erant ii navibus a Phocaea profecti,* Iustinus XLIII 3, 4 *ex Asia Phocaeensium iuventus* eqs., Ammianus XV 9, 7 *a Phocaea vero Asiaticus populus Harpali inclementiam vitans* eqs., Hieronymus *in Gal.* lib. II praef. t. VII 1 p. 425/6 Vall. *Massiliam Phocaei condiderunt, quos ait Varro trilingues esse.* at Senecam *Phocidem* pro *Phocaea* ponentem non suo lapsum vitio esse, sed a doctore erudito pendere intellegitur eo, quod latius grassatur error iste in litteris romanis; cuius participes etiam sunt Lucanus III 340, IV 256, V 53 et Sidonius *carm.* 23, 13. deinde gravis auctor eodem errore tenetur Hyginus apud Gellium X 16, 4 *nam qui ab Harpalo, inquit* (*Hyginus*), *regis Cyri praefecto ex terra Phocide fugati sunt, alii Veliam, partim Massiliam condiderunt.* etsi vero haec lectio Hygini ex commentario eius Vergiliano a Gellio desumpta est nec de *exemplis* Hygini errore eodem maculatis quidquam constat, tamen huic rei nolo nimium tribuere. repeto autem istam confusionem Romanorum a graeca forma *Φωκεῖς* confusa cum *Φωκαεῖς* (cf. Pape-Benseler, *Wörterb. d. gr. Eigenn.* s. v. *Φωκεύς*), ut Iamblichus habet *τὰ θεολ. τ. ἀριθμ.* p. 40 Ast *τῆς ὑπὸ Ἁρπάγου τοῦ Μήδου Ἰώνων πολιορκίας καὶ ἀναστάσεως, ἣν Φωκεῖς φυγόντες Μασσαλίαν ᾤκισαν.*

Ab Hygino revertor ad reliqua exempla capitis 44 et aggredior narrationem p. 311 B de Alcibiadis concubina corrasurus omnia, quae pro origine Annaeana eius afferri possunt. et primum quidem certum est, ex scholastica eruditione et exemplorum copia communi rhetorum saec. IV Hieronymum non accepisse hanc narrationem no-

minibus Pharnabazi et Lysandri accurataque omnino antiquitatis notitia insignem. deinde ea pars memoriae de interitu Alcibiadis, quam facilius quam reliquam dari potest apud Romanos fuisse inter narratiunculas rhetorum etiam aetatis inferioris, somnium Alcibiadis relatum a Cicerone *de divin.* II 143 et Valerio Maximo I 7 ext. 9 (quo somnio paulo antequam interiisset Alcibiades corpusque mutilum occisi opertum esset in funere pallio amicae, eodem pallio sibi visus est esse amictus), abest ab Hieronymo. nec vero ex recordatione ecclesiastici alicuius narravit Hieronymus de concubina Alcibiadis; rara utique est in litteris ecclesiasticis latinis commemoratio Alcibiadis, nulla Tertulliani, singulae tantum, spectantes consuetudinem Alcibiadis cum Socrate nec non pulchritudinem eius, commemorationes Lactantii *div. inst.* III 19, 25 p. 244 V., Augustini *de civ.* XIV 8 p. 18 V., Boethii *cons.* III 8, 24; interitum Alcibiadis praeter Hieronymum ecclesiasticorum latinorum post eum unus Orosius rettulit *hist.* II 17, 6 p. 124 V., Iustinum V 8, 14 exhauriens.

sequitur ut de Porphyrio loquar in hoc exemplo pro auctore Hieronymi non habendo. primum, etiamsi bonae eruditionis exemplum plenum sit, tamen ea eius condicio non est, ut latinis litteris relictis graecarum auctoritatem arcessam. imprimis totam fere memoriam Hieronymi de morte Alcibiadis componere est ex Iustino V 8, 13 seq. et Cornelio Nepote *Alcib.* 10, 4 seqq., etiamsi nec sufficit Hieronymo Iustini relatio brevis iugulati Alcibiadis *a quibus occupatus, cum occidi aperte non posset, vivus in cubiculo, in quo dormiebat, crematus est,* nec Nepotis luculenta enarratio consentit in unaquaque re cum Hieronymo. praesertim autem discrepans a Nepote in eo cum Iustino Hieronymus facit, quod *suffocatum* esse dicit Alcibiadem in cubiculo, Nepos excitatum eum ex somno flammae sonitu incendium effugisse, foras tamen telis missis eminus interfectum esse. verum reliqua memoria Hieronymiana de morte Alcibiadis fere in Nepote recurrit, qui Pharnabazum et Lysandrum, caput mortuo Alcibiadi ablatum, mulierem funus parantem item habet atque Hieronymus.

frustra autem temptaveris de primario auctore, ad quem redeat haec Hieronymi narratio, aliquid expedire; velut servati scriptores recentiores tradentes mortem Alcibiadis partim ad Theopompum, partim ad Ephorum ascendere dicuntur, v. P. Krumbholz, *de Asiae min. satrapis pers.* (diss. Lips. 1883) p. 50 adn. 1. de vitis veterum deperditis

Alcibiadis cf. Dittmar, *Aischines von Sph.* p. 146 al.; Duridem scripsisse vitam Alcibiadis suspicatus est Pohlenz, *Berl. phil. Woch.* XIX (1899) p. 582. atque servantur testimonia de morte Alcibiadis praeter latina et verbum breve Isocratis *περὶ τ. ζεύγ.* 40 etiam Diodori XIV 11, 4, Plutarchi *Ἀλκ.* 37 seqq., Athenaei XIII p. 574 E. quae graeca testimonia nulla cognatione peculiari Hieronymum attingunt. velut Plutarchus quibus rebus singulis segregetur ab Hieronymo, piget enumerare, differt quoque eadem re qua Nepos, inductis in narrationem fuga Alcibiadis ex incendio et pugna cum sagittariis sub divo commissa.

nullum igitur lucrum fit ex comparatione variorum testimoniorum de morte Alcibiadis ad definiendum auctorem Hieronymi.[1]) at definitur consideratis coloribus exempli moralibus, qui Senecae mentem produnt. velut *ad Helv.* (d. XII) 19, 5 Alcestidi se pro coniuge vicariam danti Seneca praefert uxorem, *quae oblita inbecillitatis ... caput suum periculis pro sepultura* (*viri*) *obiecit et dum cogitat de viri funere, nihil de suo timuit*; hanc uxorem ideo Alcestidi anteponit, 'quia hoc amplius sit discrimine vitae sepulcrum viro quaerere: maior sit amor, qui pari periculo minus redimat.' nonne isti sensus plane iidem sunt atque laudes concubinae Alcibiadis in Hieronymo persolventis iusta funeri amici morique paratae pro mortuo? accedunt Senecae curae notissimae circa *mortem insepultam* quam vocat *de tranq.* (d. IX) 14, 3; quibus delendis dicavit longum sermonem *de rem. fort.* 5 (cf. etiam *epist.* 92, 34 seq., *de benef.* V 20, 4).

Senecae igitur ad dialogum *de matr.*, quo coniugium et fides coniugalis celebrabantur, quadrat admodum consilium morale exempli totum positum in mulieris fidelis laudibus. e contrario quomodo revocemus ad operis Porphyriani *περὶ ἁγνείας* argumentum hoc exemplum, non video. nec casu accidit, opinor, ut ea exempla monogamiae Hie-

1) non denego concentum aliquem peculiarem agnoscendum esse inter Iustinum et Hieronymum tam in hac narratione de morte Alcibiadis, quam in memoria de Gyge et Candaule (v. supra p. 322). nec tamen sufficiunt istae similitudines ad eum auctorem, quem in epitomam Iustinus redegit, vocandum in censum, Pompeium Trogum, inserendumque inter fontes exemplorum Senecae. nihilominus inquisitio in Trogum, exempla extera Senecae suggerentem, digna est, quam quis omni arte instituat perscrutatus universa servata scripta Senecae (cf. etiam infra p. 341). obiter moneo Timagenem, quem auctorem graecum Trogo subesse dicunt (cf. Schanz, *R. L.* II 1³ p. 451), exemplum esse Sen. *de ira* III 23, 4 seqq.; quo tamen loco ea Timagenis memoria est, quae non descenderit ex ipso (v. p. 318 adn. 1). apopthegma breve Timagenis legitur Sen. *epist.* 91, 13.

ronymiana, quae propter genus eruditionis Porphyrio reddebam, Nicerati coniugem et Stratonis uxorem, cumulentur potius castitate quam fide coniugali morte servata: (*Nicerati coniunx*) *mortem sibi ipsa conscivit, ne triginta tyrannorum ... libidinem sustineret*; (*Stratonis uxor*) *se moriens superiecit, ne post virginalia foedera alterius coitum sustineret* (cf. supra p. 220).

quodsi exemplum concubinae Alcibiadis Annaeanum est, in paraphrasin eius inquirendum est. atque in textu Hieronymi nonnullis locis dubites, utrum consuetudinem ipsius notes an Senecae. velut *suffocandi* vocabulum tam Annaeanum quam Hieronymianum est; v. *nat. quaest.* VI 2, 5, *adv. Iovin.* II 31 p. 373 D. item *auferendi* verbum usurpatum de resecandis membris corporis in sententia *suffocato caput esset ablatum* occurrit in recentiore latinitate saepe, cf. e. g. Itala *IV reg.* 6, 32 (Lucif. *de non parc.* 4) *misit ad auferendum caput meum*; verum idem verbi usus adamatur etiam a poetis ut Vergilio (*Aen.* IX 332 *caput ... aufert domino*), ne abest quidem a sermone pedestri argenteo (Thes. II 1332, 53 seqq.), Seneca habet in tragoediis (*Oed.* 1006 *mater abstulit nato caput. Phaedr.* 1094). certius debetur paraphrasi *concubinae* vox ab Hieronymo adhibita passim ut *epist.* 65, 20, 4; 69, 3, 6; 72, 3, 2; 108, 8, 3, nusquam a Seneca, neque in prosa oratione neque in poetica (v. Thes. s. v.). ergo si modo exemplum ex Seneca fluxit, narraverat is non de *concubina*, sed de *amica*, cf. *de prov.* (d. I) 3, 5; *epist.* 123, 10.

Claudo sermonem de monogamiae exemplis Indorum uxoribus p. 310 D seq. positis inter Teutam, ab Hieronymo ex eruditione scholastica prolatam, et inter concubinam Alcibiadis addictam quamvis dubitanter a me Senecae. huius autem uxorum Indicarum exempli origo etiam incertior remanet quam concubinae Alcibiadis; nonnulla tamen pro Seneca eius auctore dici possunt.

de instituto Indico viduarum ascendentium rogum maritorum defunctorum cf. Lassen, *Indische Alterthumskunde* t. III (1858) p. 347/8. sic vero paratur ex hoc instituto barbaro exemplum fidei coniugalis apud Graecos et Romanos, ut nuptas, quae plures singulis viris apud Indos fuerint, certavisse rhetores clament de honore communis cum viro funeris. veri simile autem est *τὸ ἐπαποθνήσκειν τοὺς ἐρῶντας*, quod vocavit Plato *συμπ.* p. 180 A, tetigisse Senecam in illustrando amore coniugali. nimirum huc facit Porciae exemplum romanum c. 46 p. 312 E, quae post Brutum apud Philippos interemptum

mortem sibi consciverit, faciuntque c. 45 p. 311 E seq. Alcestis et Laodamia deducendae probabiliter ex Seneca. ergo ab argumento dialogi Annaeani exemplum Indicum, quoquo modo inductum, vix alienum est. moneo autem, ipsum Senecam Neronis Caesaris crudelitate eo ductum esse, ut pactum mortis communiter ferendae cum uxore Pompeia Paullina iniret, etiamsi illud non servavit Paullina inhibita mori a Nerone. quam rem Tacitus tradit invertens Senecam *ann.* XV 63 '*vitae*', *inquit*, '*delenimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis: non invidebo exemplo. sit huius tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine.*'

deinde breviter adumbrabo locum, quem memoria Hieronymiana exempli Indici in varia memoria antiqua eius tuetur; hinc intellegitur, quanto iure id in Seneca fuisse dicam. quod exemplum vulgare erat iam ante illum in litteris romanis, cf. Prop. III 13, 15 seqq., Cic. *Tusc.* V 78, Val. Max. II 6, 14. Valerius Maximus sic cum Cicerone conspirat, ut is locus Maximi locis illis eius addendus sit, ubi consensum Tullianum eius compilatione Tulliana declarabat Klotz, *Herm.* XLIV p. 213 adn. 2.[1]) iam vero si memoriam exempli a Cicerone et Maximo suppeditatam comparas cum Hieronymo, hunc apparet cum illis consentire plurimis rebus, una tamen re ab iis deflectere. nam quod Hieronymus ornatum et habitum festivum mulierum se flammis superiacientium effert, tacent eam rem Cicero et Maximus. quae tamen res non debetur inventioni Hieronymi. immo verba eius *victrix in habitu ornatuque pristino* interpretanda sunt ope Diodori describentis splendidum funus Cetei ducis Indici, qui cum Eumene pugnans adversus Antigonum in Paraetacis mortem obiit XIX 34, 3 *ἡ δὲ ἐπὶ τῇ νίκῃ περιχαρὴς ἀπῄει πρὸς τὴν πυράν, στεφανουμένη μὲν μίτραις ὑπὸ τῶν οἰκείων γυναικῶν, κεκοσμημένη δὲ διαπρεπῶς ὥσπερ εἴς τινα γάμον προεπέμπετο ὑπὸ τῶν συγγενῶν.*[2]) sic igitur rationem inter Hieronymum et vetustiores testes exempli Indici intercedentem declaro, ut consensum cum Valerio Maximo ex corpore rheto-

1) consensum Ciceronis et Maximi vidit iam Wesseling ad Diod. XIX 34 (ed. Amstel. 1746 t. II p. 343) de fontibus Ciceronis exscriptis a Maximo locutus.

2) reliqua testimonia graeca instituti Indici cum Hieronymo comparata nullum lucrum afferunt ad condicionem Hieronymi designandam: Diod. XVII 91, 3; Strab. XV 1, 30 p. 699 seq. et ibid. 62 p. 714; Nicol. Damasc. frg. 143 Mueller; Plut. *εἰ αὐτάρκ. ἡ κακ.* eqs. 3 p. 499 C; Aelian. *ποικ. ἱστ.* VII 18.

rico exemplorum a Seneca adhibito repetam; simul quod largitate memoriae Valerium Maximum Hieronymus superat, eruditius corpus exhaustum dico a Seneca quam traditionem repraesentatam a Cicerone et Maximo.

nihilominus cavendum est, ne nimis confidenter Senecam auctorem exempli vocemus. nam vigebat illud etiam recentioribus saeculis in eruditione scholastica. cf. Serv. *ad Aen.* V 95 *fuit enim haec maiorum consuetudo, sicut hodieque apud Indos est, ut quotiens reges moriebantur, cum his dilecti equi vel servi et una de uxoribus carior ⟨circa rogum occisi⟩ incenderentur, inter quas de hoc ipso erat magna contentio.* (de Servii cum Hieronymo consensu v. p. 276).

elocutionis Hieronymianae alienae a Seneca certum vestigium deprehenditur *castitatis* vox (cf. p. 183 seqq.). deinde quod marita ustulanda cadaver coniugis *amplexans et deosculans* inducitur, ea plane est ἔκφρασις Hieronymi. nam Senecae *deosculandi* verbum deest in Hieronymo passim obvium (cf. Thes. s. v.). *amplexandi* verbum per se non abhorret a Seneca, sed idem verbum adamat vehementer Hieronymus (v. Thes.). denique phrasin coniunctorum inter se verborum *amplexandi* et *deosculandi* adhibitam de blandimentis cadaveri illatis cf. cum Hier. *epist.* 108, 29, 3 *deosculari oculos, haerere vultui, totum corpus amplexari et se cum matre velle sepeliri.*

4

A monogamia et castitate viduali feminis exemplis capitum 43—46 commendata transit Hieronymus ad viros a vita coniugali avocandos utiturque ad eam rem praeter sermonem Theophrasti exemplis malarum uxorum, quibus occupatur capitis 48 pars maior. nimirum desinunt vertente c. 48 sub calce eius exempla, incipiunt decreta coniugalia et praecepta, quibus repletum est etiam novissimum eruditionis ethnicae et totius libri I *adv. Iovin.* c. 49.

patet autem sermo malarum uxorum, quarum quae redeant ad Senecam nunc statuam, inde a p. 316 A usque ad p. 317 D. qui sermo ultro distinguitur in plures diversae originis portiunculas. primum secedit a reliquis partibus ecloga Plutarchi aucta et contaminata additamentis Porphyrianis; quae incipit p. 316 E a Gorgiae uxore et finitur in Pasiphaa p. 317 C. haec igitur pars iam penitus extra quaestionem

relinquitur item iam actum est de Socratis bimariti exemplo Aristoxeneo p. 316 B *Socrates* ... *persecutae sunt* deducto c. V p. 130 seqq. ex Porphyrio.

Clytaemestram et Eriphylam diversae originis esse atque Pasiphaen in enuntiato p. 317 C *quid referam Pasiphen, Clytemestras et Eripylas* eqs. approbatur vel commutatione numeri incipiente a *Clytemestris* pluraliter dictis. Pasiphae in serie Plutarcheorum certo ordine decurrentium suam sedem sibi vindicat (v. p. 67 seqq.), de consuetudine Hieronymi singulas periodos ex pluribus fontibus consuentis constat, ita ut in subsidiarium auctorem praeter Plutarchum ponendum Hieronymi hoc loco iure optimo inquiramus. nec tamen audeo auctorem alterum, unde Clytaemestram et Eriphylam Pasiphaae addiderit Hieronymus, certo nuncupare, quae est condicio scholastica istorum exemplorum crebrorum in litteris moralibus: illustravit usum eorum in his litteris simul cum reliquis fabulis apud Hieronymum pone Clytaemestram et Eriphylam occurrentibus Praechter, *Hierokles* eqs. p. 146 adn. 2. Clytaemestra et Eriphyla coniunctae leguntur in Iuvenale, poeta pleno exemplis scholasticis 6, 655 seq. *occurrent multae tibi Belides atque Eriphylae mane, Clytaemestram nullus non vicus habebit.* Eriphyla etiam in litteris christianis Hieronymo antiquioribus usurpatur ut Clem. Alex. παιδ. II 10 (109, 4) p. 223, 6 seqq. *φιλοκοσμοῦσα δὲ ἀποπέπτωκεν* ... *τοῦ γάμου τοῦ σώφρονος, τὸν κόσμον ἀντικαταλλαττομένη τἀνδρὸς κατὰ τὰ αὐτὰ τῇ Ἀργείᾳ ἑταίρᾳ, τῇ Ἐριφύλῃ λέγω, ʽἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα'* (λ 327).

itaque ex communi hominum litteratorum eruditione Clytaemestram et Eriphylam Hieronymus Plutarcho addidit. qui vero coniugales litteras in censum vocat, debet Porphyrii ad Plutarchum evolvendum Hieronymum provocantis meminisse in definienda origine mulierum Plutarcheae Pasiphaae adiectarum; Annaeani usus peculiaris ratio nulla est.

Paullo maiore iure ad Senecam refertur sermo Hieronymianus Eriphylam excipiens p. 317 C *quidquid tragoediae tument et domos urbes regnaque subvertit, uxorum paelicumque contentio est. armantur parentum in liberos manus, nefandae adponuntur epulae.* nam quas fabulas tragicas haec verba spectant, eas ipse Seneca poeta tragicus executus est, cenam Thyestae, qui Atreo coniugem stupro abstulit, diras Thesei in Hippolytum iactas illecebris a Phaedra petitum, Creusae et Creontis cladem a Medea motam, Clytaemestrae odium Cassandrae.

verum hic quoque sermo de malis ex mulieribus tragicis ductis scholam acrius redolet, quam ut eum inter certa Senecae fragmenta recipiam. velut rhetoricas disputatiunculas eiusdem coloris Athenaeus offert XIII p. 556 C: *οὐκ ἀνέχεται ἡ τοῦ Φοίνικος μήτηρ τὴν τοῦ Ἀμύντορος παλλακίδα. Μήδεια δὲ ... οὐ φέρει ... τὸν Γλαύκης γάμον, ... καὶ ἡ Κλυταιμήστρα ... τὴν Κασσάνδραν σὺν αὐτῷ τῷ Ἀγαμέμνονι ἀποκτείνει.* ibid. p. 560 C seq.: *ἀνετράπησαν δὲ καὶ ὅλοι οἶκοι διὰ γυναῖκας· ... ὁ Ἡρακλέους διὰ τὴν Ἰόλης ἐπιγαμίαν ..., ὁ Θησέως διὰ τὴν Φαίδρας ..., ὁ Ἰάσονος διὰ τὸν Γλαύκης (γάμον) ..., ὁ Ἀγαμέμνονος διὰ Κασσάνδραν.* tragoediae ex mulierum vitiis argumenta nectentes dudum in locis communibus christianorum fuerunt; cf. Tert. *de pudic.* 5 p. 227 V.; Firm. Mat. *de err.* 12, 9.

denique inutilia ea quoque sunt ad definiendum auctorem Hieronymi, quae de consensu eius cum Nicostrato *περὶ γάμου*[1]) observavit Praechter l. l.; ille enim apud Stob. IV 23, 65 p. 598 H. item atque Hieronymus post Pasiphaen ad tragoedias deflectit: *ἀναγίγνωσκε τὰς τραγῳδίας, ὁπόσα ἐποίησαν ἢ ἐβουλεύσαντο γυναῖκες ἐπιθυμίᾳ ξένων ἀφροδισίων.* hunc consensum, qui in ordine cernitur sermonis Hieronymiani et Nicostratei, communione fontis primarii alicuius — puta aetatis hellenisticae *περὶ γάμου* scriptum nobile — generaliter explicabat suo iure Praechter. at ut eodem stemmate loci *περὶ γάμου,* patentis latissime in variis generibus litterarum, rhetoricis et philosophicis coniungantur Nicostratus et Hieronymus, tamen idem stemma complectitur diversos Hieronymi auctores, Senecam *περὶ γάμου* et Porphyrium, qui de castitate scribens ex loco *περὶ γάμου* traxit plurima.

1) Nicostrati excerpta *ἐκ τοῦ Περὶ γάμου* apud Stobaeum IV 22, 102 p. 536, 6 seqq. H. et IV 23, 62—65 p. 593, 12 seqq. probabiliter ad sophistam aetatis Antoninianae rettulit Schmid, *Christs Gesch. d. gr. L.*[5] II 2 (1913) p. 649 adn. 4. elocutio excerptorum convenit huic aevo (cf. e. g. usum dualis l. l. 62 p. 595, 14 *δύο νόσω*). se ipsum numerat auctor generaliter inter *λογοποιούς* (64 p 596, 14 seq. *καὶ ταῦτα οὐκ ἐγώ, πάντες δὲ ποιηταί τε καὶ λογοποιοὶ γράφουσιν*). frustra igitur Hense ad Muson. apud Stob. IV 15, 18 p. 383, 18 stoicum fuisse hunc Nicostratum opinatus est, cum ne temptaverit quidem in eo propriam doctrinam stoicam indicare (velut quae scriptor 23, 65 *περὶ σωφροσύνης* balbutit, ea indigna philosopho sunt). Praechter, *Hierokl.* eqs. p. 121 seq. in syllabo litterarum veterum *περὶ γάμου* et philosophicarum et rhetoricarum recte inter philosophos Nicostrato locum non concessit. offerunt excerpta imprimis praecepta vulgaria de electione uxoris et vita coniugali, praeter quod physiognomica 22, 102 notanda sunt, quibus insistens Rohdeum secutus ex fabula romanica Stobaei excerpta derivabat Schmid.

itaque longius a Porphyrio quam a Seneca remotam esse Nicostrati lectionem nemo asseverabit.

Helena p. 317 C seq. claudit c. 48 sermonem post eclogam Plutarchi positum eum, ex quo fragmenta Senecae 66 et 67 Haase fecit, ego nulla facio. dictionem recentem huius exempli, cum origini eius Plutarcheae occurrerem, ex codicibus p. 66 restitui, ibid. similitudinem Iamblicheam adscripsi. Seneca Helenam in servatis scriptis non nisi *epist.* 88, 6 tetigit et ibi quoque in argumento grammatico potius quam ethico.

Extremum exemplorum pone Plutarchi eclogam collocatorum, quod versatur in repudii vituperatione, Senecam Hieronymo suppeditavisse, putanti Haaseo assentior p. 317 D: *quasdam repudiatas altero nuptiarum die, statim nupsisse legimus. uterque reprehendendus maritus, et cui tam cito displicuit, et cui tam cito placuit.*[1]) quae sententia egregie quadrat ad Senecam, quem cf. de divortii facilitate querentem *de benef.* III 16,2 *num quid iam ulla repudio erubescit, postquam inlustres quaedam ac nobiles feminae non consulum numero, sed maritorum annos suos conputant et exeunt matrimonii causa, nubunt repudii?* quod vero Hieronymus de feminis loquitur altero ab nuptiis die repudiatis iisdemque statim denuo in matrimonium ductis, hoc licentiae genus maxime facta duo paullo maioris, quam cuius Seneca est, aevi aequant a Suetonio tradita: *Iul.* 43 *diremit nuptias praetorii viri, qui digressam a marito post biduum statim duxerat* et *Tib.* 35 *alium et quaestura removit, quod uxorem pridie sortitionem ductam postridie repudiasset.*[2]) vita igitur romana urbis saec. VIII/IX, qualem Seneca spectavit, idonea perquam est ad Hieronymum illustrandum. contra alter auctor roma-

---

1) accessisse utique ad Senecam post eclogam Plutarchi in c. 48 Hieronymum, cognoscitur vel ex Epicuri et Chrysippi placitis coniugalibus hoc caput p. 317 D seqq. claudentibus, quae iuxta priorum iudicium sub 5 Senecae addicam. nil igitur nisi illud obscurius est, quo orationis puncto mutaverit auctorem Hieronymus. incipere mihi videtur fucus Annaeanus, quem adesse certo demonstrari nequit, post Plutarchum sententia p. 317 C *quidquid tragoediae tument* Senecam tragicum spirante. iam repudii vituperationem, quae confinis est placitis coniugalibus Senecae sub calce capitis, illi ascribo totam. de sollertia qua Hieronymus ab uno auctore ad alterum transiens fissuras tessellatae scripturae colleverit, v. p. 109.

2) plura de repudii facilitate apud Romanos affert Friedlaender, *Sitteng.* I[8] p. 484; praecipue cf. cum Hieronymo etiam Mart. VI 7. — 'anilia divortia' ridet Seneca *de rem. fort.* 16, 4.

nus Hieronymi praecipuus in loco de nuptiis Tertullianus raro tantum invectus est in repudia vitae ethnicae (cf. *apol.* 6 *repudium vero iam et votum est, quasi matrimonii fructus*); cui corrigere vitia urbis minus cordi fuit, operam principalem in Montanistarum monogamia defendenda collocanti; velut de christiana repudii lege dixit *de monog.* 9.[1])

restat ut a paraphrasi fragmentum purgetur. locutionem *quasdam ... legimus* Hieronymus non invenit in Seneca, cf. *adv. Iovin.* II 9 p. 338 B *quosdam legimus* eqs., ubi sententia Porphyrii redditur περὶ ἀπ. ἐμψ. I 36 p. 112, 26 seqq. N., cum in Porphyrio verbis *quosdam legimus* nihil respondeat (v. append.). deinde in dictione *altero nuptiarum die* nota genetivum rei actae, qui ab Hieronymo etiam alibi adhibetur, v. *c. Ioh.* 37 t. II p. 447 E Vall. *ante tres menses legationis* (Goelzer, *Lat.* eqs. p. 320 seq.); contra Seneca eum, quoad video, non usurpavit, quamquam a latinitate argentea alienus non est (v. Schmalz, *Synt.*[4] p. 362).

Ante Plutarchi eclogam quae occurrunt exempla malarum uxorum, eorum primum, quod immerito Haase non adiecit Senecae, tracto p. 316 E Philippum regem, proxime Plutarchi eclogae antecedentem. magna autem in Seneca et singularis ex parte Philippi, Alexandri Magni patris, memoria est, quam breviter adumbro.

duplex Philippi imago in scriptis Senecae deprehenditur; aut latro et corruptor morum publicorum audit, aut rex iustus et irae continentissimus. detrectationem Philippi, ni fallor, oratoribus debet Seneca Demosthenis memoribus, cuius generis duo loci sunt: *nat. quaest.* III praef. 5 *quanto potius deorum opera celebrare quam Philippi aut Alexandri latrocinia ceterorumque, qui exitio gentium clari non minores fuere pestes mortalium quam inundatio* et *epist.* 94, 62 *non contentus tot civitatium strage, quas aut vicerat Philippus aut emerat.*

at latius quam detrectatio patet in Seneca ea, quae in Hieronymo quoque est, approbatio Philippi. primum narratione longa *de benef.* IV 37, 1 seqq. celebratur iustitia regis; qua in narratione ex *Pausaniae*

1) hoc loco quod Tertullianus refert *apud Romanos post annum sexcentesimum urbis conditae id genus duritiae* (i. e. repudium) *commissum* demum esse, eam memoriam iteratam *apol.* 6 ex scientia iuris et eruditione scholastica hausit; de re iuridica dixi *mus. Rhen.* LXV (1910) p. 601. libenter eius rei commemorationem tribuerim etiam Senecae dialogo *de matr.*

mentione l. l. 3 Ruhkopf ed. Sen. ad l. eius nos Pausaniae commonens qui postea Philippum interfecit, probabiliter collegit, Alexandri Magni patrem a Seneca dici. nullus autem praeter Senecam scriptor hanc narrationem praestat item ut praeter Hieronymum nemo Philippum ab uxore superbe acceptum esse narrat. deinde egregiam de Philippo memoriam Seneca exhibet *nat. quaest.* V 15, 1 seqq., ubi ex metallorum commemoratione rursus intellegitur, sermonem esse de Alexandri Magni patre. qui locus quamvis non inserviat laudandis virtutibus Philippi, certe tamen vacat ab infestatione rhetorica.

iam vero praecipua virtus Philippi praedicatur narratione tertia Senecae, quae *de ira* III 23, 2 seq. legitur de Demochare, dicto procaci regem impune lacessente. atque patientia dictorum libere et contumeliarum, *ἀοργησία* Philippi multis admodum laudibus tollitur in litteris antiquis, cf. Plut. *πῶς ἄν τις διακρ.* 30 p. 70 B seq.; *περὶ ἀοργ.* 9 p. 457 E seq.; *Δημητρ.* 42; Ps.-Plut. *ἀποφϑ. βασ., Φιλ.* 5 et 6 p. 177 D seq.; ibid. 19 p. 178 C; 24 p. 178 F seq.; 26 p. 179 A; 31 p. 179 C; Stob. III 13 *περὶ παρρησίας* 49 p. 463 seq. H.; Val. Max. VI 2 ext. 1. Seneca autem eam regis virtutem diserte effert l. l. 2 *nam si qua alia in Philippo virtus, fuit et contumeliarum patientia.* nec non eandem strinxit in historia, qua iustitiam Philippi imprimis illustravit *de benef.* IV 37, 3 *Philippo epistulam strictam ac liberam scripsit.* itaque dialogo *de matr.* narratio Hieronymi, qua Philippus exclusum se esse a cubiculo ab uxore aequo animo tulerit, probabili ratione redditur. atque eo libentius accipienda est huius narrationis origo Annaeana, quia, quae est consuetudo exemplorum Senecae cum domesticis externa prolixe copulantis (v. p. 319), pro Pasiphaa, Eriphyla, ceteris externis exemplis Haasei Senecae a me demptis, iam aliud malae uxoris ei addicitur.[1])

sequitur ut de fonte sive fontibus, unde Senecae egregia Philippi memoria fluxerit, disseram. ac de primaria origine imaginis, qua Philippus eminuerit virtutibus praeclaris, dubitatio nulla est. rhetoribus ex Demosthene suspensis Philippum lacerantibus obstitit mirum quantum vocati a Philippo in aulam Macedoniam nomen Aristotelis. velut quam Gellius IX 3 offert *epistulam Philippi regis ad Aristotelem philosophum super Alexandro recens nato,* documentum luculentum est me-

1) quod Hieronymus dicit, Philippum a cubiculo exclusum iniuriam suam *versu tragico* consolatum esse, frustra evolvi *ψόγον γυναικῶν* Stob. IV 22, 136 seqq., similes litteras, ut de ipso versu certior fierem.

moriae Philippi cultae a philosophis. difficilius est iudicare de fontibus a Seneca in unaquaque fabularum Philippearum reapse exscriptis. tantum *nat. quaest.* V 15, 1 seqq. res aperta est; ubi Asclepiodoto (cuius de partibus in hoc opere Senecae cf. Brennecke, *animadv. ad font. n. q. S.* p. 5 seqq.) notitiam rei Philippeae debere se Seneca ipse ait. hoc igitur exemplum una cum placitis ex litteris graecis philosophicis Seneca transtulit (v. p. 321).

at eiusdem naturae num sit memoria rerum Philippicarum in narrationibus *de benef.* IV 37, 1 seqq., *de ira* III 23, 2 seq. nec non dialogi *de matr.*, incertum remanet. nimirum magnopere excitata est apud Romanos aetate Augustea notitia rerum Philippicarum auctoritate Timagenis et Pompei Trogi *historiis Philippicis* (v. p. 332 adn.). sic *de benef.* IV 37 ingrati militis Philippi exemplum utrum ex Hecatone vel alio auctore stoico περὶ χαρίτων scribente in opus *de benef.* descenderit, an ex capite *de ingratis* (cf. Val. Max. V 3) corporis cuiusdam exemplorum copiam ex historiographia rhetorica trahentis, iniudicatum relinquo. certe opus *de benef.* in rebus patriis utitur litteris romanis exemplorum (v. c. VI p. 228); laudes Philippi inveniuntur etiam in opere latino exemplorum Valerii Maximi.

denique peculiaris condicio est memoriae Philippeae *de ira* III 23, 2. ea enim parte libri III *de ira*, cui exemplum Philippi inest, Rabbow, *Antike Schr. üb. Seelenh.* eqs. I p. 76 seq. consensum persecutus Plutarchi περὶ ὀργ. et Senecae definiebat, quae exempla Sotio suggesserit. etiamsi autem nec Sotio caruisse videtur nec caret Plutarchus Philippo inter exempla ἀοργησίας, — duas Plutarchus habet abstinentis ab ira Philippi narratiunculas 9 p. 457 E seq. —, tamen Annaeanae narratiunculae vestigium in Plutarcho nullum est. nec hoc mirum: nam per foedum errorem legitur Sen. *de ira* III 23 Philippi nomen copulatum cum nomine Democharis; p. 294 hunc errorem ad certum genus errandi Senecae proprium rettuli. in fonte Seneca hoc loco nihil invenit nisi apopthegma Democharis huiusque rhetoris altercationem cum principe Macedonico, Philippi nomen fonti addidit confisus iis, quae de patientia contumeliarum, virtute praecipua Philippi, rata habuit. atque hoc c. 23 libri III *de ira*, quod falsam Philippi memoriam offert, ab altero etiam laborat errore item ex mente Senecae a me repetito p. 297, laterculo incredibiliter pessumdato regum Macedonicorum; quem errorem nemo facile in litteris graecis fuisse existimabit. argu-

mentum autem huius capitis libri III *de ira* praeter Philippum et Democharem romanum est, in divo Augusto, Pollione et Timagene versatur, Augusti facetias exhibet. quodsi hoc caput nulla ratione cum Plutarcho *περὶ ἀοργησίας* iungitur, errores in capite occurrentes mentem Senecae produnt, narratiunculis et dicteriis totum caput constituitur, succidit causa omnis, cur aliquis hoc caput, quod seriem longissimam exemplorum libri III *de ira* a Rabbow tractatam claudit, ad Sotionem revocet, immo Seneca copiam exemplorum Sotionis existimandus est ex enchiridio narratiuncularum aliquo sibi usitato romano supplevisse. cui vero corpori narratiuncularum romano a Seneca passim compilato etiam Democharis Parrhesiastae facetiae infuerint, cum divi Augusti apopthegmata idem opus continuerit, opinantem me exhibui iam supra p. 318 adn. 1.

Redeo a Philippo ad exempla malarum uxorum, aggressurus alterum externum exemplum Senecae vindicandum p. 316 B seq., Xanthippen; haec aqua inmunda coniugem perfudisse dicitur, ille apopthegmate salso iniuriam rependisse. coniugalem Socratis vitam duabus illustravit Hieronymus historiis; quarum priorem de bimarito Socrate Porphyrio adscripsi c. V p. 130 seqq., posteriorem iam Senecae daturus aegre minime fero diversam originem utriusque narrationis, quamquam certa ex causa facile quis eo inclinaverit, ut alteram quoque narrationem ex Porphyrio repetat. haec enim in Laertio Diogene II 36 consona cum Hieronymo legitur *πρὸς Ξανθίππην πρότερον μὲν λοιδοροῦσαν, ὕστερον δὲ καὶ περιχέασαν αὐτῷ*, '*οὐκ ἔλεγον*', *εἶπεν*, '*ὅτι Ξανθίππη βροντῶσα καὶ ὕδωρ ποιήσει;*' sane Laertii Diogenis consensum cum Hieronymo usu Porphyriano eius explicui in narratione de ortu Platonis *adv. Iovin.* I 42 p. 309 C seq. et in vita Diogenis cynici ibid. II 14 p. 344 D seqq. (cf. p. 133 seqq.).

nihilominus ut in altera de coniugio Socratis historia a Seneca Hieronymum pendere pro certo habeam, id locutione efficitur Hieronymi *aqua perfusus inmunda* in servato scripto Senecae, quod hanc de Xanthippe fabulam ipsum quoque quamvis brevius habet, recurrente *de const. sap.* (d. II) 18, 5 *inmunda aqua perfunderetur*. nam huius locutionis communem Senecae et Hieronymi usum nolo casui tribuere, nec magis lubet imitationem libri *de const. sap.* Hieronymi ponere. nempe luculentior est memoria fabulae in Hieronymo quam in Senecae libro *de const. sap.*; unde opus esset alteram narrationem conflatam esse di-

cere ab Hieronymo ex hoc libro Annaeano et ex Porphyrio, auctore antecedentis fabulae de bimarito Socrate. at nefas est coniugale exemplum Hieronymi de coniugio scribentis et dialogum *de matr.* ante oculos habentis ex alio dialogo Senecae quam ex illo deducere. itaque consensum Hieronymi et Senecae *de const. sap.* sic explico, ut quam in amisso dialogo *de matr.* Seneca narrationem de Socrate integram protulerit, ad eam ipse in dialogo *de const. sap.* postea breviter alluserit. qua via explicandi consensum Hieronymi et Senecae simul illud colligitur, *de matr.* ante *de const. sap.* scriptum esse; quae res, ut intellegetur infra (sub 6), etiam propter alias causas placet.

Maxima autem omnino est imitatio sui Senecae, quae praecipue explananda est in quaestione de reliquiis therapeutici sermonis *de remediis fortuitorum*; ubi eruendum est, quantopere ea, quae codice Salmasiano saec. VII servantur, excerpta interpolata sint ex servatis scriptis Senecae (cf. Rossbach, *Realenc.* I 2246). in praesentia de imitatione sui Senecae nolo fusius agere, id unum insuper commoneo, quantos labores paraverit imitatio sui Senecae nimia defendentibus originem genuinam *consolationis ad Polybium.* haec enim quas dictiones cum aliis scriptis Senecae communes habet venditas pro indiciis originis subditiciae huius libri a Carolo Buresch, *Leipz. Stud.* IX (1886) *consolationum ... hist. crit.* p. 118 (cf. e. g. *ad Pol.* 9, 1 *doleo an eius qui decessit* et *ad Marc.* 12, 1 *dolor ... an eius qui decessit*), eae dictiones revera ad unam omnes documenta sunt Senecae se ipsum imitati. consimiliter locos aliquot *consolationis ad Marc.* in *cons. ad Helv.* et aliis scriptis Annaeanis recurrere demonstravit Bureschio obsistens Isleib, *de Sen. dial. ... ad Pol. de cons.* (diss. Marp. 1906) p. 17/8. cf. etiam A. Siegmund, *de Sen. consolationibus* (prog. Böhm.-Leipa, 1912 seqq.) p. 2, al. in eosdem colores, quin verba eadem in iisdem locis moralibus et narratiunculis Seneca passim incidebat, cf. e. g. *de clem.* II 5, 1 *religio deos colit, superstitio violat* et *epist.* 123, 16 *superstitio ... quos colit, violat*; *de benef.* V 6, 1 (Alexandri) *regnum a Thraciae angulo provectum* et *epist.* 119, 8 *ille* (Alexander) *modo ignobilis anguli ... dominus.*[1])

Domestica exempla coniugiorum vitandi generis c. 48 ante Plutarchi eclogam leguntur p. 316 A Ciceronis, p. 316 C seq. Sullae, Pompei,

1) in dialogo *de const. sap.* phrasis cum Hieronymo concordans nequaquam ea sede utitur, qua Senecam se ipsum imitatum esse cogitare molestum

Catonis Censorii coniugia, quae aeque atque matronae pudicae capitis 46 certissima documenta sunt Senecae ab Hieronymo compilati. quae etiamsi traditionem maculis quibusdam foedatam secum ferunt ex Hieronymi paraphrasi textus Annaeani velocissima deducendis, tamen tanta pollent memoria antiqua accommodata ad studia Senecae, qualia eius de vita romana coniugali omnino fuisse putandum est, ut vox Hieronymi de exscripto libro Annaeano ad haec praecipue trahenda sit.

quod dissimilibus inter se exemplis vita coniugalis romana ab Hieronymo illustratur, Biliae aliisque virtute excellentibus feminis capitis 46 iam opponuntur Terentia et matronae reliquae mali generis, ex Senecae consuetudine plane fit. legem diversitatis exemplorum tam exercuit quam professus est e. g. *de ira* III 22, 1 *et haec cogitanda sunt exempla, quae vites, et illa ex contrario, quae sequaris*; *de benef.* III 23, 1 *multa iam beneficiorum exempla referam et dissimilia et quaedam inter se contraria.* velut *de clem.* I 9 seqq. tractatur divi Augusti clementia Neroni imitanda, deinde ibid. 12 contrarium Sullae exemplum. quo in more ponendorum diversi generis exemplorum sequitur Seneca praeceptum rhetoricum in patre obvium *contr.* IX 2, 27 *et quid imitandum et quid vitandum sit, docemur exemplo.*

praeterea in singulis rebus, sensibus et flosculis consuetudinem scriptoris Senecae haec exempla produnt. velut quod ludit Hieronymus p. 316 C in Sullae cognomine *Lucii Syllae*[1]), *Felicis si non habuisset uxorem,* eodem cognomine allectus est Seneca ad meditandum de veri-

sit. quae legitur sub exitu paenultimi c. 18 repleti ex parte maxima exemplo Caligulae, Caesaris contumeliosissimi, luentis tamen morte superbiam. cui adnectitur Socrates comoediarum sales in se publicatos ridens item atque contumeliam a Xanthippe sibi illatam, nec non mater obiecta Antistheni Thraessa responsumque Antisthenis ad hoc opprobrium. quam de Antisthene narrationem praebent etiam Plutarchus περὶ φυγῆς 17 p. 607 B et Laertius Diogenes VI 1. fieri potest ut Seneca eam delibaverit ex litteris stoicis, a quibus in dialogo *de const. sap.*, ut puto, exemplum 17, 2 *Chrysippus ait quendam indignatum* eqs. atque etiam 6, 1 historiam de Stilbone et Demetrio Poliorceta accepit. at undecumque Socratem et Antisthenem Seneca sumpsit, utique Xanthippe Socrati in comoediis ludibrio habito sic additur, ut meo iure provocem ad Senecam se ipsum imitatum.

1) scriptio *Sylla* per *y*, quam Hieronymo secundum codices ascribo, usum graeci auctoris non indicat, quae explicanda est originatione vetusta a Macrobio servata *sat.* I 17, 27 . . . *Sibylla cognominatus est, et postea corrupto nomine primus coepit Sylla vocitari* (cf. *Realenc.* IV 1514. W. Schulze, *Z. Gesch. lat. Eigenn.* p. 372). ceterum in Senecae quoque libris optimis, ut constanter fere in Ambrosiano dialogorum, *sylla* sive *silla* scribitur.

tate eius *ad Marc.* (d. VI) 12, 6 *L. Sulla filium amisit nec ea res . . . effecit, ut cognomen illud usurpasse falso videretur . . . nec odia hominum veritus . . . nec invidiam deorum, quorum illud crimen erat, Sulla tam felix. de prov.* (d. I) 3, 8 *felix est L. Sulla . . .?* consimiliter Pompei Magni cognomen irritamentum perpetuum meditationis Annaeanae est, cf. *ad Marc.* (d. VI) 14, 3; *de brev. vitae* (d. X) 13, 7; *epist.* 94, 65. deinde p. 316 A indignationem, qua Hieronymus Terentiam, etiamsi 'de fontibus Tullianis hausisset sapientiam', a fide coniugali deflexisse ait, cum indignatione componere licet, qua Seneca *de ira* III 17, 1 sapientia philosophica imbutum Alexandrum *ex Aristotelis sinu* in iracundiam ruisse queritur. atque eruditio philosophica Ciceronis a Seneca haud aliter atque ab Hieronymo permagni aestimatur (quamquam nonnullis locis propter carmina et elocutionis rationem vellicavit Ciceronem), cf. *epist.* 100, 9 *dic Ciceronem, cuius libri ad philosophiam pertinentes paene totidem sunt, quot Fabiani: cedam, sed non statim pusillum est, si quid maximo minus est.*

deinde flosculi nonnulli Senecam sapiunt, etiamsi eorum proprietas Annaeana tanta non sit, ut nequeant fluxisse ex ore Hieronymi. velut quae de Terentia post Ciceronem coniugia Sallustii et Messalae oratoris experta dicuntur p. 316 A *quasi per quosdam gradus eloquentiae devoluta est*, saepius usus est Seneca *devolvendi* verbo (v. *epist.* 92, 23. Thes. V 869, 61), iunxit id etiam cum *per* praepositione *nat. quaest.* IV b 3, 5. locutionis autem *per gradus* exempla habeo saltem patris Senecae *contr.* I praef. 16 et ibid. VII 2, 8. item *consternandi* vocabulum in Pompei exemplo p. 316 D ab Hieronymo usurpatum de victore totius orbis tristitia subita affecto Seneca simili usu adhibuit *de ira* III 30, 1. denique alia sermonis insignia imitationi Annaeanae Hieronymi eodem iure atque consuetudini propriae eius tribuuntur ut p. 316 D Catonis maioris cognomen *Censorii*; quod frequentatum a recentioribus cum ignorent Cicero et vetustiores, ne Valerius quidem Maximus auctor tot narratiuncularum de Catone maiore habeat (v. Thes. n. pr. I 267, 8 seqq.), Seneca primus, initians usum posterorum, adhibuit *de vita b.* (d. VII) 21, 3 et *epist.* 87, 9.[1])

1) apparet *censorii* dignitatis vocem tunc demum in cognomen *Censorii* abiisse, cum simplex *M. Catonis* appellatio in moralibus imprimis ad Vticensem spectare visa sit. atque dubito etiam an titulus post Mommsenum, *Inscr. Neap.* 6805 et CIL. I^1 p. 281 ab Huelseno editus ibid. I^2 p. 202 *Elog.* XLIII

Iam vero traditio biographica horum exemplorum num Senecam deceat, intuebimur. narratio de Sulla egregie approbatur Plutarcho (cf. c. III p. 56 seq.). deinde gaudeo, quam rem Hieronymus de Hirtio refert Ciceronem rogante, *ut post repudium Terentiae sororem eius duceret*, eam iam veram haberi ut auctoritate Senecae munitam a Muenzero, *Realenc.* VIII 1962 (cf. etiam Vonder Muehll, ibid. 1957 et Drumann-Groebe, *Gesch. Roms* eqs. III p. 74). nimirum haec Hieronymi relatio magnopere sustentatur rebus aliunde notis vitae Tullianae: Hirtium Caesaris amicum anno 408/46 dicendi discipulum Cicero habuit et consuetudine cottidiana cum eo vixit (cf. Drumann-Groebe l. l. p. 67); in eundem annum Terentiae repudium cadit. nec mirum si responsi a Cicerone Hirtio dati (cuius de sensu morali v. supra p. 10 et Marquardt-Mau, *Das Privatl. der R.* p. 74 adn. 3) memoria omnis uni Senecae debetur, qui etiam fragmenta Tulliana aliquot solus servat.

at exemplo Hieronymiano non tantum Hirtiam ducere noluisse Ciceronem traditur, sed etiam Terentiam post discessionem a Cicerone factam secundas et tertias nuptias iniisse. cum vero pars prior exempli ut digna fide ab eruditis comprobetur, posteriori parti eiusdem exempli, secundis et tertiis Terentiae nuptiis denegatur fides quoad video ab omnibus (cf. Schanz, *R.-L.* I 2^3 p. 166. Drumann, l. l. VI^1 p. 693); ne verbo quidem tetigit eam rem O. E. Schmidt, *N. Jahrb.* I (1898) p. 174 seqq. *Cicero u. Terentia.* at ut proferam quae defendant Hieronymi testimonium de posterioribus Terentiae nuptiis, Terentia tertium et centesimum annum explevit Valerio Maximo VIII 13, 6 et Plinio *nat.* VII 158 testibus. quamquam autem senior Terentia a Cicerone discessit, tamen coniugium matronae appetitum fuisse credibile est propter rem uxoriam et auctoritatem, qua in vita publica usa est; quae vixit tunc, cum coniugia nectere et dissolvere summa cum facilitate et celeritate saeculum erat. denique ea quae de vita coniugali Sallustii et Messalae aliunde nota sunt, memoriae Hieronymi non obstant; cuius opinor vanitatem difficilius quam veritatem explices. pars tantum exigua rerum a biographis Ciceronis tractatarum ad nos venit; ne Plutarchus quidem Tironis vitam Ciceronis ipse habuit ante oculos (cf. Leo, *Die gr.-r. Biogr.* p. 162 seqq.), litteras, ubi 'locus de pudicitia' Ciceronis actus fuit, a

---

M. Porcius M. f. Cato censorius, ubi *censorius* facile pro cognomine accipitur, Senecae et Lucani aetate antiquior non sit.

quo haud longe absunt mores Terentiae, adnotavit Zielinski, *Cic. im Wandel der Jahrh.*[3] (1912) p. 287.

Superest ut de Pompei et Catonis Censorii exemplorum traditione biographica loquar. difficillima autem quaestio est, utrum singulae res, quas de divortio Pompei cum Mucia facto Hieronymus offert, traditioni sincerae an confusae tribuendae sint. nam cum de impudicitia Muciae hanc praebeat Hieronymus sententiam *quam Pontici spadones et Mithridaticae ambiebant catervae*, ea ita sonat, tamquam uxor comitata sit Pompeium in expeditionem Ponticam. attamen Romae adulterium commisit Mucia Magno absente ex testimonio scriptorum Hieronymum auctoritate superantium, Plutarchi *Πομπ.* 42 et Suetonii *Iul.* 50.[1]) praecipue quod Suetonius *Aegisthi* vocabulum a Pompeio Caesari inditum esse narrat, id non nisi ad moechum corrumpentem domi ducis in bello absentis maritam quadrat. accedit quod sententia ne genere quidem dicendi commendatur vetusto peculiarique Senecae. falso *spadonis* vocem Annaeanae locutionis insigne esse voluit Grossgerge, *de Sen.* eqs. p. 26, quam aequo usu etiam Hieronymus adhibet (*in Ier.* 5, 44, 7 p. 331 Reiter). deinde *ambiebant* forma, aliis etiam locis Hieronymi obvia, vix erat in Seneca (Thes. I 1847, 17 seqq.); significatione quoque et usu *ambiendi* verbum hoc loco non magis decet Senecam quam Hieronymum (Thes. 1850, 7 seqq. Verg. *Aen.* VII 333). dictio *Mithridaticae ... catervae*, pro qua *mitratae* (sive *Metriacae*) *catervae* proposuit Immisch, *mus. Rhen.* LIV (1899) p. 313, fucosum potius modum dicendi ecclesiasticum spirat quam Annaeanum.

Certa est confusio Hieronymi in exemplo Catonis Censorii, ubi quae leguntur *habuit uxorem Artoriam Paulam, humili loco natam, violentam, inpotentem et ... Catoni superbam*, ea mirum in modum conflata sunt ex vera traditione et errore nequissimo. Catonem senem et viduum clientis sui Salonii filiam virginem in matrimonium duxisse, testes sunt nomen *Salonii* nobiscum communicantes Plutarchus *M. Κάτ.* 24, al., Gellius XIII 20, 8, Plinius *nat.* VII 61 (cf. etiam Sen. *contr.* VII 6, 17. Auctor *de vir. ill.* 47, 9. Drumann-Groebe, *G. R.* V p. 159),

1) his accedit Zonaras X 5 p. 311 Pinder tertius testis Muciae *παρὰ τὴν ἀποδημίαν* Pompei adulteratae. reliqui divortii testes id tantum generaliter memorant Cicero *ad Att.* I 12, 3, Asconius *Scaur. arg.* p. 23 Stangl, Cassius Dio XXXVII 49, 3. de C. Memmio et Pompei uxore cf. Suet. *de gramm.* 14. (v. etiam supra p. 57).

atque ad hanc rem non potest non spectare Hieronymi vox *habuit uxorem . . . humili loco natam.* item necesse est nomina *Artoriam Paulam* referre ad Aemiliam Paullam, Censorii nurum, quae oriunda ex gente nobilissima nupserat filio maiori Censorii, Marco ex Licinia nato (cf. Drumann-Groebe ibid. p. 158 et 161. Klebs, *Realenc.* I p. 590 nr. 152). unde in eo dumtaxat erravisse Hieronymum liquet, ut Saloniam uxorem Catonis vocabulis nurus eius appellaverit nec non vocem *Aemiliam* pessumdederit scripto *Artoriam.*[1])

attamen dubitatio remanet, quam memoriam in fonte Hieronymus invenerit. ambigitur, utrum de Aemiliae Paullae adversus socerum superbia auctor narraverit — sic Drumann l. l.[2] p. 161 et Klebs, *Realenc.* I p. 59 et 331 Hieronymum interpretantur —, an error eius tantummodo in nominibus confuse positis cernatur, ut *Salonia* pro *Artoria Paula* substituta genuinum Senecae fragmentum recuperetur.

nurus nobilis arrogantiam Catonem expertum esse, videtur primo obtutu efficiendum esse ex Plutarchi narratiuncula *Κάτ.* 24 et *Ἀριστ. κ. Κάτ. συγκρ.* 6 de Catonis filio, Aemiliae Paullae marito, patrem propter ancillam in consuetudinem turpem receptam corripiente. nihilominus nonnulla suadent, ut de Salonia uxore imperiosa, quamvis humili loco nata et paupere auctorem Hieronymi verba fecisse putemus. domi Censorium viri auctoritatem non utique servasse aliunde notum est. sic quam orationem eius Livius XXXIV 2 seqq. fictam accepit vel invertit de lege Oppia circa sumptum matronarum non abroganda, ea incipit verbis '*si in sua quisque nostrum matre familiae, quirites, ius et maiestatem viri retinere instituisset, minus cum universis feminis negotii haberemus; nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri hic quoque in foro obteritur et calcatur, et, quia singulas non continuimus, universas horremus.*' praeterea apopthegmatis Catonis indulgentia eius adversus mulieres posteris traditur, cf. Iordan, *M. Cat.* eqs. dict. 4 p. 98 (Plut. *Κάτ.* 8) *περὶ δὲ τῆς γυναικοκρατίας διαλεγόμενος, 'πάντες', εἶπεν, 'ἄνθρωποι τῶν γυναικῶν ἄρχουσιν, ἡμεῖς δὲ πάντων ἀνθρώ-*

---

1) manifesta errata Hieronymi lubet sub unum conspectum conferre omnia. p. 312 C *Marcia* pro *Porcia* scripsit (v. p. 57 seq.); p. 309 D Philonem vocavit Carneadis *magistrum* (v. p. 145); p. 307 B aberravit a Vestali patrem triumphantem contra tribunum defendente ad triumphatores Vestalibus de via cedentes (v. p. 286); agmen claudit *Saloniae* vocabulum elapsum ex mente Hieronymi. (de erroribus in aliis scriptis cf. p. 253).

πων, ἡμῶν δὲ αἱ γυναῖκες'. ibid. 42 p. 105 (*Κάτ.* 20) ... *Σωκράτους οὐδὲν ἄλλο θαυμάζειν τοῦ παλαιοῦ, πλὴν ὅτι γυναικὶ χαλεπῇ καὶ παισὶν ἀποπλήκτοις χρώμενος ἐπιεικῶς καὶ πράως διετέλεσε.* quid multa? simplicissima ratione sic enodatur confusa memoria Hieronymi, ut Seneca Saloniae mulieri ignobili a Catone Censorio in coniugium ductae Aemiliam Paullam feminam nobilem a filio Catonis ductam opposuerit aut cum vituperatione utriusque mulieris aut cum laude Aemiliae. nulla amplius offensio *Saloniam* pro *Artoriam Paullam* reposito textui Hieronymiano inest, alioquin ad vitam coniugalem Catonis senis cum Salonia adulescente eximie spectanti. elocutio exempli Senecae convenit, praeter quod *superbus* iunctum cum dativo recentioris consuetudinis est; dativus eius generis in usu ante Tacitum non est (*ann.* XI 21 *arrogans minoribus.* Draeger, *Über Synt. u. Stil des Tac.*[3] p. 26).

5

Sermonem ethnicum Hieronymi iam absolvi omnem praeter ultimam partem capitis 48 inde a verbo p. 317 D *Epicurus* usque ad finem capitis pertinentem, et praeter mediam capitis 49 partem collocatam inter Aristotelis eclogam p. 318 B/D et totius libri cumulum p. 320 B/C, de quo p. 77 seqq. disputavi. quamquam huius quoque mediae partis capitis 49 duos locos supra expedivi. Senecae fragmentum p. 319 B seq. '*nam quid', ait Seneca, ... 'nupsit*' constitui p. 188 seqq.; praeceptionem p. 319 A seq. de abstinentia a venere gravidarum *certe qui dicunt ... maritos* originis christianae aut neoplatonicae esse, non stoicae p. 180 seqq. docui. ex iis auten lectionibus capitum 48 et 49, quas nondum tractavi, praeceptis potissimum et placitis, fragmenta Senecae ad summam sex faciam.

Harum lectionum prima p. 317 D *Epicurus* — 318 A *ducturus sit* doctrinam de bono coniugali offert Epicuri, qui coniugium inter res in confinio bonorum et malorum positas numerans raro ineunda esse coniugia sapienti dixerit, quamquam Metrodorus discipulus eius Leontion uxorem habuerit. doctrina philosophica de rebus in medio malorum et bonorum positis Hieronymo ex eruditione communi litteratorum hominum nota erat (v. infra); at de Leontio praeter Hieronymum soli narrant Plutarchus *ὅτι οὐδὲ ζῆν κτλ.* 16 p. 1098 B et Laertius Diogenes X 6 et 23 (cf. A. Koerte, *ann. philol. suppl.* t. XVII, 1890, p. 566):

inest igitur huic loco memoria rarior, ita ut totum locum traxisse Hieronymum aut ex Porphyrio aut ex Seneca dicendum sit.

Porphyrius Epicuri et aliorum horti scriptorum notitiam multifariam posteris praestitit. velut in libro II *adv. Iovin.* ipse Hieronymus Epicuri praecepta de victu parco c. 11 p. 340 C seq. ex Porphyrio *περὶ ἀπ. ἐμψ.* I 48 seq. p. 123, 6 seqq. transscripsit (v. append.). obiter indico Hermachi Epicurei excerptum in eodem Porphyrii opere I 7—12 p. 89, 17—95, 28 (v. Bernays, *Theophr.* eqs. p. 8. R. Philippson, *Arch. f. G. d. Ph.* XXIII, 1910, p. 315 seqq.). maxime deinde ostendit, quanto iure lis inter Senecam et Porphyrium ponatur de Hieronymi memoria Epicurea, *epitome epistularum Epicuri* ab Vsenero, *Epic.* p. LV seqq. retecta et circumscripta, quae tam a Seneca in litteris ad Lucilium quam a Porphyrio in libro *πρὸς Μαρκ.* exhausta est; unde eadem Epicurea in Seneca et in Porphyrio passim obvia sunt: v. Porph. *π. M.* 28 p. 292, 14 *πολλοὶ τοῦ πλούτου τυχόντες οὐ τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν κακῶν εὗρον, ἀλλὰ μεταβολὴν μειζόνων* et Sen. *epist.* 17, 11 *multis parasse divitias non finis miseriarum fuit, sed mutatio* (frg. 479 Vs.).

praeterea latinitatem ecclesiasticam loci facile quis in rationem Porphyrii ab Hieronymo expressi verterit. primum locutionem *Epicurus voluptatis adsertor* Senecae pessime tribuit Grossgerge, *de Sen.* eqs. p. 29 collato Sen. *epist.* 13, 14 *Catoni gladium adsertorem libertatis extorque.* nimirum recte Ihm, Thes. l. l. II 870, 81 hunc vocis *adsertor* usum in Seneca obvium, ubi vox in rebus quasi iuridicis adhibetur, cum primarius usus eius technicus iuris fuerit, a secundaria translatione, qua i. q. 'confirmator', 'defensor' valet, sedulo distinxit. latior ille vocis usus praesertim iis locis quibus iungitur cum genetivo obiectivo rei vel personae, non agnoscitur ante Tertullianum (Thes. 871, 42). noto autem, cum ne Ihmius quidem adnotaverit, locutionem *Epicurus voluptatis assertor* paene in formulam abiisse apud christianos saec. IV (Ambr. *epist.* 63, 13 t. 13, 1244 A Migne. Hier. *adv. Iovin.* II 11 p. 340 C). altera recentioris latinitatis proprietas occurrit *sanitas* pluraliter dicta in phrasi *corporum sanitates* (cf. e. g. Vulg. *Luc.* 13, 32). tertia dictio Seneca indigna est *in meditullio*[1]) *posita*; nam *meditullium* i. q. *medium*

1) scriptio codicum optimorum *mediotullio* genuina non videtur, certe *epist.* 79, 9, 2 p. 98, 7 Hilberg *meditullio* sine dissensu librorum traditur. de formatione vocis cf. Iacobsohn, *ΧΑΡΙΤΕΣ* (1911) p. 407. in glossis *mediotellum* est (v. Thes. gloss. s. v. *meditullius*).

significans, quamquam quondam *mus. Rhen.* LX (1905) p. 530 ipse Senecae concesseram male obsecutus Haaseo, qui in indice Annaeano Martinum Bracarensem, Senecae excerptorem, hanc vocem adhibentem composuit cum isto loco operis *adv. Iovin.*, revera frequentatur ab Hieronymo, cum expuncta in Senecae indice auctoritate nulla apud scriptores argenteos utatur. atque tota phrasis *in meditullio posita* recurrit in aliis scriptis Hieronymi, *in eccles.* 7 t. III p. 443 D *virtutes in meditullio positae*; *in Gal.* 5, 19 t. VII 1 p. 505 C *anima ... in quodam meditullio posita.*[1])

Hactenus de rationibus quae originem Porphyrianam Epicureorum commendent. Senecam nihilominus auctorem eorum nuncupo. nam proprietates illae sermonis ecclesiastici facillime paraphrasi explicantur: lenissimis mutationibus oratio vere Annaeana ex Hieronymo restituitur. *Epicurus voluptatis assertor* respondet Senecae *epist.* 18, 9 *magister voluptatis Epicurus.* periodum recenti elocutione, *sanitatibus* pluraliter positis et *meditullii* voce insignem, purgatam a dictionibus istis statim accipere faciem consuetudinis Annaeanae, intellegitur Hieronymo composito cum locis quibusdam Senecae:

Hier.:	*Sen. epist. 94, 8:*
divitiae et honores et corporum sanitates ... indifferentia ... nec bona nec mala sunt; sed velut in meditullio posita ...	divitias, honores, bonam valetudinem ... esse mediam partem nec bonis adnumerandam nec malis ... *ibid. 82, 12:* in medio posita (*indifferentia*). *ibid. 14:* istis quae ... indifferentia ... dicuntur, divitiis ... honoribus ... malae valetudini ...

Deinde sermo castitatis Porphyrianus placitis coniugalibus Epicuri multo minus eguit quam dialogus *de matr.* Senecae. nempe quod pugnaret Porphyrius adversus Epicurum non erat, qui item atque Epi-

1) non numeranda est inter recentes huius loci dictiones locutio *coniugium inire*, quae argenteae aetati, quin etiam vetustiori convenit, qui est usus utriusque vocabuli *inire* et *coniugium* per se spectatus (ipsam phrasin *coni. inire* non invenio in Thes. s. v. *coniugium*). contra dubito, quod in transcursu dico, an *matrimonium inire* de viro vetusta aetate dictum non sit; Hieronymus Theophrastea inducens c. 47 p. 313 C *sapientem inire aliquando matrimonium* praebet. nimirum de femina iam Plautus habet *Trin.* 732 *eam ... ire in matrimonium.* at propria vis et veriloquium vocis *matrimonii* puto obstitit transferendae dictioni *inire matrimonium* in virum uxorem ducentem. de phrasi *contrahere matrimonium* v. p. 316.

curus coniugium liberorum procreandorum causa aversatus est. nec vero quod laudaret Epicurum habuit; castitas ab horto nimirum remota est. contra Senecae in dialogo *de matr.* magna res cum Epicuro non fuisse non potest. vide modo quantas partes ille in dialogo VIII *ad Serenum de otio* tueatur, quo quaeritur, num ad rem publicam sapiens accedat, quae quaestio proxime abest ab illa, num vir sapiens ducat uxorem, proprioque dialogi *de matr.* *περὶ βίων* argumento.[1]) in perdito sermone de vita coniugali Seneca opposuisse putandus est stoicis Epicureos ratione eadem, qua sententias de secessu a vita publica stoicorum et Epicureorum inter se comparavit *de otio* 3, 2 *duae maxime et in hac re dissident sectae, Epicureorum et stoicorum ... Epicurus ait: 'non accedet ad rem publicam sapiens, nisi si quid intervenerit'; Zenon ait: 'accedet ad rem publicam, nisi si quid impedierit.'*

Praeterea nesciens recepit Hieronymus in textum vestigium originis Annaeanae Epicureorum enuntiatum *quae indifferentia nominamus,* in quo quomodo usum primae personae *nominamus* explicemus interrogo. neque enim romanos scriptores, quibus se ipsum adnumeret Hieronymus, philosophos et christianos communi usu terminum *ἀδιάφορα* Graecorum nomine *indifferentium* reddere ait, nec vero ex dogmate ecclesiae nuptiae, alia similia bona terrena *indifferentia* vocantur. atque etiamsi Hieronymus in opere *adv. Iovin.* nuptiis ab Augustino in libro *de bono coniugali* rectius ponderatis plus quam decuit ecclesiae hominem, detraxit, tamen nequaquam tantopere presbyter in castra philosophorum aberravit, ut stoicum terminum *indifferentium* diserte pro christiano et suo venderet, cf. *epist.* 112, 16, 2 p. 386, 7 Hilb.: *neque enim indifferentia sunt inter bonum et malum, sicut philosophi disputant.* quodsi *nominamus* ex persona auctoris ab Hieronymo compilati intellegendum est, ilico Senecae nobis in mentem venit, cuius cf. cum Hieronymianis *quae indifferentia nominamus de vita b.* (d. VII) 22, 4 *quae indifferentia vocamus*; *epist.* 82, 10 *inter indifferentia ponimus*; ibid. 14 *quae a nobis indifferentia ... dicuntur.*

Mantissae instar, quae Hieronymus de Epicuri placitis refert, ea accommodata esse ad Senecae notitiam intimam philosophiae Epicu-

1) de loco Senecae *de matr.* parte loci *περὶ βίων* v. infra sub 6, de quaestione, 'num accedat ad rem publicam sapiens', parte eiusdem loci cf. Chrysippi *περὶ Βίων* frg. 3 (*stoic. v. f.* III p. 194 Arn.) *πολιτεύσεσθαι φασὶ τὸν σοφὸν ἂν μή τι κωλύῃ, ὥς φησι Χρύσιππος ἐν πρώτῳ περὶ Βίων.*

reae moneo. velut Clementis Alexandrini *στρωμ.* II 23 (138, 4) p. 189, 17 St. doxographiam superat Hieronymus accuratius reddita doctrina Epicuri coniugali nobis etiam ex Diogene cognoscenda X 119 *καὶ μὴ* [*καὶ μὴν καὶ* codd.] *γαμήσειν ... τὸν σοφόν, ... κατὰ περίστασιν δέ ποτε βίου γαμήσειν* (v. Vsener, *Epic.* p. XXVIII et 97 seq.; Kochalsky, *Das Leben und die Lehre Epikurs,* 1914, p. 46; Zeller, *Die Ph.* III 1⁴ p. 474 adn. 6). praeterea quod Hieronymus divitias, honores, sanitates ab Epicuro eodem loco habita esse adnotat, quo indifferentia stoici habuerint, cf. Zeller l. l. p. 457 seq.; 467 seq.; 473. deinde similitudinem nota Hier. *usu et eventu vel bona vel mala fiunt* cum Sen. *epist.* 95, 35 *omnia praeter virtutem mutare nomen, modo mala fieri modo bona.* dubiam spem nuptiarum expressam ab Hieronymo sententia *grave autem esse* eqs. tangit Seneca *de benef.* IV 33, 2 et *epist.* 59, 2.[1]) quod Metrodorum attinet, magna in Senecae *epistulis* occurrit memoria eius (v. Koerte l. l. p. 593), Porphyrio fragmentum Metrodori nullum debetur.

Restat ut dicam, quis auctor Senecae Epicurea suggesserit. *Διαπορίας* Epicuri, quibus doctrina eius coniugalis potissimum infuit (v. Vsener l. l.), ipsas a Seneca lectas esse parum veri simile est. omnino de unius tantum libri Epicurei lectione Senecae constat, de gnomologio illo ex epistularum epitomis Epicuri, Metrodori, Polyaeni, Hermarchi constituto, ad quod flosculi Epicurei Senecae *epistularum* redeunt. praeter *epist.* quinque Senecae opera diligentiore notitia philosophiae Epicureae imbuta sunt *de const. sap.* (d. II), *de vita b.* (d. VII), *de otio* (d. VIII), *de benef., nat. quaest.*; ubi plerumque probabile est, Epicurea ex Posidonio et successoribus eius eum petivisse, quorum studium assiduum philosophiae Epicureae notum est (v. Vsener. p. LVII). itaque in dialogo *de matr.* eiusdem generis litterae, quibus intercedentibus Aeschinis Socratici *Ἀσπασίας* dialogi memoria ad Senecam pervenit (v. p. 321), erudiverunt eum, ni fallor egregie, de Epicuri praeceptione coniugali et de Metrodori cum Leontio coniugio.

Epicurea in Hieronymo sequitur Chrysippi stoici sugillatio coniugium argumento insubido defendentis deducto ex agnominibus Iovis

1) proxime abest ab hac Hieronymi sententia vulgari ipse Hieronymus priore quodam loco libri I *adv. Iovin.* c. 28 p. 282 B. illic Tertullianum imitatur (cf. c. VI p. 267), hic Senecam; superiore loco solo recens usus particulae bis positae *utrum* pro *utrum ... an* invenitur.

apud Graecos *Gamelii* et *Genethlii*. quae cum sic instituatur, ut ex eo, quod Iovi *Gamelio* et *Genethlio* non respondet apud Latinos Iuppiter *Nuptialis*, cassam esse argumentationem Chrysippi demonstretur, nec non *Statoris* Iovis, dei proprii Romanorum, exemplo absurdum esse probetur in praeceptis vitae agendae nomina deorum curare, apparet romanum tantum auctorem in censum venire. atque impressa sunt indicia clara mentis Senecae huic sugillationi Chrysippi hominis graeculi. nam quod Hieronymus scurriliter affirmat, accepta Chrysippi ratione verendum esse, ne *Stator* Iuppiter ab eo *qui libenter sederit* offendatur, ipse *Stator* populariter cultus Senecae bilem movit in servato opere *de benef.* IV 7, 1 *Statorem qui non, ut historici tradiderunt, ex eo, quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant beneficio eius omnia, stator stabilitorque est.* qui hoc loco civilis theologiae deum novo sensu philosophico implevit religione patria breviter abiecta, Senecam Statorem in dialogo *de matr.* sic delusisse libenter credas, ut ei inimicitiam sedendi imputaverit.

deinde forte fortuna accidit, ut talis irrisio, qualem Hieronymus offert, Chrysippi superstitione populari praecepta moralia fulcientis exercita sit a Seneca *de benef.* I 4, 1 *Chrysippum ... magnum mehercules virum, sed tamen graecum, cuius acumen nimis tenue retunditur et in se saepe replicatur.* ibid. 4 *ad hanc honestissimam contentionem beneficiis beneficia vincendi sic nos adhortatur Chrysippus, ut dicat verendum esse, ne, quia Charites Iovis filiae sunt, parum se grate gerere sacrilegium sit et tam bellis puellis fiat iniuria.* ibid. 5 *istae ... ineptiae poetis relinquantur.* ibid. 6 *qui ingenia sanare ... volunt, serio loquantur ...; nisi forte existimas levi ac fabuloso sermone et anilibus argumentis* eqs.

Mens igitur Senecae aperte obvia est tam in Statoris cultu ludibrio habito quam in Chrysippo propter philosophiae ethicae adminicula theologica irriso. idem de origine loci eruditio et elocutio eius indicant. epitheton Iovis *Gamelii* praeter Hieronymum nulla auctoritate in nostra rerum divinarum antiquitatis notitia usum Senecae scientiae litterarum graecarum libenter acceptum refertur. *Ἥρα γαμήλιος* sane testimoniis compluribus cognita est (cf. Gruppe, *Gr. Myth.*, 1906, p. 1134 adn. 3), adscripsit Hieronymi loco inter fragmenta Chrysippi recepto Arnim, *stoic. vet. frg.* III n. 727 p. 183 Dionem Chrysostomum a Chrysippo pendentem or. 7, 134 p. 215, 13 Arn. *οὔτε Δία γενέθλιον οὔτε Ἥραν γαμήλιον.* nec tamen ex errore Hieronymi me-

moria eius de Iove *Gamelio* repeti potest pro Iove Iunone 'Gamelia' substituta, ut non corruat refutatio Annaeana Chrysippi, quae Iove *Nuptiali* absente a religione romana innititur. nempe respondet Romanorum Iuno *Pronuba* Ἥρᾳ γαμηλίῳ (cf. Gruppe l. l. p. 1133 adn. 13. Wissowa, *Religion u. K.*² p. 186).

graeca vocabula *Gamelii* et *Genethlii*, non recepta inter peregrina Romanorum, litteratura latina scripta sunt ex consuetudine Seneca digniore quam Hieronymo (v. p. 114 seqq.); in elocutione ab illo nihil abhorret praeter dativum a verbo *praeiudicandi* in morem ecclesiasticum suspensum (cf. *adv. Iovin.* II 17 p. 354 A. Tert. *de fuga in pers.* 4).

Chrysippum ipsum ante oculos iacuisse Senecae dialogum *de matr.* conscribenti ratum habeo. nam loco illo *de benef.* I 3 seq., qui proxime abest a Chrysippeis Hieronymi, a Seneca inspectus est, id quod intellegitur ex Senecae voce 3, 9 *praeter ista, quae Hecaton transcribit, tres Chryssippus Gratias ait* eqs.; neque Hecatonem neque alium mediae stoae auctorem illic intercedere inter Chrysippum et Senecam, recte concluserunt Hirzel, *Unters. zu Cic. ph. Schr.* II (1882) p. 609 et Fowler, *Pan. et Hec. fragm.* (diss. Bonn. 1885) p. 24 ex romanis coloribus sermonis, quo Chrysippus carpitur.[1])

Quodsi ad scribendum *de matr.* evolvit Chrysippum Seneca, interrogabimus, quem librum evolverit. Iuppiter γαμήλιος et γενέθλιος potest in libro περὶ τοῦ Διός (*st. v. frg.* III p. 196) venisse in sermonem, quamvis inter physica, non inter ethica opera iste liber fuerit. facillime Chrysippus excurrebat in omni scriptura ultra fines argumentorum singulis libris propositorum, ethica physicis, physica ethicis inmiscens (cf. Gercke, *Chrysippea*, *Jahrb. f. Phil.*, *Suppl.* XIV, 1885, p. 691). sic Seneca in opere *de benef.* Chrysippi libro περὶ χαρίτων usus est, cuius fragmenta Arnim coactus fuit dispertiri inter caput de natura deorum partis physicae fragmentorum Chrysippeorum (*st. v. frg.* II n. 1082 p. 316 seqq.) et caput ethicum praeceptorum vitae agendae (III n. 725 et 726 p. 182).[2])

1) frustra obloquitur M. Sonntag, *Sen. l. de ben. explanantur* (diss. Lips 1913) p. 12. neque enim probabile est 'brevem artis mythographicae librum qualem Cornuti habemus', ut Chrysippi de beneficiis doctrinam nosceret, Senecam arcessivisse. immo *de beneficiis* scripturus ,stoicorum illustrissima *de beneficiis* opera sibi comparavit. ad libros quoque *de ira* conscribendos evolvisse Chrysippum Senecam, sententia nonnullorum est (v. p. 13 adn. 1).

2) tamen, ut equidem censeo, decerni potest, περὶ χαρίτων librum Chry-

nihilominus rectius erit, inter moralia opera Chrysippi librum a Seneca adhibitum quaerere. duobus autem locis moralis philosophiae mos erat stoicis loqui de matrimonio, tam in loco *περὶ καθηκόντων* quam in loco *περὶ βίων* (v. p. 369); unde ne moralium quidem operum Chrysippi unum tantum appellandum est. in capite quod Arnim 'de matrimonio et familia' l.l. t.III p. 183 composuit, nominatim opus *περὶ πολιτείας* citatur, cui tamen ut Hieronymi fragmentum tribuamus, parum allicimur cynica communione mulierum in hoc opere a Chrysippo defensa. magis huc pertinent libri *περὶ τοῦ καθήκοντος ζ'* (t. III p. 197 Arn.) et *περὶ βίων δ'* (ibid. p. 194); quibus accedit quod gravissimum momentum habet, *περὶ γάμου* scripturae Chrysippeae testimonium Plutarchi, etiamsi vix specialis monobiblii *περὶ γάμου* certum documentum evadit; v. *περὶ στωικ. ἐναντ.* 9 p. 1035B: *ἀλλὰ τοῦτόν γε τὸν λόγον, ὃν ἔσχατόν φησι δεῖν τάττεσθαι* ⟨*τὸν*⟩ *περὶ θεῶν, ἔθει προτάττει καὶ προεκτίθησι παντὸς ἠθικοῦ ζητήματος· οὔτε γὰρ περὶ Τελῶν, οὔτε περὶ Δικαιοσύνης, οὔτε περὶ Ἀγαθῶν καὶ Κακῶν, οὔτε περὶ Γάμου καὶ Παιδοτροφίας, οὔτε περὶ Νόμου καὶ Πολιτείας φαίνεται τὸ παράπαν φθεγγόμενος, εἰ μὴ κτλ.* de auctoritate horum titulorum, quibus Plutarchus argumenta potius scripturae Chrysippeae significavit quam grammatica subtilitate inscriptiones librorum reddidit, recte iudicavit Dyroff, *Die Ethik der a. St.* p. 239.

verum quodcumque opus Chrysippi posterioribus stoicis doctrinam

---

sippi, qui titulus ex Philodemo notus est (II 1081 p. 316 Arn.), *de beneficiis* ethice egisse, non *de Gratiis* physice, ut Arnim vult. nempe apud stoicos locus *de beneficiis* vocatur certo termino *περὶ χαρίτων* (cf. Eudorum apud Stob. II 7, 2 t. II p. 45 Wachsm.; Hirzel, *Unters. zu Cic. ph. Schr.* II p. 608 adn. 1; Dyroff, *Die Ethik der a. St.* p. 236; de voce *χάρις* i. q. *beneficium* valente v. Thes. s. v. p. 1339). Seneca, cum apud Latinos vox *gratiae* nullo synonymo usu cum voce *beneficii* cohaereat, graecum *χάριτες* utique vocabulo *beneficiorum* reddere coactus erat. certum intellegitur, *ἠθικοῦ τόπου* fuisse ex sententia Chrysippi librum *περὶ χαρίτων*, ex Senecae loco, qui primo obtutu sane contrarium indicare videtur *de benef.* I 3, 8 *Chrysippus ... totum librum suum his ineptiis* (i. e. Gratiis, natura earum, nominibus, sim.) *replet, ita ut de ipso officio dandi, accipiendi, reddendi beneficii pauca admodum dicat; nec his fabulas, sed haec fabulis inserit.* reapse sic non potuit carpere rhetorice Seneca Chrysippum, nisi ille de beneficiis scribere moraliter affectavisset. cave igitur ne te rapiat in fraudem Philodemus theologiam Chrysippi enarrans librisque usus Chrysippeis *περὶ θεῶν, περὶ χαρίτων, περὶ φύσεως, περὶ προνοίας*, ubi physicum scriptum de Gratiis adiisse Philodemum per se sane placet magnopere (cf. Diels, *doxogr.* p. 547; Susemihl, *Gesch. d. gr. L.* eqs. I p. 80 adn. 336; Fowler, l. l. p. 24). propriorum *περὶ χάριτος* operum auctores collegit M. Sonntag, l. l. p. 7 adn. 1.

eius de matrimonio obtulit, multum valuit haec doctrina in secta, ut res ipsa ostendit, propter quam Seneca infestat Chrysippum: dico superstitionem popularem ab illo ad matrimonium defendendum adhibitam. plurimae litterae a diatriba stoica pendentes hoc argumento utuntur (cf. Praechter, *Hierokl.* p. 143); praesertim Musonius romanae austeritatis doctor stoicus aetate Neroniana id argumentum magno cum studio amplexatus est (v. Hense, *Mus. rel.* p. 75, 6 et 78, 6). eo notabilius est, quod propter eandem rem unus carpit Chrysippum Seneca ex animo eodem, quo invectus est in superstitionem vulgi peculiari libro *de superstitione*, ubi coniugia deorum irrisit frg. 39 H. (Aug. *de civ.* VI 10 p. 297, 5 V.): *quid quod et matrimonia (inquit) deorum iungimus, et ne pie quidem fratrum ac sororum. Bellonam Marti conlocamus, Vulcano Venerem, Neptuno Salaciam. quosdam tamen caelibes relinquimus, quasi condicio defecerit, praesertim cum quaedam viduae sint* eqs.[1])

Tertium huius seriei fragmentum Senecae legitur c. 49 inde a verbis p. 318 D *refert praeterea Seneca cognovisse se* usque ad p. 318 E *insaniat.* cuius fragmenti cum opus non sit probare originem Annaeanam, tamen ubi sermo Annaeanus desinat, ambigitur. nam cum occurrat post finem a me positum fragmenti γνώμη Sexti *unde et Sextus in sententiis: 'adulter est,' inquit, 'in suam uxorem amator ardentior,'* Haase (qui placuit Luebeckio, *Hier.* p. 96 et Grossgergeo, l. l. p. 32) mutavit *Sextus* in *Sextius,* nomen philosophi aetatis Augusteae, in Seneca saepius obvium. qua mutatione traditi nominis opinor inscitiam Haase praestitit studiorum christianorum saeculi IV. *Σέξτου γνῶμαι,* quas Rufinus aetate Hieronymi in sermonem latinum transtulit, laudantur ab Origene primo *κ. Κέλσ.* VIII 30 p. 245, 12 K. *ἐν ταῖς Σέξτου γνώμαις*; cum Q. Sextio et Sextiorum schola saeculi VIII urbis iam a nullo perito copulantur (cf. Zeller, *Die Ph.* eqs. III 1⁴ p. 701 adn. 4. Schanz, *R. L.* II 1³ p. 501). ne nomina quidem confunduntur *Sextius* et *Sextus* in libris mss.; gnomologii auctor nusquam *Sextius* scribitur (v. Gilde-

1) ex Chrysippo a Seneca impugnato Grossgerge, *de Sen.* eqs. p. 30 et 39 (v. etiam p. 43) efficiebat, coniugium dissuasisse sapienti Senecam. pari iure poterat efficere ex Chrysippo in opere *de benef.* a Seneca impugnato, beneficium damnavisse Senecam una cum quaestiunculis Chrysippeis de Gratiis. quid Seneca quaerenti, num sapiens ducat uxorem, responderit, nescit qui notionem stoicam officii medii ignorat. cf. c. V p. 192 adn. 1.

meister, *Sexti sent.*, 1873, p. LII), Senecae codices semper *Sextius* testantur.[1]) ac Seneca sane dicta quaedam Sextii refert (v. Haase, *ind.* s. v.), etiam librum Sextii *epist.* 64, 2 memorat, sic tamen ut non cogites florilegium. contra titulus Hieronymi *Sextus in sententiis* idem est atque titulus florilegii graece ab Eltero primo editi, citati ab Origene. recessit a *sententiarum* vocabulo in titulo operis demum interpres Rufinus (cf. prologum eius, Gildemeister l. l. p. LIII).

atque adeo sententiae Hieronymi *adulter est* eqs. respondet huius florilegii graeca 231 Elt. *μοιχὸς τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς πᾶς ὁ ἀκόλαστος*, Rufini latina 231 Gild. *adulter etiam propriae uxoris omnis inpudicus.* quod vero discrepant inter se interpretes latini, id noli explicare diversitate textus graeci ab Hieronymo adhibiti paucis annis ante Rufinum scribente. immo ideo Hieronymus liberius reddidit *ἀκόλαστος* per *amator ardentior*, ut gnomen accommodaret ad eum qui de nimio amore est sermonem Annaeanum cui Sextum inseruit; paullo ante ex Seneca transcripsit phrasin *vis ardentis affectus*, quam ad argenteam philosophi latinitatem ascendere patris Senecae illustratur locutione *contr.* I praef. 16 *impetus ardentis animi.*[2])

Sexti gnomae cum Sextii Senecae memoria nihil esse certum est; minus certum, utrum Hieronymus ipse Sexti meminerit, an ex Porphyrio gnomen traxerit, qui Sexti gnomologium purum etiamtunc a fuco christiano in opere tessellato *πρὸς Μαρκ.* fortiter exscripsit (cf. Gildemeister l. l. p. XXXVIII. Wendland, *Berl. ph. W.* XIII, 1893, p. 231); illic tamen usum Sexti occuluit. Hieronymus nullam aliam Sexti sententiam praeter 231 adhibuit, hanc repetivit postea *in Ezech.* 18, 5/6 t. V p. 206 E Vall.; ceterum de tota natura gnomologii Sexti valde eruditum se praestat in invectivis adversus Rufinum *epist.* 133, 3 p. 1030 C Vall. et *in Ier.* 22, 24/7 p. 267, 7 Reiter.

Vt Haase Sexti gnome Senecae addita fragmentum nimis extendit, sic nimis decurtavit Bock, qui l. l. p. 9 et 15 id fraudavit exitu suo

1) nuper recte ponderati codicis Quiriniani *epistularum* scripturam *epist.* 73, 12 *sextus* pro *sextius* reliquorum codicum adnoto tantum curiositatis gratia (Hense, *Berl. ph. Woch.* XXXIV, 1914, p. 636).

2) formula *unde et*, qua adnectitur Sexti sententia ad Senecae fragmentum ab Hieronymo, ei usitatissima est, cf. *adv. Iovin.* I 36 p. 294 B. II 10 p. 340 A. II 11 p. 340 B. *epist.* 54, 9, 5. christianum additamentum Porphyrianis hac formula adnectitur II 11 p. 341 A *unde et apostolus* eqs., Sallustianum II 10 p. 339 B *unde et historicus.*

origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. nihil autem interest, quam ex honesta causa quis insaniat.[1]) nam cum offeratur hoc fragmento exemplum insertum inter praecepta capitis 49, ea fragmenti pars, quam Bockius ab eo divellebat, epimythium exempli est, qualibus epimythiis, modo vituperationibus, modo approbationibus rerum exemplis propositarum Seneca delectabatur (cf. p. 221 seq. et 291). tam abrupte autem vel in servata scriptura Senecae loco quodam operis *de benef.* II 17 existimatio moralis exemplum sequitur, quin diversae exempli existimationes ei subiunguntur, ut Lipsius ad eum locum *de benef.* alieni auctoris dissertatiunculam a Seneca in textum receptam esse crediderit: 'videtur aliqua dissertatiuncula fuisse (quae periit) super hoc facto. subiicit nunc, Si me quoque interrogas, sum inter probantes.' hinc disce, quantopere artem Annaeanam nesciat, qui alternationem personae medio sermone a Seneca institutam apud Hieronymum in indicium desinentis fragmenti vertat.[2]) etiam elocutio epimythii Senecae convenit: *deformis* ad vim vocabulorum 'turpis', 'vituperandus' accedens, de affectu item ut hoc loco adhibetur *de ira* I 1, 5. propter *honesti* terminum rei malae obtrusum in sententia *ex honesta causa* ... *insaniat* cf. *de vita patris* frg.: *pietas cuius honestus etiam error est.* (*de vita b.*, d. VII, 12, 5. *epist.* 104, 3).

Reliqua quoque fragmenti pars paraphrasi ecclesiastica caret, quamquam in aliis fragmentis sub ipso nomine Senecae allatis nihilominus paraphrasin deteximus (cf. p. 188 et p. 222). quod in sententia *fascea uxoris pectus colligabat* libri optimi *ES§C alligabat* pro *colligabat* Vallarsii codicumque *AMB* exhibent, id auget Annaeanum loquendi colorem. nam *colligare* in Seneca tantum *epist.* 94, 64 editur ex coniectura incerta. contra Hieronymus *colligare* significationibus variis exornatum saepe praebet (cf. Thes. III 1622, 57. 1623, 44. 62. 1624, 20. 44); praesertim cum hoc loco cf. *epist.* 46, 13, 2 p. 343, 16 Hilb. *fasceis conligatum* (38, 2, 2 p. 290, 9). rursus *alligare* trita vox Senecae, quae usu eodem in servatis scriptis quo in hoc fragmento occurrit *epist.* 80, 9, al. (v. Thes. I 1682, 20 seqq.). deinde *cognovisse* verbum, quod in sententia *refert* ... *Seneca cognovisse se quendam ornatum hominem* de aequali

1) aliter, quamvis similiter Hier. *vita Hilar.* 21 t. II p. 23 D *magnitudo quippe amoris se in furorem verterat.*

2) quam causam verborum *origo quidem* eqs. a Seneca absentium ex Hugone de Folieto Bock trahebat, eam subverti p. 31 seqq

Senecae ei noto dicitur, eodem sensu *nat. quaest.* IV a praef. 6 legitur (v. etiam *de rem. fort.* 16, 4). — *puncto . . . horae* recurrit in Hieronymo *epist.* 69, 9, 6 p. 699, 1 Hilb., sed Seneca quoque *punctum* de momento temporis amat (*epist.* 49, 3. 70, 16. 77, 12).

Ad argumentum fragmenti agentis de marito illepide amasio proxime accedit in servatis libris Senecae Maecenas ab eo irrisus, qui Terentiae uxoris amore deperiens omnem dignitatem viri abiecerit; cf. *de prov.* (d. I) 3, 10 *Maecenatem . . . cui amoribus anxio, et morosae uxoris cottidiana repudia deflenti* eqs.; *epist.* 114, 6 *hunc esse qui uxorem milliens duxit, cum unam habuerit.* atque Maecenas opinor etiam in deperdito dialogo *de matr.* sedem habuit, nempe licuit hoc exemplo illustrare Senecae optime item atque homine illo *ornato* aequali ipsius perversitatem amoris nimii.

Quartum seriei fragmentum patet inde a finita sententia Sexti usque ad locum platonicum de gravidarum concubitu, inde a p. 319 A *in aliena* usque ad ibid. *adulteram.* quintum fragmentum, quod textum interpolatione illa platonica interruptum continuat, pertinet usque ad initium fragmenti iam p. 188 seqq. absoluti p. 319 B '*nam quid*', *ait Seneca,* eqs.

ista autem fragmenta duo non sub nomine Senecae afferuntur. tamen quae est vis verborum in fronte capitis *scripserunt Arist. et Plut. et noster Seneca . . . et ista, quae subiecimus,* media pars tota capitis eius, ubi ter Seneca citatur, huic ultro accedit praeter locos, quibus peculiares rationes obstant. at statim ex Sexti gnome rursus incipere Senecam, docemur ipsa examinatione singularum sententiarum sequentium *in aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu.* nempe his sententiis propria stoicorum doctrina de affectibus inest, quam adversus peripateticos pugnans Seneca in libro I *de ira* et *epist.* 116, ubi quaerit *utrum satius sit modicos habere adfectus an nullos,* defendit. affectum nimium impugnabant peripatetici, affectum utique omnem stoici; auctor Hieronymi simpliciter *affectum* ab amore abesse vult.[1]) locutionem *amoris nimii* nefas est hoc loco declarare peripateticis no-

---

1) ἔρωτα non haberi inter πάθη a stoicis monstrat Hirzel, *Unters. zu Cic. phil. Schr.* II 1 p. 392 adn. 3.

tionibus *τοῦ λίαν φιλεῖν* et *ὑπερβολῆς ἐν πάθεσιν* (v. Zeller, II 2[3] p. 633), quas obtulisse probabile est librum Aristoteleum *περὶ συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός* expressum in ecloga Aristotelea capitis Hieronymiani ineuntis; immo locutio *amoris nimii* in stoica disputatione inde rationem accipit, quia *ὁρμὴ πλεονάζουσα* stoicorum *πάθος* est (cf. Zeller, III 1[4] p. 230 et 238).

atque *μετριοπάθεια* peripateticorum tacite abiecta ab auctore Hieronymi, infestatur non minus in mediae stoae litteris quam in veteris (v. Rabbow, *Antike Schr.* eqs. I p. 91). unde ex Chrysippi sermone *περὶ γάμου* locum Hieronymi repetere necessarium non est; neque probo id equidem, praesertim cum ea praeceptio de rebus veneriis, quae doctrinam de affectu ab amore absente in Hieronymo sequitur *regit* (*sapiens*) *impetus voluptatis nec praeceps fertur in coitum*, recentiorum stoicorum ut Musonii praeceptionem spiret magis quam Chrysippi rationem cynicam (v. p. 193 seq.; Zeller, III 1[4] p. 289).

item ut doctrina stoica etiam similitudinibus sermonis hoc loco auctoritas Senecae proditur. cum enuntiato *in aliena quippe*[1]) *uxore* eqs. cf. *epist.* 74, 2 *illum videbis alienae uxoris amore cruciari, illum suae*; cum locutione *iudicio debet amare* eqs. cf. *de benef.* I 15, 6 *non est beneficium, cui deest pars optima, datum esse iudicio.* dictum *nihil est foedius quam uxorem amare quasi adulteram* pluribus similitudinibus in antiquis litteris usum proxime abest a Senecae *de const. sap.* (d. II) 7, 3 (v. p. 66 seq.).

In adultera versatur novissima sententia fragmenti ante interpolationem de concubitu gravidarum positi; adulterium pergit tractare, quod illam excipit, fragmentum seriei quintum pertinens inde a verbis p. 319 B *quorundam matrimonia adulteriis cohaeserunt* usque ad ibid. *eviluit.*

atque hanc insectationem adulterii ad verbum ex Seneca Hieronymus transcripsit. stoa infestatione *τοῦ μοιχεύειν* insignis est[2]), colores Hieronymi recurrunt in servatis scriptis Senecae. cf. cum sen-

1) *quippe* saepe Hieronymus (e. g. *adv. Iovin.* I 13 p. 260 E; II 9 p. 337 E; *vita Hilar.* 21 t. II p. 23 D; *in Eph.* 5, 33 t. VII 1 p. 662 C), verum bis etiam Seneca secundo loco ponit (*epist.* 115, 8; *nat. quaest.* III 27, 5); v. p. 68.

2) cf. Arnim, *st. v. frg.* t. I 244 p. 58 (= t. III 729 p. 183) et 583 p. 132; Sen. *epist.* 97, 4; *de benef.* III 28, 4. cynici adulterium impugnantes processerunt eo, ut commendarent lupanar (v. Gerhard, *Phoinix von Kolophon*, 1909, p. 170; Deubner, *Herm.* XLV, 1910, p. 314).

tentia Hier. *quorundam matrimonia adulteriis cohaeserunt* Sen. *de benef.* I 9, 4 *decentissimum sponsaliorum genus est adulterium . . .: nemo uxorem duxit, nisi qui abduxit*; cum Hier. *idem illis pudicitiam praeceperunt qui abstulerant* Sen. *epist.* 94, 26 *ab uxore pudicitiam exigit ipse alienarum corruptor uxorum* et *de ira* II 28, 7 *is qui nullius non uxorem concupiscit et satis iustas causas putat amandi, quod aliena est, idem uxorem suam aspici non vult.*

gravissimi autem momenti similitudo Annaeana in Hieronymo tunc patebit, si vera lectio Hieronymi iam a Vallarsio in adnotatione critica publicata, quamvis non intellecta nec ab ipso nec ab alio quoquam, restituta erit ex codicibus. codices enim membrum novissimum fragmenti sic tradunt *cum primum lenocinium libidinis abscessit timor quod licebat eviluit.* ubi pro *timor* Vallarsius dubitanter *tunc omne* proposuit, vulgatam lectionem Haaseo aliisque probatam . . . *abscessit, quod libebat, eviluit* quomodo intellegas, ipse videas. certe *timor* suo loco reposito et *licebat* pro *libebat* accepto elegantissimum acumen vereque Annaeanum suboritur. *timor* in adulteriis *lenocinium libidinis* eodem acumine vocatur, quo *metus* antecedens ei beneficio, quo quis liberetur a periculo vitae et capitis, eius beneficii *lenocinium* dicitur *de benef.* I 11, 3 *lenocinium est muneris antecedens metus.* vocabulum *lenocinii* adamat Seneca (*de brev. v.* 10, 3 *voluptatis lenocinio*; *ad Helv.* 16, 4; *epist.* 26, 5; 80, 9), de *timore* in furtivo amore multus est e. g. *de benef.* IV 14, 1.

Vt novissimum fragmentum capitis 49 pudicitiae muliebris laudatio legitur significato auctore Seneca dictione p. 319 C *doctissimi viri vox est*; patet usque ad p. 320 B *infixit* repletum eruditione ab omni parte Senecae conveniente. exempla mulierum, quae in ultima fragmenti parte exstant, nulla nisi romana sunt, Lucretia, Cornelia, Porcia, Tanaquil, sic proposita, ut de fine fragmenti dubitatio nulla sit. cum sententia de Lucretia *Brutus non posse servire a femina didicit* cf. Sen. *ad Marc.* (d. VI) 16, 2 *Bruto libertatem debemus, Lucretiae Brutum.* de Corneliae memoria Annaeana cf. p. 292 adn. 1. Tanaquilem, quae *notior marito suo* esse et eminuisse *rara inter feminas virtute* dicitur, Seneca videlicet posuit sensu abhorrente a scholastico usu posteriorum saeculorum. Iuvenalis 6, 566 per hypallagen appellative dixit *Tanaquilem* pro imperiosa potius uxore et prodigiorum curiosa quam

pro pudica, Iuvenalem imitatus est Ausonius *epist.* 23, 31 p. 187 Sch.; Paulinus Nolanus tantopere differt ab Hieronymo, ut Tanaquilem non aequet Lucretiae, sed opponat *carm.* X 192 *nec Tanaquil mihi, sed Lucretia coniunx.* duobus tamen locis posteriorum litterarum propter pudicitiam Tanaquil laudatur: Sidon. *carm.* 24, 39 p. 262 Luetj. et Auson. 15,32,5 p. 55 Sch.; hoc loco componitur cum Theanone (v. p. 199). deinde quod de marito Tanaquilis Hieronymus contendit *illum inter multa regum nomina iam abscondit antiquitas*, vide quomodo de Tarquinio Prisco, marito *Gaiae Caeciliae*, qua appellatione latina tusca mulier Tanaquil Romae vocata erat (cf. Wissowa, *Rel. u. K.*[2] p. 129. Thes. Onom. II 12, 58 s. v. *Caecilius*), nimis vage locutus sit Plutarchus *'Ρωμαϊκ.* 30 p. 271 E *Γαΐαν Κεκιλίαν ... τῶν Ταρκυνίου παίδων ἑνὶ συνοικήσασαν.*

mulierum exemplis antecedens quae priorem partem fragmenti explet descriptio pudicitiae ipsa quoque vacat ab omni suspicione interpolationis ecclesiasticae; nisi forte sententia (*pudica meretur*) *bene inprimis de se, quam a contumelia externi corporis vindicat* Tertullianum redolet *de monog.* 9 (*monogamiae legem laedens*) *delinquit ... in semetipsam* et ibid. *qui ... adulteratur, in corpus suum delinquit.* sed etiam propius Seneca ab Hieronymo abest *epist.* 49, 12 *disputa ... de pudicitia ... et hac, cui sui* (*corporis*) *cura* et *de benef.* IV 14, 1 *pudicitiam ... praestitit ... sibi.*

Item ut in argumento etiam in elocutione fragmenti nil abiudico a Seneca. *redimendi* verbum in phrasi (*pudicitia*) *deformem redimit* eodem usu occurrit *ad Pol.* (d. XI) 18, 3 et *de ira* II 34, 2 (cf. Sen. *contr.* 4 praef. 11). cum praepositione *de* iunctum verbum *erubescendi* frequens est apud posteriores, tamen argenteae etiam latinitatis scriptor praestat pater Seneca *contr.* II 3, 8 *de aliis erubescam.* in sententia ex codd. restituenda *captivitatis nulla maior calamitas est quam aliena libidine trahi* vox *captivitatis* de belli, latrocinii, sim. captivitate sane intellegenda est, non moraliter de animae captivitate, qui usus *captivitatis* translatus aetate demum christiana ortus est (v. Thes. III 368, 57). de *consecrandi* verbo i. q. 'immortalem reddere', 'beare' saepe in Seneca valente cf. *dial.* I 2, 12; X 15, 4; XI 18, 2; *nat. quaest.* IV a praef. 10; *epist.* 66, 2; cum locutione *Lucretiam Bruto aequavit* cf. *de benef.* II 15, 1 *amicum sibi aequare* (ibid. I 13, 2 et V 16, 2); cum *abscondit antiquitas* cf. *Herc. f.* 292 *abscondit aetas*; cum *altius ... memoriae quam*

ut excidere possit, infixit cf. *apoc.* 5, 1 *ne excidant quae memoriae gaudium . . . impresserit.*

Relinquitur ut de litteris graecis conspirantibus cum Seneca *pudicitiae* i. e. σωφροσύνης (v. p. 204 seq.) laudatione dicam. probabilissimum autem per se est, consimiles ei, quam Seneca praebet, descriptiones σωφροσύνης muliebris in litteris stoicis aetatis hellenisticae fuisse. maximam operam in describendis et delineandis virtutibus collocarunt stoici (v. Zeller, *Die Ph.* III 1^4 p. 243 seqq.). quantum momentum Posidonius *descriptioni* i. e. *ethologiae* sive *characterismo* uniuscuiusque virtutis tribuerit, Seneca *epist.* 95, 65 testis est. illud tantum dubium remanet, utrum fonti debeat, an ipsius sit, id quod utilitatis et beatitudinis rationibus potius commendavit, quam *characterismi* consuetudine propria stoicorum, de qua dixi *mus. Rhen.* t. LX p. 547, pudicitiam muliebrem descripsit Seneca. nam, nisi quid me fugit, encomia singularum virtutum a fragmentis vetustiorum stoicorum absunt. contra Seneca utilitate virtutem defendens multum peccavit adversus stoicam officii regulam (v. S. Rubin, *Die Ethik Senecas* eqs., 1901, p. 37). deinde laudativa tractatione virtutum plenae sunt litterae rhetoricae a diatriba philosophica pendentes (cf. e. g. Libanii ἐγκώμιον δικαιοσύνης t. VIII p. 257 Foerster et thesin εἰ γαμ. ibid. 547 in cod. Ox. inscriptam ἐγκώμιον γάμου; Dionis Chr. or. LXIX περὶ ἀρετῆς p. 174 Arn.).

Extra dubitationem est, propriam mulieris virtutem, quae habetur pudicitia a Seneca, eam habitam esse iam a graeco auctore Senecae. etiam ante stoicos Aristoteles duplicem σωφροσύνην distinxit, viri et mulieris πολιτ. III 4 p. 1277 b 20 ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἑτέρα σωφροσύνη. in Plutarchi libro γαμ. παρ. stoicam doctrinam spirante feminas tantum σώφρονας vocari observavit Dyroff, *Die Eth. der a. St.* p. 262 adn. 1. deinde feliciter textus diatribae graecae, a qua pendet Seneca, restituitur ex ecloga Stobaeana Phintyis, mulieris pythagoricae, Περὶ γυναικὸς σωφροσύνας cum Hieronymo collata, in qua enuntiatum Hieronymi *mulieris proprie virtus pudicitia est* graece recurrit γυναικὸς δὲ μάλιστα ἀρετὰ σωφροσύνα (v. p. 204). nimirum hoc enuntiatum non potest ab Hieronymo infersum esse in textum Annaeanum ex auctore neoplatonico; quo enuntiato dempto omnis corruit sensus loci Annaeani, cum illud apodosis sit sententiarum: *viros consulatus inlustrat, eloquentia in nomen aeternum effert, militaris gloria triumphusque novae gentis consecrat; multa sunt, quae per se clara ingenia nobilitent.* his cum

adnectatur *mulieris proprie virtus pudicitia est*, consensus Phintyis cum Hieronymo nequit declarari aliter nisi stoico auctore aetatis hellenisticae aut Augusteae exscripto pariter a Seneca et Phintye.[1])

quae cum ita sint, Senecae dialogum *de matr.* insuper supplere conabor ex Phintye; simul quomodo adhibuerit graecos auctores Seneca transponendo textum graecum in romanos colores, singulari exemplo illustrare licet. nempe praeter vocem *mulieris proprie virtus pudicitia est* etiam quae huic voci antecedit sententia plena romanarum rerum *viros ... consecrat* habet apud Phintyem quibus respondeat p. 589, 8 Hense: *ἴδια μὲν ἀνδρὸς τὸ στραταγὲν καὶ πολιτεύεσθαι καὶ δαμαγορέν.* haec tria Phintyis insignia virtutis virilis subsunt 'consulatibus', 'eloquentiae', 'triumphis' Senecae. unde elucet ars Senecae, qua *τὰ κεφάλαια* diatribae graecae commutavit in sermonem non modo latinum, sed romanum.

iam vero differunt Phintys et Hieronymus ea re, quod illa virtutem propriam mulieris termino *σωφροσύνης* significatam ad certum vivendi genus revocat, officia eius virtutis designans, id quod neglegit Hieronymus; cf. p. 589, 9 *ἴδια δὲ γυναικὸς τὸ οἰκουρὲν καὶ ἔνδον μένεν καὶ ἐκδέχεσθαι καὶ θεραπεύεν τὸν ἄνδρα.* atque adeo hic *τόπος* officii muliebris, de quo late patente in antiquis litteris coniugalibus et oeconomicis cf. Praechter, *Hierokl.* p. 64 seq.; 133; 152, puto Senecae quoque infuit, silentio praeteritus ab Hieronymo. Hieronymus vitae continentis regulam plus curans quam officium matris familiae in servanda domo, i. e. rebus terrenis praestitum, propriam virtutem mulieris in sexu tantum posuit. at Seneca suspensus non fuisse non potest in sermone coniugali a vita romana, ubi qualem locum mater familias

1) ad vetustiorem stoicum accommodavisse se Senecam in laudatione pudicitiae colligitur etiam, quamvis minus dilucide, ex similitudine inter Hieronymum et librum pseudoplutarcheum *περὶ παίδων ἀγωγῆς* Chrysippeae doctrinae plenum (v. Dyroff, *Die Eth. der a. St.* p. 239 seqq. et 280) intercedente; cf. Hier.: (*pudica meretur*) *bene de liberis, quibus nec de matre erubescendum, nec de patre dubitandum est* cum Ps.-Plut. 2 p. 1 B *τοῖς γὰρ μητρόθεν ἢ πατρόθεν οὐκ εὖ γεγονόσιν . . . παρακολουθεῖ τὰ τῆς δυσγενείας ὀνείδη.* quamquam Bloch, *Archiv f. G. d. Ph.* XXI (1908) p. 450 seq. originem stoicam huius lectionis libri pseudoplutarchei denegabat allato loco *libri sec. yconom. Aristotilis* p. 144, 14 seq. Rose (*Arist. frg.* 1886), quem personati Aristotelis librum peripateticum esse defendebat adversus Praechterum, *Hierokl.* p. 131 seqq.; nimirum ille *librum sec. yconom. Arist.* diatribae stoicae adnumeraverat, de loco eius p. 144, 14 consentiente cum Ps.-Plutarcho *περὶ παίδ. ἀγ.* 2 loquens p. 135. facit adversus Blochium Senecae fragmentum parum ab illo respectum.

sibi vindicaverit, strictim docent elogia mulierum *Carm. epigr.* 52, 8 Buech. *domum servavit. lanam fecit.* 237, 2 *lanifica pia pudica frugi casta domiseda.*

quid igitur est? superaverat Seneca, quamquam traxerat a Graecis, Graecos notione philosophica pudicitiae muliebris, quam auxerat dignitate matronae romanae. atque ipsum vocabulum *pudicitiae*, cui apud Graecos σωφροσύνη cum respondeat, tamen non respondet κυρίως vox plurima significans praeter *pudicitiam*, indicat Senecam in coniugali parte philosophiae moralis tulisse palmam a Graecis. Platoni querendum erat de egestate sermonis patrii verbo uno vocaturo romanae matronae *pudicitiam.*

6

Superest ut de ordine quo fragmenta scripti Annaeani enarranda sint, nec non de aetate, inscriptione, ambitu eius loquar.

Incipiam ab aetate, quae iis, quae de imitatione sui Senecae p. 343 exposui, aliquatenus definitur: de matrimonio ante dialogum *de const. sap.* sub initiis Neronis confectum (v. Hense, *Sen. u. Athenod.* p. 17. Schanz, *R. L.* II 2[3] p. 382) Seneca scripsit. cui aetatis termino convenit, quamvis hoc minus forte argumentum sit, absens Arriae exemplum ab Hieronymo, Paeti uxoris iam a Persio celebratae (v. p. 291 adn.).

quodsi sub Neronem, quo principe pars longe maxima librorum servatorum Senecae condita est, non cadit scriptum coniugale, commendat aetas eius rem per se probabilem, ut id ad nuptias Senecae ipsius aut ad primas aut ad secundas referamus; nimirum bis uxorem duxit Seneca, ut demonstravit Lipsius ed. Sen. 1615 p. XVII, priorem, cuius nomen latet, ex qua filios duos sustulit (v. Rossbach, *Realenc.* I 2241), sub Tiberio aut Gaio, alteram sub Claudio redux ex Corsica, Pompeiam Paullinam. iam vero illud dictu difficile est, utram uxorem allocutus sit. certe haec res ea via expediri nequit, ut in mores diversos utriusque uxoris inquiratur. nam Pompeia Paullina, quae communi cum marito morte e vita excedere parata fuit (v. p. 334) quaeque *epist.* 104, 2 valde suspicitur a Seneca, num superaverit pietate priorem coniugem, incertum nihilo setius est. utique infirma suspicabatur de animi levitate prioris maritae Rossbach l. l. p. 2241. atque eo loco, quo paullo accuratius illustrari adhuc visum erat, quae consuetudo moralis inter Senecam et eius maritam priorem intercessisset, *de ira* III 36, 3,

si recte Rabbow, *Antike Schr.* eqs. I p. 132 seq. librum III *de ira* aetati Neronis tribuit, Pompeia Paullina intellegenda est: *cum sublatum e conspectu lumen est et conticuit uxor moris iam mei conscia, totum diem meum scrutor.* ceterum fac verum divinasse Rossbachium, prioris uxoris fuisse mores malos; mala item atque bona uxor potuit impellere Senecam ad agendum περὶ γάμου; v. *de rem. fort.* 16, 1 '*uxorem bonam amisi*'. *utrum inveneras bonam, an feceras? ... si feceras, bene spera: res periit, salvus est artifex.*

itaque cum uxorum moribus respectis nequeat definiri, ad utram uxorem de matrimonio Seneca scripserit, mores ipsius Senecae rem debent decernere. qui vero propense accepit quae p. 183 seqq. dixi de Seneca in adulescentia reducto ex castitate Attali pythagorica ad pudicitiam civilem et vitam iuxta stoica officia media agendam, is eum tunc cum priorem duxerit uxorem, coniugalem vivendi rationem defendisse sentiet. consimiliter etiam commutatum vivendi genus recedentis a re publica Senecae causa *ad Serenum de otio* scribendi fuit; in rebus plurimis scriptura moralis eius ad fata vitae ipsius accommodata est (v. Gercke, *Senecastudien*, *Jahrb. f. Phil.*, *Suppl.* XXII, 1895, p. 282 seqq.).

Patronus igitur sui Seneca, si quid video, sermone περὶ γάμου factus est. atque hinc non tantum aetas, sed etiam ordo sermonis quodammodo definitur. nimirum unde incipere debuerit, apparet. in Epicuri errorem incidisse istos stoicos puto Seneca declamaverat qui dehortarentur a coniugio; Epicuri κατὰ περίστασιν tantum raro iubentis uxorem ducere doctrinam respuit in sermonis limine. deinde ex stoicorum regula officii ducendam uxorem esse explicuit, simul se nolle professus Chrysippi uti commendatione vitae coniugalis ex superstitione populari tracta. sic Epicureis et Chrysippeis eundem quem Haase tribuit, locum in conspectu generali fragmentorum tribuo, discrepans in sequentibus ab Haaseo. nam cur cum illo exempla malarum et bonarum uxorum Epicureis et Chrysippeis subnectam, non habeo. sed si ab ipsius consilio, quo uxorem duxerat, profectus Seneca περὶ γάμου egit, apud eum refutationes Epicuri, detrahentis coniugio, et Chrysippi, illepide id defendentis, excepit ratio vera coniugii ex societate humana petita, qua in fragmentis περὶ γάμου servatis Antipater, Musonius, Hierocles ad coniugium adhortati sunt (v p. 191). similiter in l. I *de benef.* c. 4 seqq. a correpta Chrysippi defensione in-

subida beneficiorum ad legem socialem beneficiorum exponendam transitur. praeterea ut in Antipatri fragmento περὶ γάμου p. 256 Arn. (p. 509 seq. Hense) socialis ratio coniugii iuncta occurrit cum dehortatione ab uxore formae aut dotis gratia ducenda, sic Senecam post causam ductae a se uxoris redditam μνηστείαν rectumque viri amorem coniugalem aggressum esse puto.[1]) unde post Chrysippea colloco fragmenta de amore formae, de amore ex affectu, de coniugii genere inhonesto ex adulterando nati, de flagitiosis nuptiis pauperum virorum ad leges eludendas contractis. post haec θέα exemplorum secuta est. Haaseo rursus in eo totus astipulor, quod catalogo bonarum uxorum posteriorem locum assignavit, malis uxoribus priorem. aeque in l. III *de ira* maximus exemplorum conspectus sic digestus est, ut *exempla quae vites* excipiant *illa ex contrario quae sequaris* (22, 1).

itaque tribus potissimum partibus libri *adv. Iovin.* fragmenta Senecae insunt, p. 317 D *Epicurus* — 319 C *nupsit* (Epicurea, Chrysippea, praeceptio de recto mariti amore), p. 316 A *Cicero* — 317 D *placuit* (exempla malarum uxorum), p. 310 C *Artemesia* — 313 B *vivere* (exempla bonarum uxorum). quae partes tres libri *adv. Iovin.* inverso ordine scripti Annaeani decurrunt. ter adiit Hieronymus Senecam sic colligens locos eius, ut revolveret librum, quem ad excerpendum evolvens idonea in margine ante signaverat (v. p. 74); quamquam intra partes tres illas maiores Annaeanorum singula fragmenta primarium ordinem Senecae servant.

deinde extra illas tres partes Hieronymus in peroratione adhibuit perorationem Senecae, p. 319 C seqq. laudationem pudicitiae; sic Plutarchi quoque is locus, qui remotus a reliquis Plutarcheis sub calce libri *adv. Iovin.* legitur, ex γαμ. παρ. peroratione desumptus est. atque apte in conspectu fragmentorum laudatio pudicitiae catalogo pudicarum matronarum adnectitur. — restat Claudiae fragmentum p. 307 B, quod Tertulliani commemoratione Vestalis Claudiae incitatus Hieronymus ex catalogo bonarum mulierum in sermonem de virginitate transtulit; id igitur inter pudicas matronas post Biliam repono; cui sedi

1) μνηστείαν tractat Seneca in servatis *de rem. fort.* 16, 5, ubi *nobilitatis* aut *patrimonii* aut *formae* gratia uxorem ducentes vituperat (v. Praechter, *Hierokl.* p. 82). cf. etiam *epist.* 88, 7 *hoc me doce, quomodo . . . amem . . . uxorem.* denique iuvat inspicere Senecam *Octaviae* 547 seqq.: *probitas fidesque coniugis, mores pudor placeant marito: sola perpetuo manent subiecta nulli mentis atque animi bona; florem decoris singuli carpunt dies.*

etiam id favet, quod ex eodem fonte Claudiae et Biliae exempla nobis in Senecam venisse p. 299 visa sunt.[1])

Post ordinem ad ambitum scripti accedo, quod monobiblion fuit. primum enim in graecis litteris, nisi quid me fugit, plurium

1) Senecae locus de praeceptis in matrimonio dandis *epist.* 94, 15 *in matrimonio praecipies* eqs. (v. p. 179) ad ordinem amissi dialogi *de matr.* explorandum nequit adhiberi (adhibuit Grossgerge l. l. p. 37 seqq.). quo loco pro rebus, quae aguntur paragraphis 1—17, quibus Aristonis sententiae exponuntur partem praeceptivam philosophiae totam habentis supervacuam, Seneca minime id curat, ut summarium loci stoici *περὶ γάμου* praestet; immo exempli gratia matrimonium producitur, quo exemplo demonstretur, quot in species periculum sit ne singulorum locorum moralium praeceptio distrahatur. *praeceptio* autem (*παραίνεσις*) stoicorum proprie accedit scripturae stoicae *de officiis* (*περὶ καθηκόντων*) secundum Senecae usum terminorum stoicorum (v. *mus. Rhen.* LX, 1905, p. 545). ergo peritus consuetudinis Annaeanae enumerationem *praeceptorum* in matrimonio dandorum non revocabit ad scriptum *περὶ γάμου*. quamquam locus *περὶ γάμου* pracepta quoque secum fert, quin totus in officio quodam defendendo haeret (cf. Antip. *περὶ γάμου* p. 255 Arn. = 508 H. *τῶν ἀναγκαιοτάτων καὶ πρώτων καθηκόντων νομίζουσι τὸ συγκραθῆναι εἰς γάμον*), tamen secernunt stoici locum *περὶ καθηκόντων* a loco *περὶ γάμου* parte loci *περὶ βίων*, ut Eudori tabella (v. p. 194 seq.) locorum stoicorum docet. nec nobis desunt quibus certius distinguamus matrimonium in litteris *περὶ καθηκόντων* tractatum, quod solum spectavit Seneca *epist.* 94, 15, a peculiaribus *περὶ γάμου* opusculis. litterae *περὶ καθηκόντων* quomodo structae fuerint, perspicuum est ex Ciceronis opere *de officiis*, ex Martini Bracarensis opere tessellato Senecae opus *de officiis* exprimente, ex Hieroclis stoici operis ethici structura (de hac cf. Praechter, *Hierokl.* p. 7 seqq. et Arnim, *Hierokles eth. Elem.*, *Berl. Klassikertexte* IV, 1906, p. XI seqq.; *Realenc.* VIII 1479). denique Seneca *epist.* 95, 45 seqq. Bruti *περὶ καθήκοντος* libro ibi commemorato adnexuit dispositionem *praeceptorum* in opera *de officiis* collectorum. illic deinceps tractabantur officia adversus deos, homines (coniuges, liberos eqs.), res, virtutes. itaque praecepta coniugalia litteris *περὶ καθηκόντων* inerant ibique dictum erat, quomodo in vita coniugali uxore liberisque utendum esset; at spatium nullum illic dabatur ad vitae coniugalis ducendaeque uxoris officium ex societate rei publicae et humani generis repetendum. immo huic argumento reservabatur proprius locus *περὶ γάμου*, qui quidem politica materia et oeconomica nec non descriptione *βίου γαμικοῦ* differebat a praeceptione simplici loci *περὶ καθηκόντων*.

atque duas sedes fuisse philosophiae coniugalis in litteris ethicis stoicorum, intellexit ante me Praechter l. l. dispositionem operis Hieroclis constituens. quo in opere post partem *περὶ καθηκόντων* praeter alia capita caput *πῶς γυναικὶ καὶ τέκνοις χρηστέον* complectentem, insuper specialis pars *περὶ γάμου* inventa est. quam observationem Praechteri quod Arnim ll. ll. silentio praeteriit, eandem tamen ipse ille vel invitus firmavit docendo, Hieroclis opus praeter partem *περὶ καθηκόντων* reliquas partes omnes philosophiae moralis obtulisse. sic ante doctrinam *περὶ καθηκόντων* contemplativum caput *περὶ ἀρετῶν* fuisse ille vere nixus est. tanti ambitus opus ethicum parte *περὶ βίων* non caruit.

librorum opus coniugale nullum est. tituli traditi *περὶ γάμου* aut singulos libros spectant, aut adeo capita tantum singulorum librorum. monobibliis *Περὶ γάμου* inscripsisse certum est aut veri simile Demetrium Phalereum (Laert. Diog. V 81 *περὶ γάμου α'*), Persaeum (ibid. VII 36 *βιβλία δὲ αὐτοῦ ... πολιτεία Λακωνική, περὶ γάμου, περὶ ἀσεβείας ... Χρειῶν δ' ...*), Antipatrum (Stob. IV 507, 6 H. *ἐκ τοῦ Περὶ γάμου*); partes fortasse tantum librorum dicaverunt loco *περὶ γάμου* Chrysippus (v. p. 356) et Hierokles (Stob. IV 502, 1 *ἐκ τοῦ Περὶ γάμου*); de Nicostrato Stob. IV 593, 12 H. *ἐκ τοῦ Περὶ γάμου* v. p. 337 adn. 1.

deinde dictionis modus, quo Hieronymus p. 318 B in citando Senecae scripto usus est, suadet ut unius voluminis librum illius fuisse putemus; Plutarchi *γαμ. παρ.* et corporis Aristotelei scriptum *περὶ συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός* una cum Seneca illic laudata monobiblia sunt.

Monobiblii quaenam pars servatis fragmentis efficiatur, aestimatu facile est. exempla Hieronymus nulla puto omisit, at cohortationis reliquiae parcae sunt. nonnullae partes sollemnes loci *περὶ γάμου*, quamquam ab Hieronymo absunt, non possunt Senecae defuisse. velut sermo *περὶ πολυτεκνίας* certa sede utitur in stoicis *περὶ γάμου* litteris, apud Musonium et Hieroclem obvius (v. p. 193 seq.); Senecae ipsius vita nec non divi Augusti leges de maritandis ordinibus postulant, ut Seneca quoque in sermonem *πολυτεκνίας* inciderit. item locus de litibus coniugalibus, quamquam Varii Gemini apopthegma *qui non litigat* eqs. p. 267 seqq. tractatum non redit ad Senecam, dialogo *de matr.* inerat. denique in cultu et luxu matronarum procul dubio Seneca versatus erat, quod vitium in servatis scriptis aliquotiens insectatur, et aliae litterae coniugales passim agitant (cf. Rolland, *De l'influence de Sén. le père ... sur Sén. le phil.* p. 37; Lasaulx, *Abh. d. bayr. Ak.* VII p. 108 adn. 295).

Restat ut titulus accurate definiatur. ea sub condicione Seneca dialogos foras dabat, ut quem dialogo alloquebatur hominem, eius nomen in inscriptione argumento praemitteret. hanc legem illustravi apud Bursian-Kroll, *Jahresber. über die Fortschr. der kl. A.* CXL (1908) p. 233 seq.; restituo igitur inscriptionem *ad ... uxorem de matrimonio.* breviter *de matr.* vocavit Seneca coniugalem librum, nec inscripsit ratione dialogorum I *ad Lucilium quare ali-*

qua incommoda eqs., II *ad Serenum nec iniuriam* eqs., aut scripti amissi de amicitia *quomodo amicitia continenda sit*[1]), quamquam in coniugalibus litteris graecis id genus inscribendarum diatribarum Musonius praebet (XIV p. 70 H. *εἰ ἐμπόδιον τῷ φιλοσοφεῖν γάμος*, XIII[A] p. 67 *τί κεφάλαιον γάμου*). at inscriptio ab Hieronymo relata ipsa quoque habet non pauca apud Senecam quibuscum conferatur. tituli *de ira* et *de tranquillitate animi* graecis *περὶ ὀργῆς* et *περὶ εὐθυμίας* aeque respondent atque *de matr.* titulo *περὶ γάμου*. significatio non satis curiosa libri Aristotelei *περὶ συμβ. ἀ. κ. γ.* et Plutarchei *γαμ. παρ.* in eadem sententia, ubi Senecam exacta fide citari dico, sic explicanda est, ut Hieronymus inscriptionem romani libri ad graecos eiusdem generis significandos adhibuerit.

Fontibus Seneca usus est Chrysippi sermone *περὶ γάμου* (p. 355), deinde auctore stoico post Panaetium scribente, qui ei *Ἀσπασίαν* Aeschinis et *Διαπορίας* Epicuri (p. 353) suggessit. exempla traxit ex Hygino, si non plura, certe Artemisiam (p. 329 seq.); ex Melisso apopthegmata matronarum (p. 317 seq.). praeter Hyginum et Melissum alia etiam exemplorum corpora ei adfuisse facile credo. notandum est Posidonium neque ipsum neque libros Posidonium exprimentes inter fontes Senecae fuisse (p. 178 adn. 1).[2])

Dialogus *de matrimonio* ea tempestate adhortatio erat vitae coniugalis, qua caelibatus in mentibus philosophiae deditis aliquid valere coepit occupaturus optimum quemque posterioribus saeculis medioque aevo. quodsi quis secum reputat, quantas turbas in imperio romano superstitiones orientales vita ascetica gavisae moverint, quas ex actis

1) nihilo minus ea, quae Studemund apud Rossbach, *de Sen. phil. libr. rec. et em.* p. V ex inscriptionibus in summa margine foliorum quorundam codicis rescripti inventis de titulo huius dialogi effecit, denuo examinari debent respectis papyris Didymi imprimis et Hieroclis, ubi in margine superiore omnibus iis columnis, in quibus nova capita incipiuntur, tituli adiecti sunt. (cf. Friderici, *de libr. ant. cap. divisione atque summariis,* diss. Marp. 1911, p. 16, al.).

2) in romanis litteris moralibus matrimonium ante Senecam tantum saturis Lucilii et Varronis tractatum erat. in Lucilii l. XXX duas saturas coniugales dignoscit Marx, *Luc. carm. rel.* II p. 316, unam 'de mulierum ingenio et moribus,' alteram 'de nuptiarum et matrimonii molestiis'. item l. XXVI v. 678 seqq. de matrimonio agitur (cf. etiam Cichorius, *Untersuch. zu Luc.*, 1908, p 133 seqq.). Varronis v. saturas Menippeas *de officio mariti* (frg. 83) et *εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα* (*περὶ γεγαμηκότων*), ubi legitur frg. 167 *γαμήσει ὁ νοῦν ἔχων.* etiam satura *τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον* (*περὶ παιδοποιίας*) frg. 552 seqq. matrimonium spectat.

apocryphis apostolorum optime novimus, christianis litteris et gnosticis (v. Reitzenstein, *Hellen. Wundererz.* p. 142), is facile assentietur mihi dicenti, Romae in urbana hominum philosophorum cohorte apud suos eius loci Senecam fuisse, cuius loci fuerit Paulus apostolus apud christianos litteris obstrepens plebi in vitae asceticae contagionem ruenti.

adversus duplicem tamen aciem stetit Seneca. philosophos rationis asceticae improbavit cum non defendit. praecipue autem sermo Senecae insectatio vitiorum erat; notiones pudicitiae muliebris et fidei coniugalis in populi romani vita prisca et moribus alte haerent, etsi virtus nata ex arbitrio libero differt a necessitate vitae cascae. monogamiae lex moralis mulieribus a Seneca imposita cum Tertulliani doctrina coniugali austeritate certat superata ecclesiae christianae regula; hanc legem defendit, quamquam divus Augustus secundas nuptias viduis praeceperat posthabito vetere apud Romanos honore univirae.[1])

1) viros tamen aliter atque Tertullianus Seneca habuit (v. *de rem fort.* 16, 8).

HIERONYMVS

ADVERSVS IOVINIANVM

LIBRI I CAPITA XLI—IL

LIBRI II CAPITA V—XIV

Ad textum constituendum codicum p. 2 seq. enumeratorum quinque *ES𝔖AC* adhibui abiectis duobus saec. XI *B* et *M*, quorum interpolatio aperta est. velut p. 308 D ex *iustum est et Locridas virgines non tacere M* fecit *iustum est et lucri duas virgines n. t.*, p. 309 C pro *per manus* dedit *permanens*, ibid. pro *fasmate* nescio quibus somniis indulgens *in fores memoriae*. deinde p. 312 C seq. *laudanda in utroque pudica . . . femina, et si ignoravit . . ., et si . . . tulit, et quod . . . sensit M*, cui tria membra vocem *in utroque* immerito sequi visa sunt, *tamen* exhibet pro *et si* altero. nec minus p. 316 C *M* novum textum constituit pro *Lucii Syllae Felicis* scribens *Lucius Sylla vir felicitatis*. praeterea p. 339 B pro *historicus* in *M* legitur *sthoicus*, p. 340 C *tyrannos et subversiones urbium* rasura effectum est concinnitatis gratia *subvers*ores* ex *subversiones*. denique de falsa arte librarii *M* cf. *mus. Rhen.* LXIX (1914) p. 418.

hic illic cognatione *M* iungitur cum vulgata Vallarsii (*v*), quam codicibus *ES𝔖AC* usus passim abolevi. p. 309 B *seque interfecisse cum gaudio* pro *cum gaudio M cum gladio, v gladio* praebent, p. 332 B pro *Flavum* legitima formatio nominis gentilicii *Flavium* in *M* et *v* inducta est.

in *B* propriae interpolationis pauciora vestigia quam in *M* deprehenduntur, at multo maior consensus cum *v*. p. 314 B pro *ingratis amandi* in uno *B sint grati, sint amandi* scribitur. cum *v* omittit *B* p. 310 A *prioribus*, p. 310 D *ac pulchritudinis*, p. 312 E *ut ante habui*, p. 333 D *adhuc*, deinde p. 316 D addit *B dixi* addente *v dico*. praeterea cum *v* in *B* leguntur p. 315 D *enutrire* pro *nutrire*, p. 316 B *iurgarentur* pro *iurgarent*, p. 316 E *ancillam* pro *ancillulam*, p. 317 A *quid est hoc* pro *quid hoc est*, p. 319 B *libebat* pro *licebat*, p. 339 C *libidinum* pro *libidinis*, p. 344 B *vel* pro *et*.

spretis *BM* praestantia codicum *ES𝔖AC* genuinum textum Hie-

ronymi ubique restitui posse confido. nullum agnosco locum quo libri illi omnes corruptela communi graviore laborarent; praetereo vitium vile p. 320 B *Theanum* in *ES𝔖AC* pro *Theanun* obvium, *BM Theanam*, *v Theano* exhibentibus. mendum grave, quod in christiana parte operis *adv. Iovin.* p. 304 A *accipiens aerem* editoribus prioribus esse videbatur, nullum est reposito *accipienserem* (cf. *mus. Rhen.* LXIX 417 seqq.).

libris saeculi VII *E* et *S* vel iis locis, ubi reliqui codices discrepant, permultum tribuendum est. praeter p. 318 C ἐκτόπου p. 112 seq. ex illis restitutum virtus eorum compluribus lectionibus intellegitur ut p. 312 B *cumque uxore questus est* pro *cumque uxori questus esset* (v. p. 293). *S* neque ab *E* neque *E* ab *S* pendet. de simplici fide libri *S* etiam libro *E* hic illic praeponendi cf. p. 112; *S* superat codicem *E* lectionibus ut p. 319 A *regit ... fertur* pro *reget ... feretur*, p. 330 A *universa* pro *universas*, p. 331 C servato *culices* ante *pulices*. tantum uno loco interpolationem in *S* inveni p. 338 C *pessumae et malae* pro *pessum malae*. at *E* meliorem quam *S* traditionem servat quibusdam locis ut p. 260 B *disserentes* pro *disserens* (v. p. 247 adn. 1) et p. 307 E *accepere* pro *acceperet* (v. p. 155 adn. 1).

paullulum minuitur auctoritas codicum antiquissimorum etiam ibi, ubi inter se consentiunt, ea re, quod vitiis quamvis lenibus iunguntur communibus, ita ut ad unum archetypum seiunctum a traditione reliqua eos redire pateat. p. 306 D omittunt *cui*, saepius falso *m* addunt ut p. 309 D in *partum* et p. 314 C in *custodiam*. deinde errata archetypi propria librorum *ES* praeter orthographica atque alia varia, facile ex adnotatione critica colligenda, occurrunt p. 314 A *vilii* pro *vitii*, p. 314 D *caritatis* pro *castitatis*, p. 317 D *commoda* pro *incommoda*, p. 318 D *effectus* pro *affectus*, p. 319 C *vitia* pro *vitiat*, p. 329 D *subiectionem* pro *subuectionem*, p. 344 D *ybetorico* pro *rhetorico*.

pauca antiquissimis codicibus vitia etiam cum singulis vel pluribus libris recentioribus communia sunt. sic legitur in *ES𝔖* p. 319 C *pulchrum* pro *pulchram* (*M* habet *-am* post ras.), p. 340 D *ardore* pro *ardorem*; in *ES𝔖B* p. 334 A *tempore* pro *temperie*; in *ESA* p. 312 D *Marciam* pro *Marcia*. p. 319 C *A*, cum *uxor* pro *uox* habeat, reddit memoriam, quae iam suppetiverat scribae *E*, quam tamen ille spreverat litteras *ox* post ras. trium litterarum exhibens. similis ratio intercedit inter *E* et *A* p. 308 B, ubi *loconfossa* in *A* est, *lococonfossa* in *E*, altera

c ex *n* facta. codicis *S* vitiosae lectionis p. 308 E *cummiliũ* pro *cum Ilium* vestigium in *A* est *cum ilium,* at *iliu* post ras. offerente.[1])

ceterum talis vitiorum communio codicum recentiorum et antiquiorum parvae aut nullius utilitatis est ad stemma librorum conficiendum. utique nullus recentiorum ab *E* aut *S* descendit. quae res vel eo demonstratur, quod *E* duobus locis p. 249 D et 254 A additamenta longiora in margine habet, iam a Vallarsio edita, quae minutissimis characteribus m1 codicis ut videtur scripsit; haec additamenta in libri *S* textum irrepserunt, prius eorum etiam in 𝔖, ubi tamen alterum desideratur, neutrius vestigium in *ACBM* est. hinc apparet ad *S* nullum exemplar recentiorum redire, nec probabiliter ad *E*.[2])

proprium bonum libri 𝔖 adnoto p. 320 A *quam aliena libidine trahi*

---

1) Casanatensis a Vallarsio adhibitus cum *S* falso p. 338 D *diuitiis* pro *deliciis* codicum *E𝔖ACBM* exhibet. item in loco biblico Casanat. et *S* peculiariter conspirant p. 333 C *et da pauperibus* omissis. nec tamen constat sibi in consensu cum *S* Casanat. ille; velut p. 318 C cum *B* praebet *novissimum* pro *novissime.* qui fuerit Vallarsii Casanat., dubitat Reifferscheid, *Wiener Sitz.-Ber.* LIII (1866) p. 327. videtur codex miscellaneus fuisse 641 (olim B. IV. 18) saec. IX, qui etiam excerpta *apologetici ad Pammachium* (*epist.* 49 = 48 Vall.) offert ab Hilbergio excussa.

2) p. 249 D legitur pro *quid, inquit, velim, perspicuum est* in *S𝔖*, cum nullum interpolamenti indicium sit: *quid, inquid* (*-t* 𝔖) *in praecepto gloria, in indulgentia vix remissio. coronat quod praecipit* (*praecepit* 𝔖), *notat ad pęnitentię* (*pęnitentiã* 𝔖) *quod relaxat. ibi summa actionis est poenam evadere, hic coronam adeptum fuisse res debiti. diversis itineribus indulgentia currit* (*curret* 𝔖) *et gratia velim perspicuum est.*

in *E* quae in margine sunt *in praecepto . . . gratia,* nota post *inquit* inseri iubentur, ubi reapse in *S𝔖* inveniuntur. varietates scripturae *E* habet *adpetentiae* pro *ad pęnitentię* (*adpetentiae* verum est), *itaneribus* pro *itineribus, curret* cum 𝔖 pro *currit.*

p. 254 A in *S* pro *pendeant. circumcisus* eqs. congruentia cum additamento in margine libri *E*, ubi signum addendi ante *circumcisus* reperitur, leguntur: *pendeant de circumcisionis cognominatione* (*cognominatio S* ante corr. m. secundae) *ferias libidinis docet, quia illa pars corporis truncanda est, cuius expectatur in rebus* (*rerum* per compendium *S*) *erubescendis* (*erobiscendis S*) *periculum. circumcisus* eqs.

num ab ipso Hieronymo haec additamenta profecta sint, quae iusta ratione cum sermone reliquo in *S*(𝔖) non coaluerunt, dubium est. quamquam constat Hieronymum quorundam operum apographis novis emittendis hic illic curas iteratas impendisse (cf. A. Schoene, *Die Weltchronik des Eusebius in ihrer Bearb. durch H.*, 1900, p. 117 seqq.). in librorum *adv. Iovin. apologetico ad Pammachium* (*epist.* 49 = 48 Vall.) Hilberg 14, 7 p. 373, 13 pristinam formam loci I 7 postea mutatam esse suspicatur; ubi ego in codicibus cum *epistulae* testimonio consensum non repperi.

(v. p. 363), libri *A* p. 309 C *femine.* codicem *C*, etsi non ante saec. XII/XIII exaratus est, tamen propter raram memoriae castitatem protraxi p. 335 A maxime apertam, ubi unus veram lectionem *pastorum nates et femina et papillas* praebet, cum reliquorum codicum scribae *papillas* de viris dici non perspexerint, proque *fĕmina* intellegentes *fēmina* in varias effusae licentiae mutationes incurrerint[1]), tantum *E* post ras. librum *C* aequat. item p. 311 E *et ignorantem monstraverat C* superat *ES𝔖A.*[2])

In adnotatione critica brevitati studui, eam legem mihi imponens, ut librorum praeter *E* orthographica, peculiares vocabulorum formas, nominum propriorum scripturas varias praetermitterem, nisi certa causa exigebat, ut memoria omnis proponeretur, velut p. 308 B in nomine *Aristoclides*, p. 308 C in *Hiacintina*, p. 332 B in *Flavum.* contra absunt ab adnotatione varietates tales, qualium exempla pono libri 𝔖 p. 313 B *saltim* pro *saltem*, p. 331 A *paricidae* pro *parricidae*, p. 335 B *coniunx* pro *coniux*, libri *A* p. 307 B *uato* pro *vado*, p. 308 E *pretirire*

1) *BM* in adnotatione critica spreti habent *pastorum nates et feminarum papillas.* Harnack, *Texte u. Unters.* VIII 4 (1892) p. 60 Vallarsii textum vertit 'schneiden sie den Hirten und deren Weibern die Hinterbacken und Brüste ab und halten diese für einen köstlichen Schmaus'.

2) quamquam *C* alteri Bernensi vetustiori *B* affinis non est, tamen contigit mihi, ut insanam quandam lectionem libri *C* p. 314 D *A minore* in sententia *minore tamen miseria deformis habetur* ope codicis *B* explicarem. nempe littera maiuscula *A* orta est ex parte anteriore maiusculae litterae *M*, a qua in archetypo libri *C minore* coepisse putandum est, ut reapse in *B* incipit.

mantissae instar adnecto alterum locum, ubi litteram singularem *R̄* in codice Monacensi 𝔖 obviam p. 246 E *intellegit. R̄. Narrant et gentilium fabulae Mithram* eqs. alterius Monacensis *M* ope cum 𝔖 alioquin non cohaerentis declarare licet. nimirum *R̄* i. q. *rubrica* valet, quamquam rubricae in 𝔖 non sunt minium scriba nullo loco usurpante. at in *M capitulationum* tabula fol. 1ᵛ praemittitur, ubi capita XXXVIIII libri I distinguuntur, quorum caput II titulo in isto summario utitur *ii Itē in libro sęculariū eo qđ mitrā & ericthoniū ł in lapide ł in trā de solo ęstu libidinis asserunt generatos,* et revera hoc caput in *M* fol. 7ᵛ a verbo *Enarrant* (*Enarrant* pro *narrant* unus *M* habet) exordium sumit. — ceterum in 𝔖 etiam vestigium alterum archetypi rubricis distincti occurrit, qui p. 247 D pro *orationi . oro te* eqs. praebet: *orationi . R̄ TEMPVS QVO ORARE NON lic& · Oro te* eqs.; haec tamen rubrica non congruit cum libri *M* capitum ordine, immo in medium c. IIII sectio cadit. — de 'capitulationum' origine in re libraria veterum cf. R. Friderici, *de librorum antiquorum capitum divisione atque summariis* (diss. Marp. 1911). *capitulationes* codicis *M* numeris notatae non redeunt ad Hieronymum, qui omnino in opere *adv. Iovin.* (ut Clemens Alexandrinus in operum parte; cf. Mutschmann, *Inhaltsangabe u. Kapitelüberschrift im antiken Buch*, *Herm.* XLVI, 1911, p. 104 seq.) 'capitulationes' sprevit.

pro *praeterire*, p. 313 B *cathalogo* pro *catalogo*, p. 330 A *damulae* pro *dammulae*, libri *C* p. 310 B (283 A) *rursus* pro *rursum*. maximum vero lucrum ad minuendum adnotationis ambitum *S* libri quamvis codici *E* coaevi orthographica suppressa contulerunt. nec hercle ulla paradosis orthographica huic libro inest, qui ne in vitiis quidem sibi constat, praeter quod *hac* pro *ac* aliquotiens offerens (p. 309 D, 310 D, 311 A, 340 D, 342 D), item bis *haut* . . . *haut* pro *aut* . . . *aut* (p. 340 B et 345 D), scholasticis regulis malis tenetur. omnino scriba *S* litteras romanas et linguam latinam parum callebat: p. 316 A de Cicerone et Terentia locutus pro *fontibus Tullianis* dedit *fontibus tolliani*; vulgari idiotismo p. 314 B *superistis* pro *superstes* per prosthesin scripsit; p. 343 B *colore mutato* nova pagina incipiente sic diremptum legitur: *colorem* › ‖ · *utato*. tritissima autem in *S* vitiorum genera *ae* et *e*, *ae* et *oe*, *e* et *i* (ut p. 310 C *perhibitur*), *i* et *y*, *o* et *u* (p. 317 C *domus* acc. pl.), *u* et *b* (p. 331 A *benefici*) secum mutatae sunt, aspiratio abundans vel omissa, *f* pro *ph*, consonae tenues pro mediis, mediae pro tenuibus positae (p. 307 B *cinculo*, p. 313 B *cadalogo*, p. 317 C *concupitus*) similiaque alia (p. 308 A *amisitias*). potui tantam saturam huius generis vitiorum ex *S* congerere, quantam ex Hieronymi *in Ier*. codice Lugudunensi saec. VI/VII, ubi tamen prima vel primae aequalis manus vitia correxit, Reiter ed. Vind. p. LXI seqq. congessit. eas igitur lectiones libri *S*, cum *E* suppetat, reticui; recepi tantum illas, ubi ex errore orthographico forma significationis novae orta est ut p. 338 D *possemus* pro *possimus*.

E disciplina perfecta librarii plane ab *S* abhorret. cum inter codicem et Hieronymum duo vel summum tria saecula intersint, ope talium librorum, si plures diligenter excussi erunt, Hieronymi ipsius consuetudo cognosci poterit. itaque in textu quam maxime orthographiam libri *E* expressi atque etiam inconstantiam eius, dummodo ullo iure ad ipsum Hieronymum referri posse videretur, reddidi, non affectans speciem aequabilitatis arbitrariis rationibus efficiendae. velut p. 315 E *cotidie* et p. 317 A *cotidianis* retinui, quamquam verum scribendi modum per bina *t* p. 343 D *cottidianum* (p. 282 D *cottidiana*) *E* ante corr. m. primae exhibet (cf. Marx, Filastr. ed. proleg. p. XXXIV). deinde orthographicorum, quae ut in textum reciperem a me non impetrabam, pars in adnotatione invenitur. ex quibusdam autem vitiorum libri *E* generibus, quae consuetudini saec. VII potius quam IV tribuo,

nec non ex peculiaribus aliquot peccatis eius libri conspectum feci[1]), ut omnis utique libri varietas publici iuris fieret.[2])

ae pro *e*: *-quae* pro *-que* p. 318 B, 318 D, 332 A (a.c.), 333 A (a.c.m2), 333 B (a.r.), 335 A (a.c.m2), 337 C (a.r.), 340 D, 344 C (a.r.). adverbium in *-ae* pro *-ē*: p. 310 A *mirae*, 318 A *ridiculae*, 320 A *propriae* (a.c.m2), 344 C *gloriosae*, 344 D *publicae*. p. 310 D *praetiosa*, 313 D *praetiosae*, 337 B *praetiosusque* p. 312 B *quaestus*, 313 D *conquaestiones*, 318 B *quaerulos* p. 317 D *aepulae* (340 D) p. 331 D *aesum* (339 E, 344 C) p. 334 A *paenitus* (344 C) p. 339 A *aequi* (a.c.m2), 335 A *aequorum* (a.c.m2) p. 311 B *explaetae*, 317 B *praemat*, 331 D *aeboris* (p.c.), 332 B *gruaes*, 335 D *lactae* (a.c.m2), 336 A *interpraetatur*, ibid. *propriaetatibus*, 340 C *ingluuiae*, 342 A *spernae*, 342 C *inaediae*, 344 B *praecibus*, 345 D *adpraehensus*

e pro *ae*: p. 319 B *coheserunt*, 332 A *heserit* p. 319 C *precepere*, 344 B *precepta* p. 307 B *poete*, 337 C *preteritas*, 338 C *sepe*, 339 A *precipites*, 339 C *pregrauetur*, 341 E *podagre*

e pro *i*: p. 311 B *descrimine*, 319 C *precepere*, 331 C *ciconeam* (332 B *ciconeae*), 331 C *besteas*, 332 B *arestotelen*, ibid. *plenium*, 339 C *omnes*

i pro *e*: p. 311 C *dilixerat*, 313 C *difinisset*, 313 D *dispicior*, 315 A *uindat*, 315 D *heredis*, 318 C *timerarios*, 319 B *praeciperunt*, 332 A *curationis*, 334 B *diliciis*, ibid. *comidisse*

o pro *u*: p. 311 C *pauidos* (a.c.m2), 317 C *manos*, 318 C *grauissimos*, 334 B *luxoria*, 337 A *orbanitatibus*, 338 D *odorator*

u pro *o*: p. 345 A *pussit* (a.c.)

u pro *b*: p. 336 D *mouilitate*

b pro *u*: p. 315 A *bernaculae*, 331 C *corbus*, 340 C *cibilia*, 343 C *pulbillo*

b pro *p*: p. 319 C *nubsit*, 308 A *nubsisset*, 313 A *nubsisse* (317 D), 307 C *nubtiarum* (317 D), 313 C (bis) *nubtiis* (281 E, 317 D), 311 A *nubtias* (311 E, 319 B), 318 B *nubtialem* p. 345 A *scribsit*, 344 D *conscribsit*, 318 B *scribserunt*, 342 D *suprascribtus*, 309 B *scribtores* (342 D), 331 A *scribturas*, 333 E *scribturis*, 342 C *describtione*

d pro *t*: *adque* pro *atque* p. 306 D, 309 A, 310 D, 317 D, 320 B, 339 B, 345 A (cf. Hier. *in Ier.* fragmentum Aurelianense saec. VII, quod teste Reitero p. 9, 24 semper *adque* habet) p. 334 D *ad* (a.c.m2) pro *at* p. 282 B *inquid*, 307 B (*t* s. *d*), 316 C, 318 E, 329 D (cf. Vollmer, Merob. ed. p. 445). nota p. 335 B et 336 A *apud* p.c.m2, cum *aput* m1 constanter habeat.

aspirationis vitia: p. 316 B *philosis*, 316 E *rethor* (332 D *rethores*, 344 C *rethoricam*), 330 D *thimotheo*, ibid. *sthomacum* (343 A), 332 B *sthrutocamelus*, ibid. *theoprastum*, 335 C *schytae*, 337 A *tymiamatha*, 344 C *anthisthenis*.

---

1) de notis in conspectu obviis cf. infra Notarum indicem.

2) orthographiam *E* non omnem traditioni deberi proditur p. 333 C, ubi *grauehonus S, graueonus,* sed *-eo-* p. r., *E*.

NOTARVM INDEX

E = codex Veronensis XVII 15 saec. VII

S = codex Sessorianus 128 (Bibl. Naz. 2109) saec. VII/VIII

ŝ = codex Monacensis lat. 6313 scriptus inter annos 957 et 993

A = codex Vaticanus lat. 341 saec. X/XI

C = codex Bernensis 251 saec. XII/XIII

v = editio Vallarsiana

a.c., p.c. = *ante correctionem, post correctionem* ipsius manus primae

Ea.c.m2 (sim.) = *E ante correctionem manus secundae*

a.r., p.r. = *ante rasuram, post rasuram*

s.l. = *supra lineam*

| versuum discrimen signat || paginarum

* litteram erasam indicat

Em2 (sim.) distinxi secundam manum i. e. correctores recentiores a prima. de *Am2* II 5—14 minus certo affirmare possum, quia hanc partem libri non nisi ex tabulis photographicis novi

Diductis litteris in I 41—49 Senecae textum significavi, quamquam recensio fragmentorum sic parata in eo tantum ad amussim exacta est, ut extra diductas litteras nulla auctoritas Senecae agnoscatur. contra fieri non poterat, quin dubia fragmenta eadem specie atque certa niterent, praeterea saepius paraphrasis textus Annaeani parum perspicua fieret ut p. 311 E ellipsis infinitivi *esse*, p. 316 D structura *superbus* c. dat., p. 317 D genetivus rei actae *altero nuptiarum die.*

306 B
c. 41 Satis abundeque christianae pudicitiae et virginitatis angelicae de di-
vinis libris exempla praebuimus. sed quoniam intellexi in commentariis ad-
versarii provocari nos etiam ad mundi sapientiam, quod numquam hoc ge-
C nus in saeculo sit probatum et novum dogma contra naturam religio nostra
prodiderit, percurram breviter Grecas et Latinas barbarasque historias et
docebo virginitatem semper tenuisse pudicitiae principatum. referunt fa-
bulae Atalanten, Calydoniam virginem, semper in venatibus, semper in sil-
vis non tumentes uteros feminarum fastidiaque conceptum, sed expeditam
D et castam amasse virtutem. Harpalycen quoque, virginem Thraciam, in-
signis poeta describit et reginam Vulscorum Camillam, quam Turnus cui
auxilio venerat, laudare volens, non habuit quod amplius diceret, nisi vir-
ginem nominaret: 'o decus Italiae virgo'. Chalcooecos quoque illa filia
Leo, virgo perpetua, pestilentiam patriae scribitur spontanea morte solvisse,
et Iphigeniae virginis sanguis adversos placasse ventos. quid referam
Sybillas, Erythream atque Cumanam et octo reliquas? nam Varro decem
E fuisse autumat, quarum insigne virginitas est et virginitatis praemium di-
vinatio. quod si Aeolico genere sermonis Sybilla theobule appellatur, recte
307 A consilium dei so|la scribitur nosse virginitas. Cassandram quoque et
Chrysin vates Apollinis ac Iunonis virgines legimus. et sacerdotes Dianae
Tauricae et Vestae innumerabiles exstiterunt. quarum una Minucia propter
suspicionem stupri viva defossa est; iniusta, ut reor, poena, nisi grande cri-
men putaretur laesa virginitas. certe Romanus populus quanto honore vir-
gines semper habuerit, hinc apparet, quod consules et imperatores et in cur-
B ribus triumfantes, qui de superatis gentibus tropea referebant et omnis di-
gnitatis gradus eis de via cedere solitus sit. Claudia virgo Vestalis cum
in suspicionem venisset stupri et simulacrum matris Ideae in vado Ti-
beris haereret, ad comprobandam pudicitiam suam fertur cin-

---

25 Claudia—383, 4 patrocinium] Sen. *de matr.* frg. 21; cf. p. 221 seqq.

1 achabundeq: (c *s.l.*) *S* 2 aduersariis̨ *A* 3 hoc genus *om.A* 4 dogmam *E* 6 pudicitię tenuisse *C* 8 uterum *A* conceptum *A*, *E* (o *s.* u *add.m2*) conceptuum *S*ꝫ conceptus *C* 10 cui *om.E* (*s.l.add.m2*), *S* 11 auxilium *SA* non amplius habuit quod diceret *v; cf. p. 316 C* nihil respondit amplius 12 *Aen. XI 508* *de forma* Chalcooecos *cf. p. 232 adn. 3* filileo (*alt.* l *p.r.*) ꝫ 14 aduersus plagasseuentos (s *ante* euentos *eras.*) *S* 15 *de forma* Sybilla *cf. p. 236 adn. 2* 17 Aeolici *v* sermonis] locutionis *C* theosbule *C* θεοβούλη *v* 20 et tauricę uestę *A* 22 lesa putaretur *A* 24 omnes *E* 26 uadum *C*

gulo duxisse navem, quam multa hominum milia trahere nequiverant. ‘melius tamen,’ inquit Lucani poetae patruus, ‘cum illa esset actum, si hoc quod evenit, ornamentum potius exploratae fuisset C pudicitiae quam dubiae patrocinium.’ nec mirum hoc de hominibus, cum Minervam quoque et Dianam virgines deas finxerit error gentilium, et inter duodecim signa caeli, quibus mundum volvi putant, Virginem conlocarint. magna iniuria nuptiarum, ut ne inter scorpios quidem et centauros et cancros et pisces et aegocerotas uxorem maritumque contruserint.

Triginta Atheniensium tyranni cum Phidonem necassent in convivio, D filias eius virgines ad se venire iusserunt et scortorum more nudari, ac super pavimenta, patris sanguine cruentata, inpudicis gestibus ludere. quae paulisper dissimulato dolore, cum temulentos convivas cernerent, quasi ad requisita naturae egredientes, invicem se conplexae praecipitaverunt in puteum, ut virginitatem morte servarent. Demotionis ariopagitarum principis E virgo filia audito sponsi Leosthenis interitu, qui bellum Lamiacum concitarat, se interfecit; adserens, quamquam intacta esset corpore, tamen si alterum accipere cogeretur, quasi secundum accipere, cum priori mente nupsisset. Spartiatae et Messenii diu inter se habuere amicitias, in tantum 308 A ut ob quaedam sacra etiam virgines ad se mutuo mitterent. quodam igitur tempore cum quinquaginta virgines Lacedemoniorum Messenii violare temptassent, de tanto numero ad stuprum nulla consensit, sed omnes libentissime pro pudicitia occubuerunt. quam ob rem grave bellum et longissimum concitatum est, et post multum temporis Mamertina subversa. Aristoclides, Orchomeni tyrannus, adamavit virginem Stymphalidem, quae B cum patre occiso ad templum Dianae confugisset et simulacrum eius teneret nec vi posset avelli, in eodem loco confossa est. ob cuius necem tanto omnis Arcadia dolore commota est, ut bellum publice sumeret et necem virginis ulcisceretur. Aristomenes Messenius, vir iustissimus, victis Lacedaemoniis et quodam tempore nocturna sacra celebrantibus quae vocabantur Hiacintina, rapuit de coris ludentium virgines quindecim, et tota nocte C gradu concito fugiens excessit de finibus Spartanorum. cumque eas comites eius vellent violare, monuit, quamdiu potuit, ne facerent, et ad extremum

---

1 multam *S* milia hominum ŝ*C* 2 esset] fuisset *C* 3 deuenit *A* fuisse ŝ 6 · XII · *SA* · XII · (cim) ŝ*C* 7 conlocarent *S* collocauerint *A* 8 egoceratas *C* construxerint *A* construxerit *C* 9 coniugio *A* 11 cruenta *A* 12 dissimolato *E* timulentos *E* timo- *S* 13 puteteum *E* 14 mortem *A* 17 accepere *ES* accepere *E* acceperet *Em2, S* acciperet ŝ*AC; cf. p. 155 adn. 1* 18 habuerunt *C* 20 quinquangenta *S* 21 temptarent *C* 23 et multum teporis *A* 24 Aristoclides *ES*ŝ Aristhoclites *A* aristhoclides *C* *debuit* Aristocrates, *cf. p. 156* 26 nec] et nec *A* possit *E* (e *s.* i *m2*), ŝ posit *S* euelli *A* lococonfossa (*alt.* c *ex* n) *E* loconfossa (co *s.* con- *add.m2*) *A* 30 hiacintina *ES*ŝ hiachintina *A* iacinthina *C* Hiacynthia *v* choris *Ep.c.m2* quind.] XV · *A* 31 concidu *S* 32 quamdiu] quantum *v* ne] ne hoc *v*

quosdam non parentes interfecit, ceteris metu coercitis. redemptae postea a cognatis puellae, cum Aristomenem viderent caedis reum fieri, tamdiu ad pa-
D triam non sunt reversae, quamdiu iudicum advolutae genibus defensorem pudicitiae suae cernerent absolutum. quo ore laudandae sunt Scedasi filiae in Leuctris Boeotiae, quas traditum est absente patre duos iuvenes praetereuntes iure hospitii suscepisse. qui multum indulgentes vino, vim per noctem intulere virginibus. quae amissae pudicitiae nolentes supervivere mutuis vulneribus conciderunt. iustum est et Locridas virgines non tacere, quae
E cum Ilium mitterentur ex more per annos circiter mille, nulla obsceni rumoris et pollutae virginitatis ullam fabulam dedit. quis valeat silentio praeterire septem Milesias virgines, quae Gallorum impetu cuncta vastante,
309 A ne quid indecens ab hosti|bus sustinerent, turpitudinem morte fugerunt, exemplum sui cunctis virginibus relinquentes, honestis mentibus magis pudicitiam curae esse quam vitam? Nicanor victis Thebis atque subversis unius captivae virginis amore superatus est. cuius coniugium expetens et voluntarios amplexus, quod scilicet captiva optare debuerat, sensit pudicis
B mentibus plus virginitatem esse quam regnum, et interfectam propria manu, flens et lugens amator tenuit. narrant scriptores Greciae et aliam Thebanam virginem, quam hostis Macedo corruperat, dissimulasse paulisper dolorem et violatorem virginitatis suae iugulasse postea dormientem; seque interfecisse cum gaudio, ut nec vivere voluerit post perditam castitatem, nec ante mori, quam sui ultor existeret.

c. 42 Aput gymnosophistas Indiae quasi per manus huius opinionis auctori-
C tas traditur, quod Buddam, principem dogmatis eorum, e latere suo virgo generarit. nec hoc mirum de barbaris, cum Minervam quoque de capite Iovis et Liberum patrem de femine eius procreatos doctissima finxerit Graecia. Speusippus quoque sororis Platonis filius et Clearcus in laude Platonis et Anaxilides in secundo libro philosophiae Perictionem, matrem Pla-
D tonis, fasmate Appollinis oppressam ferunt, et sapientiae principem non aliter arbitrantur nisi de partu virginis editum. sed et Timaeus scribit Pythagorae virginem filiam choro virginum praefuisse, et castitatis eas instituisse

---

1 non parcens parentes *A* 2 uiderint *S* 3 auolutę *S* 5 traditum] ditum *A* iuuenes duos *C* 8 conciderunt vulneribus *v* vulneribus] se *add. C* non tacere] tangere *C* 9 cum Ilium] cummiliū *S* cum ilium (iliu *p.r.*) *A* 10 qui *Ea.c.m2* 12 mrte *Ea.c.m1 ut vid.* 15 captiuitatis uirginis *A* uirginis captivae *v* 16 scilicet] licet *A* 17 interfectúm (*sic*) 𝔖 18 graciae (e *s.* a *pr.add.m2*) *E* greciae *S*𝔖*A*:*C* graeci *v* et aliam] metaliam 𝔖 *nomen proprium videlicet intellegens* 19 dissimulans 𝔖 20 postea *s.l.* 𝔖 21 cum gaudio] gladio *v* ut] et *S* vivere] uiuerit *S* 22 ultor] ultrix *v*, *at cf. Buecheler, Glottae I p. 3 seq., Fraenkel, Gesch. d. gr. Nom. ag. II (Argent. 1912) p. 50 adn. 2* existeret ultor *A* 23 gymnobragmanas sofistas *A* ginnosophistas *C* (*cf. p. 344 A*) Indiae] nationes *s.l.add.Em2* 24 e] a *C* 25 generarit (i *ex* e) *A* mineruę 𝔖 26 femine *A*, *E* (*at* f *m2 p.r.*) semine *S*𝔖 femore *C* fixerit *A* graeciae (e *alt. extersa*) *E* 27 et *s.l.* *A* 28 amaxilides *ES*𝔖, *cf. p. 137 adn. 1* 29 fasmatae *E* (tas *s.* m *add.m2*), *S* phantasmate (f- *A*) 𝔖 *AC* apollinis *S*𝔖, *cf. Thes. II 244,38* 30 partum *ES* uirgis 𝔖

doctrinis. Diodorus Socraticus quinque filias dialecticas insignis pudicitiae habuisse narratur, de quibus et Philo, Carneadis magister, plenissimam scribit historiam. ac ne nobis dominum salvatorem de virgine procreatum Romana exprobraret potentia, aucto|res urbis et gentis suae Ilia vir- 310 A
gine et Marte genitos arbitrantur.

Haec de virginibus saeculi currens per multiplices historias et prope- c. 43
rans sermo perstrinxerit. veniam ad maritas, quae mortuis vel occisis prioribus viris supervivere noluerunt, ne cogerentur secundos nosse concubitos, et quae mire unicos amaverunt maritos; ut sciamus digamian etiam aput ethnicos reprobari. Dido, soror Pygmalionis, multo auri et argenti pondere congregato, Africam navigavit ibique urbem Carthaginem condidit, et cum B
ab Hiarba, rege Libyae, in coniugium peteretur, paulisper distulit nuptias, donec conderet civitatem. nec multo post extructa in memoriam mariti quondam Sychei pira maluit ardere quam nubere. casta mulier Carthaginem condidit, et rursum eadem urbs in castitatis laude finita est. nam Hasdrubalis uxor, capta et incensa urbe, cum se cerneret a Romanis esse C
capiendam, adprehensis ex utroque latere parvulis filiis, in subiectum domus suae devolavit incendium.

Quid loquar Nicerati coniugem, quae inpatiens iniuriae viri, mortem c. 44
sibi ipsa conscivit, ne triginta tyrannorum, quos Lisander victis Athenis inposuerat, libidinem sustineret. Artemesia quoque, uxor Mausoli, insignis pudicitiae fuisse perhibetur. quae cum esset regina Cariae, et nobilium poetarum atque historicorum laudibus prae- D
dicetur, in hoc vel maxime effertur, quod defunctum maritum sic·semper amavit ut vivum, et mirae magnitudinis ac pulchritudinis extruxit sepulcrum in tantum, ut usque hodie omnia sepulcra pretiosa ex nomine eius Mausolaea nuncupentur. Teuta, Illyriorum regina, ut longo tempore viris fortissimis imperaret et Romanos saepe frangeret, miraculo utique meruit castitatis. Indi ut om|nes 311 A
paene barbari uxores plurimas habent. aput eos lex est, ut uxor carissima cum defuncto marito cremetur. hae igitur contendunt inter se de amore viri, et ambitio summa certantium est ac testi-

---

21 Artemesia—27 Mausolaea] Sen. frg. 15; cf. p. 327 seqq. 29 Indi—386 [4] requirit] Sen. frg. inc.; cf. p. 333 seqq.

1 quinque] -v- *A* dialeticas *A* pucitię *A* 3 scribis *A* nobis *om.𝔖* uirginem *ESAa.c.m2* 4 orbis *S* 5 genitos] generis *S* 7 maritatas *𝔖*, *Aa.c.m2*, *Cp.c.* prioribus *om.v* 8 concubitus *Em2*, *𝔖C*; *at cf. Neue, Formenl. d. l. Spr.* I^3 *p. 779* 9 maritos] uiros *C* a. e. etiam *v* 11 in Afr. *v* 12 lybiae *E* 13 extructam *SA* structa *C* memoria *𝔖* 14 pyla *A* 16 capiendam esse *v* 17 ex] ab *v* 20 trig.] XXX *S* uectis *A* 21 Artemes-] *cf. Thes. II 681, 57* 23 hist.] stoicorum *C* praedicaretur *C* 25 ac pulchr. *om.v* 26 sepulcha (*sic*) *S* 27 Mausolaea] *cf. Thieling, Der Hellenismus in Kleinafrica (1911) p. 72* nun*cupạtur (en *s.* a) *A* 28 tempere *Ea.c.* et *om.C* 30 ut] et *Ea.c.*, *S* 31 hae] hac *S* hoççẽ (ec *ut vid.*, *s.* oc *add.m1*) *A* 32 cerantium *Ea.c.m2* testimoniumum (um *alt. eras.*) *E*

monium castitatis dignam morte decerni. itaque victrix in habitu ornatuque pristino iuxta cadaver accubat, amplexans illut et deosculans et suppositos ignes pudicitiae laude contemnens. puto
B quae sic moritur, secundas nuptias non requirit. Alcibiades ille Socraticus victis Atheniensibus fugit ad Pharnabazum, qui accepto pretio a Lysandro, principe Lacedaemoniorum, iussit eum interfici. cumque suffocato caput esset ablatum et missum Lysandro in testimonium caedis expletae, reliqua pars corporis iacebat insepulta. sola igitur concubina contra crudelissimi hostis imperium inter extraneos et inminente discrimine funeri
C iusta persolvit, mori parata pro mortuo, quem vivum dilexerat. imitentur matronae et matronae christianae saltem concubinarum fidem et praestent liberae quod captiva servavit.

c. 45 Strato, regulus Sidonis, manu propria se volens confodere, ne inminentibus Persis ludibrio foret, quorum foedus Aegyptii regis societate neglexerat, retrahebatur formidine, et gladium quem arripuerat, circumspectans hostium pavidus expectabat adventum. quem iam iamque capiendum uxor
D intellegens extorsit acinacem e manu et latus eius transverberavit, conpositoque ex more cadaveri se moriens superiecit, ne post virginalia foedera alterius coitum sustineret. Xenophon in Cyri maioris scribit infantia, occiso Abradate viro, quem Phantia uxor miro amore dilexerat, collocasse se iuxta corpus lacerum et confosso pectore sanguinem suum mariti infu-
E disse vulneribus. iustam causam regis occidendi putavit uxor, quam maritus nudam amico suo et ignorantem monstraverat. iudicavit enim se non amari, quae et alteri posset ostendi. Rhodogune, filia Darii, post mortem viri nutricem, quae illi secundas nuptias suadebat, occidit. Alcestin fabulae ferunt pro
312 A Admeto sponte defunctam | et Paenelopis pudicitia Homeri carmen est. Laodamia quoque poetarum ore cantatur occiso aput Troiam Protesilao noluisse supervivere.

c. 46 Ad Romanas feminas transeam et primam ponam Lucretiam, quae

---

4 Alcibiades—11 dilexerat] Sen. frg. 16; cf. p. 330 seqq. 23 iustam—25 ostendi] Sen. frg. 17; cf. p. 322 seq. 26 Rhodogune—27 occidit] Sen. frg. 18; cf. p. 320 seqq. 27 Alcestin—30 noluisse] Sen. frg. inc.; cf. p. 326 seq. 31 Lucretiam—387 1 pudicitiae] Sen. frg. 19; cf. p. 292

1 digna 𝔰 *A C* decernit 𝔰 2 ca*dauer *E* excubat *S* 3 igne *S* laudem *S* cont.] tempnens (con *add.m2*) *A* 4 requir.it *E* 6 acceptum prętium *S* 7 -feci *ES* 8 in *om.* *C* reliqua] reliq,u *s.* q *A* 10 ĭminĕs discrimen *C* funeris 𝔰 11 iuxta *A* uiuens *C* 12 matronae et *om.C, A* (matrone *add.s.l.m2*) χρι. ṭeanae (*ex* e *priore* i *m2*) *E* saltem christ. *v* 16 formidinem *S* 18 e] e* *E* (*non fuit* ex), et *S*, *om.A*, de *v* manum *A* 20 *K. π. VII 3* 21 miri *Aa.c.m2* 24 ignorante *Ea.c.m2, SA* se ignorante 𝔰 monstrauerauerat *Ea.c.* 25 possit 𝔰 27 persuadebat *v* 29 cantantur *A* 31 nunc feminas *A* primapoènam *S*

violatae pudicitiae nolens supervivere maculam corporis cruore delevit. Duillius qui primus Romae navali certamine triumphavit, Biliam virginem duxit uxorem tantae pudicitiae, ut illo quoque saeculo pro exemplo fuerit, quo inpudicitia monstrum erat, non **B** vitium. is iam senex et trementi corpore in quodam iurgio audivit exprobrari sibi os faetidum, et tristis se domum contulit cumque uxore questus est, quare numquam se monuisset, ut huic vitio mederetur. 'fecissem', inquit illa, 'nisi putassem omnibus viris sic os olere'. laudanda in utroque pudica et nobilis femina, et si ignoravit vitium viri, et si patienter tulit, et quod mari- **C** tus infelicitatem corporis sui non uxoris fastidio, sed maledicto sensit inimici. certe quae secundum ducit maritum, hoc dicere non potest. Marcia, Catonis filia minor, cum quaereretur ab ea, cur post amissum maritum denuo non nuberet, respondit, non se invenire virum qui se magis vellet quam sua. quo dicto eleganter ostendit divitias magis in uxoribus elegi solere quam pudicitiam, et multos non oculis, sed digitis uxores ducere. optima sane res quam avaritia conciliat. eadem cum lugeret virum **D** et matronae ab ea quaererent, quem diem haberet luctus ultimum, ait: 'quem et vitae'. arbitror quae ita virum quaerebat absentem, de secundo matrimonio non cogitabat. Brutus Porciam virginem duxit uxorem, Marciam Cato non virginem; sed Marcia inter Hortensium Catonemque discurrit et sine Catone vivere potuit, Porcia sine Bruto non potuit. magis enim se uni- **E** cis viris adplicant feminae, et nihil aliut nosse magnum artioris indulgentiae vinculum est. Anniam cum propinquus moneret, ut alteri viro nuberet: esse enim ei et aetatem integram et faciem bonam, 'nequaquam', inquit, 'hoc faciam. si enim virum bonum invenero, ut ante habui, nolo timere | ne perdam; si **313 A** malum, quid necesse est post bonum pessimum sustinere.' Porcia minor cum laudaretur aput eam quaedam bene morata, quae secundum habebat maritum, respondit: 'felix et pudica ma-

---

2 Duillius—**13** potest] Sen. frg. 20; cf. p. 60 seqq. **13** Catonis—**18** conciliat] Sen. frg. 22; cf. p. 289 seqq. **18** eadem—**21** cogitabat] Sen. frg. 23; cf. ibid. **21** Brutus—**26** est] Sen. frg. 24; cf. p. 293 seqq. **26** Anniam—**30** sustinere] Sen. frg. 25; cf. p. 289 seqq. **31** Porcia—388 1 nubit] Sen. frg. 26; cf. ibid.

1 uioliuę (*sic*) *S* deleuerit *C* **4** quo] quod *A* **6** exprobari 𝔖 fęnidũ *S* **7** uxori 𝔖*AC* est] esset 𝔖*AC* mouisset *Ea.c.* **9** pudicitia *S* **10** si*ignorauit (c *ut vid. eras.*) *E* **13** non pot. dic. *v* **15** eleganter *om.v* **17** digitis] diuitiis *C*, 𝔖 (vel digitis *s.l.add.m1*) **19** quemrerent (qu *p.r.*) *A* **21** matrimo | trnio *A* non cog. matr. 𝔖 **23** Marciam *EAa.c.*, *S* discurerit *Sa.c.* **24** vivere Marcia *v* unicis (unic *p.r.*) *E* **25** adplicantes 𝔖 **27** enim *om.* 𝔖 et *om.* 𝔖*C* **29** ut ante habui *om.v* **31** Porciam *E* **32** filex *S*

trona numquam praeter semel nubit'. Marcella maior rogata
a matre sua, gauderetne se nupsisse, respondit: 'ita valde ut
amplius nolim'. Valeria Messalarum soror amisso Servio viro
B nulli volebat nubere. quae interrogata cur hoc faceret, ait sibi
semper maritum Servium vivere.

c. 47 Sentio in catalogo feminarum multo me plura dixisse quam exemplo-
rum patitur consuetudo et a lectore erudito iuste posse reprehendi. sed quid
faciam, cum mihi mulieres nostri temporis apostoli ingerant auctoritatem
et necdum elato funere prioris viri memoriter digamiae praecepta decantent?
ut quae christianae pudicitiae despiciunt fidem, discant saltem ab ethnicis
C castitatem. fertur aureolus Theophrasti liber de nuptiis, in quo quaerit,
an vir sapiens ducat uxorem. et cum definisset, si pulcra esset, si bene mo-
rata, si honestis parentibus, si ipse sanus ac dives, sic sapientem inire ali-
quando matrimonium, statim intulit: 'haec autem raro in nuptiis universa
concordant. non est igitur uxor ducenda sapienti. primum enim inpediri
D studia philosophiae nec posse quemquam libris et uxori pariter inservire.
multa esse quae matronarum usibus necessaria sunt, pretiosae vestes, aurum,
gemmae, sumptus, ancillae, suppellex varia, lecticae et esseda deaurata.
dein per totas noctes garrulae conquestiones: „illa ornatior procedit in pu-
blicum", „haec honoratur ab omnibus, ego in conventu feminarum misella
despicior". „cur aspiciebas vicinam?" „quid cum ancillula loquebaris?" „de
E foro veniens quid adtulisti?" non amicum habere possumus, non sodalem.
alterius amorem, suum odium suspicatur. si doctissimus praeceptor in qua-
libet urbium fuerit, nec uxorem relinquere nec cum sarcina ire possumus.
pauperem alere difficile est, divitem ferre tormentum. adde quod
314 A nulla est uxoris electio, sed qualiscumque | obvenerit, habenda. si iracunda,
si fatua, si deformis, si superba, si faetida, quodcumque vitii est, post nup-
tias discimus. equus, asinus, bos, canis et vilissima mancipia, vestes quo-
que et lebetes, sedile ligneum, calix et orceolus fictilis probantur prius et
sic emuntur; sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat quam ducatur.
attendenda semper eius est facies et pulcritudo laudanda, ne si alteram

---

1 Marcella—3 nolim] Sen. frg. 27; cf. ibid. 3 Valeria—5 vivere] Sen. frg. 28; cf. p. 290

1 numquiam *Ea.c.* praeterquam *v* nubet *Aa.c.m2* interrogata *A* 2 se] si *C* nubisse 𝔖 nubsisset *C* 4 nullo *Aa.c.* hoc *om.v* 5 S. viv.] seruire *S* 6 multa (*sic*) *s.l.C* 7 lectorem herodito *S* possem *Sa.r. litterae* m 8 temporis nostri *C* auctoritate *S* 9 decantant *A* 10 ethnis *Ea.c.m2* 11 · aureolus philosophus definiit (definit *Aa.c.*) uxores non debere duci · aureolus *A* 13 cosata (*cf. Thes. IV 414, 45 seqq.*) *post* parentibus *s.l.add.A* aliquando *om.S in fine versus* aliqu. inire *v* 14 in nupt. raro *v* 15 igitur est 𝔖 ig.] ergo *v.* 16 pariter] pater *Sa.c.m2* 17 sint *A* 18 et *om.C* ess. d.] ēē iam de aurata *A* exhedra deaurata *C* 19 deinde *Ea.r.* deiñ *A* totā noctem *A* noctes totas *v* 20 omn.] hominib; *C* mise*lla *E* 25 paupere *S* 26 obven.] venerit *C* 27 uilii *Ea.c.*, *S* 28 aequus *Ea.c.; cf. p. 380* 29 urc- 𝔖*p.c.m2*, *AC* 30 ne] nec *S* 31 est semper eius *C*

aspexeris, se aestimet displicere. vocanda domina, celebrandus natalis eius, B
iurandum per salutem illius, ut sit superstes optandum. honoranda nutrix
eius et gerula, servus paternus et alumnus et formosus adsaecula et procu-
rator calamistratus et in longam securamque libidinem exectus spado; sub
quibus nominibus adulteri delitiscunt. quoscumque illa dilexerit, ingratis
amandi. si totam ei domum regendam commiseris, serviendum est. si C
aliquid tuo arbitrio reservaveris, fidem sibi haberi non putavit et in odium
vertitur ac iurgia, et nisi cito consulueris, parat venena. anus et auri-
fices et hariolos et institores gemmarum sericarumque vestium si intromi-
seris, periculum pudicitiae est, si prohibueris, suspicionis iniuria. verum
quid prodest etiam diligens custodia, cum uxor servari inpudica non possit, D
pudica non debeat? infida enim custos est castitatis necessitas, et illa vere
pudica dicenda est, cui licuit peccare si voluit. pulcra cito adamatur,
foeda facile concupiscit. difficile custoditur quod plures amant. molestum
est possidere quod nemo habere dignetur. minore tamen miseria deformis
habetur quam formosa servatur. nihil tutum est, in quod totius populi vota
suspirant. alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate solli- E
citat. aliquo modo expugnatur, quod undique incessitur. Quod si propter
dispensationem domus et languoris solacia et fugam solitudinis ducuntur
uxores, multo melius servus fidelis dispensat oboediens auctoritati domini
et dispositioni eius obtem|perans, quam uxor quae in eo se aestimat domi- 315 A
nam, si adversus viri faciat voluntatem, id est quod placet, non quod iube-
tur. adsidere autem aegrotanti magis possunt amici et vernaculae be-
neficiis obligati quam illa, quae nobis inputet lacrimas suas et hereditatis
spe vendat inluviem et sollicitudinem iactans languentis animum despera-
tione conturbet. quod si languerit, coaegrotandum est et numquam ab eius B
lectulo recedendum. aut si bona fuerit et suavis uxor, quae tamen rara avis
est, cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. sapiens autem
numquam esse solus potest. habet secum omnes qui sunt quique umquam

---

1 existimet *v* 2 supistis *S; cf. p. 379* 3 patrinus *v compendio* patnus *non intellecto* 4 exectus] secutus *A* 5 illa *om.A* ingr.] gratis *C* 6 dom. reg. ei *C* 7 putabit 𝔰*AC; de usu perfecti cf. Blase apud Landgraf, Hist. Grammatik der latein. Sprache III 1 (1903) p. 171* et] sed *v* 8 uertetur *C* cito *om.C* consuleris *C* parabit *C* 9 instituto . re (s *post* e *s.l.add.m1*) *S* institutores 𝔰*A* que] qae (a *eras.*) *E*, *om.S* 10 verum] uirum *E* 11 custodiã *ES* seruare *Aa.c.* etiam impudica *A* 12 cast.] caritatis *ES* 13 voluit] noluit 𝔰*A* 14 difficile — amant *cf. Publil. M. 18 Meyer* 15 dignatur 𝔰 A minore *C* (*de ortu litterae maiusculae* A *cf. p. 378 adn. 2*) 16 tutum] totum *S* quod] quo 𝔰*AC* 17 facitiis *Ea.c.*, *S* 18 aliquo m.] aliquando 𝔰 aliquo modo vel aliquando *v* 19 solitud.] sollicitudinis 𝔰*C* 20 dispensat] dispensator 𝔰 21 disposit.] dispensationi 𝔰 existimat *v* 23 uernaculi (i *p.r.*) *S* uernulae *AC;* vernaculae *i. q.* vernaculi *vel* vernulae *alias apud Latinos non valet. fortasse ab Hier.* servae *dicuntur, cum* obligati, *quod sequitur, praecipue ad* amici *spectet; at cf. etiam* epist. 14, 3, 2 p. 47, 13 *codd.* 24 imputat *v* 25 vendit *v* 26 conturbat *v* si] ipsa *add.v* 27 recid- *E* red-, ce *s.* ed *S* rarauis (a *s.* au *add.m1*) *S* rarauisa (a *s.* au *add.m1;* a *in* uisa *fortasse m2*) *A; cf. p. 44* 28 torqueamur *S* 29 solus esse *v* que *om.v* umquam *s.l.C*

fuerunt boni, et animum liberum quocumque vult, transfert. quod corpore
non potest, cogitatione conplectitur. et si hominum inopia fuerit, loquetur
C cum deo. numquam minus solus erit quam cum solus fuerit. porro li-
berorum causa uxorem ducere, ut vel nomen nostrum non intereat vel ha-
beamus senectutis praesidia et certis utamur heredibus, stolidissimum est.
quid enim ad nos pertinet recedentes e mundo, si nomine nostro alius non
vocetur, cum et filius non statim patris vocabulum referat et innumerabiles
D sint qui eodem appellentur nomine? aut quae senectutis auxilia sunt nu-
trire domi, qui aut prior te forte moriatur, aut perversissimis moribus sit,
aut certe, cum ad maturam aetatem venerit, tarde ei videaris mori? here-
des autem meliores et certiores sunt amici et propinqui, quos iudicio eligas,
quam quos velis nolis habere cogaris. licet certa hereditas sit, dum advivis,
E bene abuti substantia tua, quam tuo labore quaesita in incertos usus re-
linquere.'

c. 48 Haec et huiusmodi Theophrastus disserens quem non suffundat christia-
norum, quorum conversatio in caelis est, qui cotidie dicunt: 'cupio dissolvi
et esse cum Christo'? heredem nimirum desiderabit hominem coheres Christi?
et optabit liberos nepotumque serie delectabitur, quos forsitan sit occupa-
316 A turus anticristus, cum legamus Moysen et Samuelem filiis suis alios | prae-
tulisse, nec putasse liberos, quos videbant domino displicere? Cicero
rogatus ab Hirtio, ut post repudium Terentiae sororem eius du-
ceret, omnino facere supersedit, dicens non posse se et uxori et
philosophiae pariter operam dare. illa interim coniux egregia
et quae de fontibus Tullianis hauserat sapientiam, nupsit Sal-
lustio inimico eius et tertio Messalae Corvino et quasi per quos-
B dam gradus eloquentiae devoluta est. Socrates Xanthippen et
Miro, neptem Aristidis, duas habebat uxores. quae cum crebro inter se iur-
garent et ille eas inridere esset solitus, quod propter se foedissimum homi-
nem simis naribus, recalva fronte, pilosis umeris et repandis cruribus dis-
ceptarent, novissime verterunt in eum impetum et male mulcatum fugien-
temque diu persecutae sunt. quodam autem tempore cum infinita
C convicia ex superiori loco ingerenti Xantippae restitisset, aqua
perfusus inmunda nihil respondit amplius quam capite deterso:

20 Cicero—26 est] Sen. frg. 8; cf. p. 346 31 quodam—391 1 sequeretur] Sen. frg. 9; cf. p. 342 seq.

2 loquitur *S𝔖A* 3 fuerit] erit *v* 4 ducerem *S* 6 non v.] nominetur *A* 7 cum] eum *S* 8 appellantur *C* enutrire *v* 9 aut perv. m. sit *om.C* sit moribus *v* 10 uenerit aetatem *𝔖* 11 amici sunt *v* eligis *C* deligas *v* 12 | *uelis *S* certior *v; at cf. p. 5* sit her. *𝔖* 13 in *om.A* 15 huiuscemodi *𝔖C* 16 est in caelis *v* *Vulg. Phil. 1, 23* 17 desiderauit *ESC* 18 optauit *SC* seriem *A* delectauitur *S* 20 quos *s.l.S* 21 duc.] daret *𝔖 a.c.m2* 22 et *post* se *om.S* 23 pariter *om.A* opera *S* 24 Tullianis] tolliani *S* hauserit *C* numpsit *E* 25 quasi *om. 𝔖, s.l.add.m2* 27 mironepten *E* -taen *S* miron neptem *𝔖* miro neptem *AC* inter se crebro *𝔖* iungarent *S* iurgarentur *v* 29 semis *SAC* repandis] pandis *Ea.c.* 30 multatum *𝔖C* fugi-] pugi- *A* 32 amplius respondit *𝔖*

'sciebam', inquit, 'futurum ut ista tonitrua imber sequeretur'.

Lucii Syllae, Felicis si non habuisset uxorem, Metella coniux palam erat impudica; et quia novissimi mala nostra discimus, id Athenis cantabatur et Sylla ignorabat, secretaque domus suae primum hostium convicio didicit. Gn. Pompeio Muciam uxorem inpudicam, quam Pontici spadones et Mithridaticae am- D
biebant catervae, cum eum putarent ceteri scientem pati, indicavit in expeditione commilito et victorem totius orbis tristi nuntio consternavit. Marcus Cato Censorius habuit uxorem Artoriam Paulam, humili loco natam, violentam, inpotentem, et quod nemo posset credere, Catoni superbam. hoc ideo, ne quis putet, si pauperem duxerit, satis se concordiae providisse. Philippum, re- E
gem Macedonum, contra quem Demosthenis Philippicae tonant, introeuntem ex more cubiculum uxor exclusit irata. qui exclusus tacuit et iniuriam suam versu tragico consolatus est. Gorgia rhetor librum pulcherrimum de concordia Grecis tunc inter se dissidentibus recitavit Olympiae. cui Melantius inimicus eius: 'hic nobis', inquit, 'de concordia praecipit, qui se et uxorem et ancillulam, tris in una domo, concordare non potuit'. aemulaba|tur quippe uxor eius ancillulae 317 A
pulcritudini et castissimum virum cotidianis iurgiis exagitabat. totae Euripidis tragoediae in mulieres maledicta sunt; unde et Hermione loquitur: 'malarum me mulierum decepere consilia'. in Lepti, urbe semibarbara et posita in solitudine, moris est, ut nurus altera die socrum ollam mutuam postulet. cui illa statim negat, ut sciat illum verum esse Terentii, quod consulte ambigue extulit: 'quid hoc est? omnes socrus oderunt nurus.'

legimus quendam aput Romanos nobilem, cum eum amici arguerent, B
quare uxorem formonsam et castam et divitem repudiasset, protendisse pedem et dixisse eis: 'et hic soccus, quem cernitis, videtur vobis novus et elegans, sed nemo scit praeter me, ubi me premat.' scribit Herodotus, quod mulier cum veste deponat et verecundiam, et noster comicus fortunatum pu-

---

2 Lucii—5 didicit] Sen. frg. 10; cf. p. 56 et 344 5 Gn.—9 consternavit] Sen. frg. 11; cf. p. 347 9 Marcus—12 providisse] Sen. frg. 12; cf. p. 347 seqq. 12 Philippum—15 est] Sen. frg. 13; cf. p. 339 seqq.

1 ista] sta *E*, *Sa.c.m2*; *cf. Neue, Formenl. d. l. Spr. II*^{3} *p. 403* 2 metalla *ES* metella 𝔰*AC* 3 nóuissime *C* 5 Cn. *S* 6 uxorem] suam *add.A* *post* spadones et *iterat verba p. 316 C* aqua perfusus — sequeretur, *pergit* et michriaticę *A* 8 cō | militum *S* urbis *Ea.c.*, *SC* 9 uxorem artoriam *E* (m *s.* rem *add.m2*), 𝔰*C*, *A* (hart-), uxorem martoriam *S* 10 uiolentē 𝔰*A* vinolentam *v* 11 possit *C* catoni* 𝔰 ideo] dico *add.v* 13 libri *s.* philippicę *add.*𝔰*m2* tonat (*praecedit* philippice) *Aa.c.m2* 15 uerso *S*, *Aa.c.m2* consu- *E* conso-*S* 16 tunc *om.A* 18 praecępit *S* ancillam *v* 19 concordiare *Aa.c.* 20 pulchritudinē *C* 22 *'Ανδρ. 930* decip- *ESA* 23 alteram 𝔰*a.c.* 24 mutam *E*, *Sa.c.m2* illa] illam *Ea.c.* scias *v* illud 𝔰*AC*, *at cf. Roensch, Itala u. Vulg.*^{2} *p. 276* 25 consulto *AC* ambigueque *A* extollit *S* *cf. Hec. 201* quid est hoc *v* 28 dixissit *S* uideretur *S* nobis 𝔰 29 *Herod. I 8* 30 *Ter. Adelph. 43*

C tat, qui uxorem numquam duxerit. quid referam Pasiphen, Clytemestras et Eripylas, quarum prima deliciis fluens quippe ut regis uxor, tauri dicitur expetisse concubitus, alia occidisse virum ob amorem adulteri, tertia prodidisse Amphiaraum et saluti viri monile aureum praetulisse. quidquid tragoediae tument et domos urbes regnaque subvertit, uxorum paelicumque contentio est. armantur parentum in liberos ma- D nus, nefandae adponuntur epulae, et propter unius mulierculae raptum Europae atque Asiae decennalia bella confligunt. quasdam repudiatas altero nuptiarum die, statim nupsisse legimus. uterque reprehendendus maritus, et cui tam cito displicuit, et cui tam cito placuit. Epicurus, voluptatis adsertor, quamquam Metrodorus, discipulus eius, Leontion habuit uxorem, raro dicit sapienti ineunda coniugia, quia multa incommoda admixta sint nuptiis. et E quomodo divitiae et honores et corporum sanitates et cetera quae indifferentia nominamus, nec bona nec mala sunt, sed velut in 318 A meditullio | posita usu et eventu vel bona vel mala fiunt, ita et uxores sitas in bonorum malorumque confinio. grave autem esse viro sapienti venire in dubium, utrum malam an bonam ducturus sit. ridicule Chrysippus ducendam uxorem sapienti praecipit, ne Iovem Gamelium et Genethlium violet. isto enim modo aput Latinos ducenda uxor non erit, quia Iovem non habent Nuptialem. quod si deorum, ut putat, nomina vitae hominum praeiudicant, offendet ergo Statorem Iovem, qui libenter sederit. B

c. 49 Scripserunt Aristoteles et Plutarchus et noster Seneca de matrimonio libros, ex quibus et superiora nonnulla sunt et ista quae subiecimus.

amor formae rationis oblivio est et insaniae proximus, foedum minimeque conveniens animo sospiti vitium. turbat consilia, altos et generosos spiritus frangit, a magnis cogitationibus ad humillimas detrahit, que- C rulos iracundos temerarios, dure imperiosos, serviliter blandos, omnibus

---

4 quidquid—7 epulae] Sen. frg. inc.; cf. p. 336 8 repudiatas—11 placuit] Sen. frg. 14; cf. p. 338 seq. 11 Epicurus—19 sit] Sen. frg. 1; cf. p. 349 seqq. 19 ridicule—23 sederit] Sen. frg. 2; cf. p. 353 seqq. 26 amor formae] Sen. fr. 3; cf. p. 109 29 dure imperiosos] cf. p. 115 adn. 1

1 quid] qui *C* -strā* et -lā* *Cp.c.m2* 2 fruens *A* diffluens *v* ut *om.v; cf. p. 68* 3 altera *v* adulteri (i *infra* i *add.m2*) *S* 5 traguediae *Ea.c.*, *S* 8 Europa atque Asia decennali bello *v*; *at cf. p. 66 adn. 1* deennalia *Ea.c.m2* 9 alterū *A* statim *om.A* 11 adsertor (r *prius p.c.*) 𝔖 12 Leontiam *v* habuerit *AC* 13 incom.] commoda *ES* sunt *Ca.c.* 14 cetera* *C* 15 indifferentia] media *add.C* 16 mediotullio (-ulio *S*) *ES* medi‿tullio (-ulio *A*) 𝔖*A* meditullio *Cp.r.*, *cf. p. 350 adn. 1* posita* | su (*ante* su *add.* u *m2*) *S* 18 bonam an malam *v* 19 riculae 𝔖 praecepit *S*𝔖*A* 22 ut putat] inputat 𝔖*a.c.* ut putant* *A* 23 offendit *S* 25 superiora] iam *add.C* subicimus *A* 26 proximū foedus 𝔖 27 sosp. v.] hospitium *C* 28 magnis] malignis *A* humilissimas *A* quęrolus *S* 29 iracundus *S* temerarius *S* duro *S* oms (*i.e.* omnes) 𝔖

inutiles, ipsi novissime amori facit. nam cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plura tempora suspicionibus lacrimis conquestionibus perdit, odium sui facit et ipse novissime odium est. ἐκτόπου amoris insectatio aput Platonem posita est, et omnia eius incommoda Lysias explicat, quod non iudicio, sed furore ducatur et maxime uxorum pulchritudini gravissimus custos accubet. refert praeterea Seneca cognovisse se quen- D dam ornatum hominem, qui exiturus in publicum fascea uxoris pectus alligabat et ne puncto quidem horae praesentia eius carere poterat; potionemque nullam nisi alternis tactam labris vir et uxor hauriebant, alia deinceps non minus inepta facientes, in quae inprovida vis ardentis affectus erumpebat. origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. nihil autem E interest, quam ex honesta causa quis insaniat. unde et Sextus in sententiis: 'adulter est', inquit, 'in | suam uxorem amator ardentior'. 319 A in aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu. regit impetus voluptatis nec praeceps fertur in coitum. nihil est foedius quam uxorem amare quasi adulteram. certe qui dicunt se causa rei publicae et generis humani uxoribus iungi et liberos tollere, imitentur saltem pecudes, et postquam uxorum venter intumuerit, non perdant B filios, nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos. quorundam matrimonia adulteriis cohaeserunt; et, o rem inprobam, idem illis pudicitiam praeceperunt qui abstulerant. itaque cito eiusmodi nuptias satietas solvit. cum primum lenocinium libidinis abscessit timor, quod licebat eviluit. 'nam quid,' ait Seneca, 'de viris pauperibus dicam, quorum in nomen mariti et ad eludendas leges, quae contra caelibes datae sunt, pars magna conducitur? quomodo potest regere mores et praecipere castitatem et C mariti auctoritatem tenere qui nupsit?' doctissimi viri vox est pudicitiam inprimis esse retinendam, qua amissa omnis virtus

---

5 et—6 accubet] cf. p. 109 seq. 6 cognovisse—13 insaniat] Sen. frg. 4; cf. p. 357 seqq. 15 in—18 adulteram] Sen. frg. 5; cf. p. 360 seq. 21 quorundam—25 eviluit] Sen. frg. 6; cf. p. 361 seq. 25 nam—29 nupsit] Sen. frg. 7; cf. p. 188 seqq. 30 pudicitiam—394 16 infixit] Sen. frg. 29; cf. p. 362 seqq.

3 odium] sibi odio *v* ἐκτόπου] *de E et S rettuli p. 112*, tota *𝔖ACv* 4 exposita *v* incomodola *S* 5 dicatur *S* 6 accupit *S* accũbet *A* 8 colligabat *Av* 9 alternatis *C* 11 effectus *ES* e∗rũpebat *𝔖* 13 exsextus *E* (t *s.* x *pr.add.m1*) *Sa.c.m2* et Xystus *v* 14 *Sext. 231 Elter* est *om.C* 15 uxorem *Sa.r.* suã *𝔖* 16 vir *om.A* iudiciũ *S* reget *EA, Sp.c.m2* 17 feretur *Ea.c.* (*m2?*) in] ad *A* 19 lib. t.] filios tolerare *A* iṇmitentur *𝔖* 21 amatores (-es *p.r.*) *A* uxoribus se *v* exhibent *Ea.c.* 23 illi (*ras.s.* i *alt.*) *C* pudiciã *Aa.c.m2* 25 timor *om.v* libebat *v* 26 quorum] quorundã *A* et *om.v* ludendas *S* deludendas *AC* 27 latae *AC* cond.] cũ d. *C* 29 doctissimi∗∗∗uiri *S* uox (ox *p.r. litt. trium*) *E* uxor *A* 30 quam *Ea.c.m2, S* amissã *S*

ruit. in hac muliebrium virtutum principatus est. haec pauperem commendat, divitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram; bene meretur de maioribus, quorum sanguinem fur-
320 A tiva subole non vitiat; bene de liberis, quibus nec de | matre erubescendum nec de patre dubitandum est; bene inprimis de se, quam a contumelia externi corporis vindicat. captivitatis nulla maior calamitas est quam aliena libidine trahi. viros consulatus inlustrat, eloquentia in nomen aeternum effert, militaris gloria triumphusque novae gentis consecrat; multa sunt quae per se clara ingenia nobilitent: mulieris proprie virtus pudi-
B citia est. haec Lucretiam Bruto aequavit, nescias an et praetulerit, quoniam Brutus non posse servire a femina didicit. haec aequavit Corneliam Gracco, haec Porciam alteri Bruto. notior est marito suo Tanaquil: illum inter multa regum nomina iam abscondit antiquitas, hanc rara inter feminas virtus altius saeculorum omnium memoriae, quam ut excidere possit, infixit.

imitentur ergo nuptae Theanun, Cleobulinam, Gorgun, Timocliam, Claudias
C atque Cornelias, et cum apostolum malis mulieribus digamiam viderint ignoscentem, legant, antequam religio nostra fulgeret in mundo, unicubas semper habuisse inter matronas decus, per illas Fortunae muliebri sacra fieri solitum, nullum sacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum; hieropantas quoque Atheniensium usque hodie cicutae sorbitione castrari, et postquam in pontificatum fuerint adlecti, viros esse desinere.

---

3 pulchrum *ESȝ* sanguine *A* 4 vitiat] uitia *ES* 5 erubisc- *S*, *cf. p. 389, 5* delitisc- *ES; Lindsay-Nohl, Die l. Spr. p. 552* 6 se] re *C* 7 quam] ad *add. AC* alienam libidinem *ESAC* trahi (rah *p.r.*) *E* cons.—aeternum *ȝ in marg.* 8 eeloqu- *S* in *om. C* 9 triūphosq:* *ȝ* 10 per se cl.] praeclara *v* mulieres *Ea.c.m2* muliebris *AC* propriae *Ea.c.m2*, *SAC* -rie *ȝ* virtus proprie *v* 11 nescia*s *E* et *om. A* 12 seruare *A* 14 illum *om. A* iam] tam *S* 15 saculorum *Ea.c.* 16 omnius *Ea.c.* ut *om. ȝ* exce- *SC* 17 nuptiae *ȝ* theanum *ESȝAC* timocli*am *E* 18 apostolo(**)ma**s (*sic*) *S* uiderent *S* 20 muliebria *ȝ* muliebris *C* sacra fieri) sacra fieri *S* 22 posquam *E*

APPENDIX

ERVDITIO SAECVLARIS LIBRI II *ADVERSVS IOVINIANVM*

329 C

Tandem pervenimus ad cibos et tertiae quaestionis nobis opponitur c. 5
difficultas: 'ad hoc esse creata omnia, ut usui mortalium deservirent. et
quomodo homo, rationale animal, quasi quidam habitator et possessor mundi D
deo subiacet et suum veneratur auctorem, ita cuncta animantia aut in cibos
hominum aut in vestitum aut ad scindendam terram aut ad subvectionem
frugum et ipsius hominis creata'. 'unde et iumenta ab eo quod iuvent ap-
pellentur'. "quid est," inquit, "homo", 'David', "quod memor es eius,
aut filius hominis, quoniam visitas eum? minorasti eum paulo minus ab E
angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera ma-
nuum tuarum. omnia subiecisti sub pedibus eius, oves | et boves, universa 330 A
insuper et pecora campi, volucres caeli et pisces maris, qui perambulant se-
mitas maris." 'esto,' inquit, 'bos ad arandum, ad sedendum equus, canis
ad servandum, caprae ad lac, oves ad lanitia conditae sint: quis usus por-
corum absque esu carnium? quid capreae cervi dammulae apri lepores et
huiuscemodi venatio? quid anseres silvestres et domestici? quid anates?

---

c. 5] de loco quem expositio tertia Ioviniani in toto eius opere habuit, cf. Haller, *Iovin.* p. 20 seqq. 6 unde—appellentur] Isid. *orig.* XII 1, 7 *unde et iumenta appellantur ab eo, quod iuvent homines.* Colum. VI praef. 3 *unde etiam iumenta ... nomen a re traxere, quod nostrum laborem ... iuvarent.* 7 quid —12 maris] *psalm.* 8, 5—9. 12 esto *eqs.*] cf. Cic. *de nat. d.* II 37 *animantes ... hominum* (*causa esse generatos*) *ut equum vehendi causa, arandi bovem, venandi et custodiendi canem.* ibid. 158 *quid enim oves aliud adferunt, nisi ut ... homines vestiantur?* 160 *sus vero quid habet praeter escam? ... quid multitudinem suavitatemque piscium dicam? quid avium?* *de off.* I 22. Hieronymo Iovinianum reddenti fortasse etiam in mentem venit Porph. *περὶ ἀπ. ἐμψ.* III 20 p. 209, 18 N. *συμπολεμεῖν μὲν ἵππους καὶ συνθηρεύειν κύνας ... ἡ δὲ ὗς ... ὅπως δὲ ζωμοῦ καὶ παραδειπνίων ἀφθονίαν ἔχωμεν, ὄστρεα τε παντοδαπὰ καὶ πορφύρας καὶ ἀκαλήφας καὶ γένη πτηνῶν ποικίλα παρεσκεύασεν* (ὁ θεός). ibid. p. 210, 8 *ἡ δὲ ὗς φύσει γέγονε πρὸς τὸ σφαγῆναι καὶ καταβρωθῆναι.* I 14 p. 97, 17.

2 creata esse *v* 5 scidendam *S* ad (*post* terram aut) *om. A* subiectionem *ES* 6 et] aut *A* hominis] esse *add. C* iubent *ES* appellantur *C* 7 est] enim *C* inq. h. D.] ait David homo *v. ad* inquit *intellege* Iovinianus, *alterum* inquit *ad* David *ponendum suppressit* 8 minuisti *v* 10 uniuersas *E𝔖AC* 13 lanitiē 𝔖 lanitię *Aa.c.m2* sunt 𝔖*C* qui 𝔖 quid *AC* 14 esum *S* usu *C* caprę *C* 15 siluestri *S* anates] arietes *C*

B quid ficedulae? quid attagen? quid fulica? quid turdus? cur in domibus
gallina discurrit? si non comeduntur, haec omnia frustra a deo creata sunt.'
'verum quid opus est argumentis, cum manifeste Scriptura doceat, omne
quod movetur sicut holera herbarum, data nobis in escam, et apostolus cla-
mitet: "omnia munda mundis", et "nihil reiciendum quod cum gratiarum
C actione percipitur", et "venturos in novissimo, qui prohibeant nubere et
vesci cibis, quos deus creavit ad utendum." 'ipse dominus vini potator
et vorator a Farisaeis appellatur, publicanorum conviva et peccatorum, Zachei
prandium non recusans, vadens ad nuptiarum epulas.' 'porro aliut est, si
stulta contentione dicitis, eum isse ad prandium ieiunaturum et inpostorum
more dixisse: "hoc comedo, illud non comedo; nolo vinum bibere quod ex
D aquis creavi"? 'in typo sanguinis sui non optulit aquam, sed vinum'.
'post resurrectionem piscem et favum comedit, non sisama, nuces et sorbi-
tiunculas.' 'Petrus apostolus non expectat stellam more Iudaico, sed hora
sexta in solarium pransurus ascendit.' 'Paulus in navi panem frangit, non
caricas'. 'Timotheo dolenti stomachum, vinum suadet bibere, non piracium'.
E 'de ciborum sibi placent abstinentia, quasi non et superstitio genti-
lium castum Matris deum observet et Isidis.'

c. 6 Sequar igitur vestigia propositionis | expositae et antequam ad Scrip-
331 A turas veniam doceamque ex eis deo grata ieiunia et acceptabilem continen-
tiam, argumentis philosophorum argumenta conponam, et probabo non Em-
pedocli et Pythagorae nos dogma sectari, qui propter *μετεμψύχωσιν* omne quod
movetur et vivit, edendum non putant et eiusdem criminis reos arbitrantur,

---

3 Scriptura] *gen.* 9, 3. 5 omnia *eqs.*] *Tit.* 1, 15 (*Rom.* 14, 20). nihil *eqs.*] *I Tim.* 4, 4. 6 venturos *eqs.*] *I Tim.* 4, 1 et 3; *II Petr.* 3, 3. 7 ipse—8 peccatorum] *Matth.* 11, 19; *Luc.* 7, 34. Zachei *eqs.*] *Luc.* 19. 9 vadens *eqs.*] *Ioh.* 2. 12 in typo *eqs.*] *Luc.* 22, 20. 13 post res. *eqs.*] *Luc.* 24, 42. 14 Petrus *eqs.*] *act.* 10, 9—10. 15 Paulus *eqs.*] *act.* 27, 35. 16 Timotheo *eqs.*] *I Tim.* 5, 23. 18 castum *eqs.*] cf. II 17 p. 354 A; *epist.* 107, 10, 2 p. 301, 9 H.; Tert. *de ieiun.* 16 p. 296, 8 Vind. *nostris xerophagiis blasphemias ingerens casto Isidis et Cybeles eas adaequas.* (Wissowa, *Realenc.* III 1780 et *Relig. und K.*[2] p. 301 adn. 7). 19 c. 6] providentiae legem, qua deus in usum hominum cuncta creaverit, non laedi philosophorum ab animalium esu abstinentia demonstrat. Porphyrii praeter incertiora respiciuntur I 3; 6; 20; 27. 21 Emp. et P.] cf. Porph. I 3 p. 87, 8 *Πυθαγόρου καὶ Ἐμπεδοκλέους* (III 6 p. 195, 3). I 1 p. 85, 11; II 28 p. 158, 5. iterat Hier. c. 7 p. 336 B. 22 *μετεμψ.*] cf. Porph. IV 16 p. 254, 3.

1 ficidulae *ES* ficetulae *A; cf. infra p. 401, 10* adtagenę *A* filica *ES* 2 discurret *S* 3 scriptor *S* 4 esca *ES* clamet *A* 6 uenturus *S* quid prohibea*t (n *eras.*) *S* 7 dom.] ds̄ (*i.e.* deus) 𝔖 potatur *Ea.c.* putatur *S* 8 appellatur] et *add.v* et pecc. con. *C* 10 dicetis 𝔖 11 uino *S* 12 aquam solam *C* 13 sisana (n *p.r·m2*) *S* sesama *A* 16 caritas 𝔖, *A* (*ut vid.*) 17 sibi] si *A* placent** *C* abstinentiam (-ā *A*) *E, Sa. r., A* 18 et *ante* Is. *erasum in C* 19 ig.] ergo *v* propositionis] et expositionis *add.C* 20 deo *om.A* 21 argumenta *om.C* Empedoclis *v, cf. Neue, Formenl. d. l. Spr.*[3] *I 510* 22 pita- *E* *μετεμψυχωσιν recte EA, mendose S*𝔖*C* 23 et (*post* putant)] ut *S* eiudem *Sa.c.m2* eosdē *A*

qui abietem quercumque succiderint, cuius parricidae sunt et venefici, sed venerari conditorem nostrum, qui in usus hominum cuncta generavit. **B** et quomodo bos ad arandum, ad sedendum equi, canis ad servandum, caprae ad lac, oves ad lanitia conditae sunt, ita sues et cervos et capreas et lepores et cetera huiuscemodi non statim ad comedendum creata esse, sed in alios usus hominum. si enim omne quod movetur et vivit, ad vescendum factum est et praeparatum gulae, respondeat mihi, cur elefanti, cur leones **C** ursi leopardi lupi, cur viperae scorpii cimices culices pulicesque, cur vultur aquila corvus accipiter, cur caeti delfines focae minutaeque cocleolae conditae sint? quis nostrum leonem, quis viperam, quis vulturem, quis ciconiam, quis milvum, quis reptantes in litoribus vermiculos umquam comedit?

sicut igitur haec proprios usus habent, ita possumus dicere et ceteras bestias pisces aves non ad esum, sed ad medicinam creatas. denique carnes **D** viperae, unde theriaca conficitur, quantis rebus aptae sint, norunt medici.

---

1 abietem quercumque] Porph. I 6 p. 89, 12 *τί γὰρ μᾶλλον ὁ βοῦν ἀποσφάττων καὶ πρόβατον ἀδικεῖ τοῦ κόπτοντος ἐλάτην ἢ δρῦν;* 2 in usus hominum *eqs.*] cf. Porph. III 20 p. 209, 15 *ἡμᾶς αὐτῶν καὶ ἀλλήλων οἱ θεοὶ χάριν ἐποιήσαντο, ἡμῶν δὲ τὰ ζῷα.* II 12 p. 142, 15 *εἰ δὲ λέγοι τις ὅτι οὐχ ἧττον τῶν καρπῶν καὶ τὰ ζῷα ἡμῖν ὁ θεὸς εἰς χρῆσιν δέδωκεν.* 6 si enim *eqs.*] cf. Porph. III 20 p. 210, 10 *καὶ μὴν εἰ πρὸς ἀνθρώπων χρῆσιν ὁ θεὸς μεμηχάνηται τὰ ζῷα, τί χρησόμεθα μυίαις, ἐμπίσι, νυκτερίσιν, κανθάροις, σκορπίοις, ἐχίδναις; . . . φαλαίνας τε καὶ πρίστεις καὶ τὰ ἄλλα κήτη . . . τί οὐκ ἐδίδαξεν ἡμᾶς ὁ δημιουργὸς ὅπῃ χρήσιμα τῇ φύσει γέγονεν;* Carneadis adversus Chrysippum argumentum in excerptis Plutarcheis Porphyrii sic mutavit, ut de esu animalium loqueretur, ubi ille de usu locutus est. 10 quis nostrum *eqs.*] cf. Porph. IV 14 p. 251, 20 *πολλῶν ἀπεχόμεθα, οἷον σαυρῶν, σκωλήκων, μυῶν, ὄφεων, κυνῶν.* 13 ad medicinam *eqs.*] argumentum stoicum est; Chrysippus cimices, sim. in hominum usum creatos esse declamavit (cf. Arnim, *st. v. frg.* II p. 332 seqq.; Zeller III 1^4 p. 175 seqq.); de medicina cf. Lact. *de ira dei* 13 p. 101, 15 *aiunt* (*stoici*) . . . *multa esse in gignentibus et in numero animalium quorum adhuc lateat utilitas . . . quae tandem utilitas potest in muribus, in blattis, in serpentibus reperiri . . .? an medicina in his aliqua latet?* cum Porphyrio nihil commune est Hieronymo pythagoricam abstinentiam stoico argumento ineptissimo defendenti; pendet tamen ab ethnico auctore, puto a Chaeremone, de quo v. p. 86 seq. et passim infra. ceterum singularum rerum medicarum notitiam H. suis ipsius studiis debet; de christianis artem medicinam magnopere foventibus cf. Harnack, *Medizinisches aus der ältesten Kirchengeschichte* (*Texte u. Unters.* VIII 4), qui p. 58 seqq. hoc caput vernacule vertit. cf. etiam Plin. *nat.* XXVII 146 *rerum parens nullum animal ad hoc tantum, ut pasceretur aut alia satiaret, nasci voluit artesque salutares inseruit.* 14 theriaca] cf. Galen. *ὑγιεινῶν* V 6 t. VI p. 341 K.; Plin. *nat.* XX 264; XXIX 24 et 70; Scrib. Larg. 163; Tert. *de anima* 24 p. 338, 12 et *scorp.* 1 p. 146, 16.

1 cuius] et *add.A* 2 nostrorum 𝔖 creauit *A* 3 equus ad sedendum *v* canes *Sm2*, 𝔖*AC* capreę *A* 4 ouis *Sa.c.m2* lanitiẽ *A* lacinia *C* capraeas *E* capr*as 𝔖 capās *A* 5 huiusmodi 𝔖*a.c.*, *C* huiuscemodi] sed illa *v* 6 omnẽ *S* 7 respondeant *AC* 8 culices *om.E*𝔖*AC, cf. in Ioel 2, 21 t. VI p. 198 D* et pulices et culices et cimices 9 coetę *A* cęte *C, cf. Thes. III 975, 80 et 976, 20* foces (-s *deleta* 𝔖*A*) *E*𝔖*A* 10 sunt 𝔖 11 muium *ES* miuum 𝔖*a.c.* comederit *C* 13 medicinas 𝔖

segmenta eboris in medellas varias adsumuntur. fel hyenae oculorum restituit claritatem, stercus eius et canum putrida curat vulnera. et quod forsitan legenti mirum sit, hominum fimus quantis curationibus proficiat, 332 A Galenus in ἁπλοῖς docet. aiunt | physici quod pellis colubri, qua exuitur, decocta in oleo, mire dolorem aurium mitiget. quid ita inutile videtur nescientibus ut cimices? si sanguisuga faucibus haeserit, fumo eius excepto statim evomitur, et difficultas urinae huius adpositione laxatur. porcorum autem et anserum et gallinarum fasianorumque adipes quid commodi habeant, omnes medicorum declarant libri. quod si legeris, videbis tot cu- B rationes in vulture esse quot membra sunt. pavi fimus podagrae fervorem mitigat. grues, ciconiae, fel aquilae, sanguis accipitris, struthocamelus, ranae, cameleontes, hirundinis stercus et carnes, quibus morbis aptae sint, dicerem, si mihi propositum esset de medella corporum disputare. legat qui vult Aristotelen et Theophrastum prosa, Marcellum Sideten et nostrum Flavum C exametris versibus disserentes, Plinium quoque Secundum et Dioscoridem et ceteros tam physicos quam medicos, qui nullam herbam, nullum lapidem, nullum animal, tam reptile quam volatile et natatile non ad suae artis utilitatem referunt. igitur cum mihi dixeris: 'cur porcus creatus est?', statim tibi respondebo puerorum more certantium: 'cur viperae, cur scorpii?' nec deum superfluorum iudicabis artificem, quia plurimae et bestiae et volucres sunt, quas tuae fauces recusent. sed ne contentiosum hoc et pugnax magis D videatur esse quam verum, audi, idcirco sues et apros et cervos et reliquas

---

1 segm. eb.] cf. Plin. *nat.* XXVIII 88. fel—4 docet] Galen. *περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμ. κτλ.* X 13 t. XII p. 276 seq. K. *ὅταν μὲν γὰρ τῶν εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς χρησίμων φαρμάκων σκευάζουσιν, ὑαίνης (χολὴν) κτλ.* ibid. 19 p. 292 *τούτων μὲν οὖν τῶν δύο χρήσεων τῆς κυνείας κόπρου πάνυ πολλὴν ἔχω πεῖραν ὡς θαυμαστοῦ φαρμάκου, καθάπερ καὶ τῆς ἐπὶ τῶν κακοηθεστάτων ἑλκῶν.* ibid. 20 p. 293 seqq. *τῆς ἀνθρωπείας κόπρου τοιάνδε τινὰ πεῖραν ἔχω. κτλ.* 4 pellis colubri *eqs.*] cf. Plin. *nat.* XXVIII 173 seqq. et XXIX 137 seqq. cum locis a Mayhoff adnotatis. 5 quid—7 laxatur] ibid. XXIX 61 seqq. *cimicum, animalis foedissimi . . . suffitu eorum abigere sanguisugas adhaerentes . . . et in stranguria fistulae inposuere. adeo nihil parens illa rerum omnium sine ingentibus causis genuit.* 8 adipes] ibid. XXVIII 135 seqq.; XXIX 134; al. (Thes. l. l. I 631, 11 seqq.). 10 vulture] ibid. XXIX 77; 112; 123; XXX 30; al. pavi f.] ibid. XXIX 124. 14 Aristotelen—15 Dioscoridem] ipse inspexit praeter Flavum, de quo v. *de vir. ill.* 80, opus medicum excerptis refertum Plinianis diversum ab eo quod edidit Rose 1875. Dioscoridem alibi non laudat (cf. Luebeck, *Hier.* p. 100). 19 cur viperae, cur scorpii] cf. Porph. I 20 p. 100, 11 *ὄφιν μὲν οὖν καὶ σκορπίον.* II 25 p. 154, 7 *ὄφεις καὶ σκορπίους.*

1 oculo *A* 2 Sstercus (*sic*) *C* et stercus *v* 3 sit] sic *S* hominis *C* 4 *απλοις recte EAC* qua] quae *𝔖C* 6 eius] *i.e.* animalis, *cf. Plin. nat. XXIX 61* cimicum, animalis foedissimi 8 *fas- (m *eras.*) *E* fasianar- *𝔖* 9 quod] quos *𝔖* 10 esse in vulture *v* quod *E*, *𝔖a.c.m2* 11 strucii cameli* *C* 13 quid *Sa.r.* 14 prosam marcelli sideten *C* flauum *ES𝔖A* flaccū *C* Flavium *v* 17 natalite *𝔖a.c.m2* natatile] reliquit qd' *s.l.add. Am2* 18 refferant (e *s.* a *add.m2*)*A* 19 uipera *𝔖* 21 pugnas *A*

animantis creatas, ut milites, athletae, nautae, rhetores metallorumque fossores et ceteri duro operi mancipati haberent cibos, quibus fortitudo corporum necessaria est, qui portant arma et cibaria, qui pugnis et calcibus sua
invicem membra debilitant, qui remos | trahunt, quorum latera ad claman- 333 A
dum dicendumque sunt valida, qui subvertunt montes et sub sudo et imbribus dormiunt. ceterum nostra religio non pycten, non athletam, non nautas, non milites, non fossores, sed sapientiae erudit sectatorem, qui se dei cultui dedicavit et scit, cur creatus sit, cur versetur in mundo, quo abire festinet. unde et apostolus loquitur: 'quando infirmor, tunc fortior sum'
et 'si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in B
diem' et 'cupio dissolvi et esse cum Christo', et 'carnis curam ne feceritis in desideriis.' numquid omnibus praeceptum est, ne duas tunicas habeant, ne cibos in pera, aes in zona, virgam in manu, calciamenta in pedibus? ut vendant universa quae possident, dentque pauperibus et sequantur Iesum?
sed his utique qui volunt esse perfecti. alioquin ab Iohanne Baptista aliut C
militibus, aliut praecipitur publicanis. dominus autem dicit in evangelio ad eum, qui se iactaverat Legis universa conplesse: 'si vis perfectus esse, vade

---

1 milites—9 festinet] mixtum ex Porph. et Tert.: I 27 p. 104, 17 *πρῶτον μὲν τοίνυν ἰστέον ὡς οὐ παντὶ τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων ὁ λόγος μου τὴν παραίνεσιν οἴσει· οὔτε γὰρ τοῖς τὰς βαναύσους τέχνας μετερχομένοις, οὔτ' ἀθληταῖς σωμάτων, οὐ στρατιώταις, οὐ ναύταις, οὐ ῥήτορσιν* (*θηράτορσιν* Nauck Hieronymi usum Porphyrii nesciens, quem non magis scivit Schoene, *Die Weltchronik des Eusebius,* 1900, p. 154 seqq. in Hier. pro *rhetores* proponens *apparitores*), *οὐ τοῖς τὸν πραγματικὸν βίον ἐπανελομένοις· ἀνθρώπῳ δὲ λελογισμένῳ, τίς τέ ἐστιν καὶ πόθεν ἐλήλυθεν ποῖ τε σπεύδειν ὀφείλει.* II 3 p. 133, 19 *ἥ τε ἀποχὴ τῶν ἐμψύχων, καθάπερ κἀν τῷ πρώτῳ ἐλέγομεν, οὐχ ἁπλῶς πᾶσιν ἀνθρώποις παραγγέλλεται, ἀλλὰ τοῖς φιλοσόφοις.* ibid. 4 p. 134, 10 *καὶ εἴ τισι βρωτέον, οἷον ἀθληταῖς καὶ στρατιώταις καὶ τοῖς διὰ σώματος τὴν ἐργασίαν ποιουμένοις.* IV 5 p. 235, 16. *de ieiun.* 17 p. 297, 18 *saginentur pugiles et pyctae* (latine scriptum in codd. itemque *pycten* in Hier., ubi male *πύκτην* Vall.) *Olympici. illis ambitio corporis competit, quibus et vires necessariae.* cf. c. 11 p. 341 C. 9 quando *eqs.*] *II Cor.* 12, 10. 10 si exterior *eqs.*] *II Cor.* 4, 16. 11 cupio *eqs.*] *Phil.* 1, 23. carnis *eqs.*] *Rom.* 13, 14. 12 ne—13 pedibus] *Matth.* 10, 9—10; *Marc.* 6, 8—9; *Luc.* 9, 3 et 10, 4. cf. Spitta, *Das Verbot von Schuhen und Stöcken für die Sendboten Jesu, Zeitschr. f. wiss. Theol.* t. LV (1914) p. 39 seqq. ut vendant—14 Iesum] *Matth.* 19, 21. 15 ab Ioh. B.] *Luc.* 3, 12—14. 17 si vis—400 1 me] *Matth.* 19, 21: hoc verbum post Athanasium (*βίος . . . Ἀντωνίου* 2 t. 26, 842 C Migne *εἰ θέλεις τέλειος εἶναι*) ut vitae asceticae rationem summam adhibet etiam *epist.* 14, 6, 4 p. 53, 4; 79, 4, 1 p. 91, 13; *c. Vigil.* 15 t. II p. 399 D. pythagorei quoque tantum perfectis ascesin plenam imponunt, cf. Reitzenstein, *Des Athan. Werk über das Leben des Ant., Sitzungsb. der Heidelb. Ak.* 1914, 8 p. 59.

1 milites et *C* 4 inuice 𝔖 5 sudo *𝔖m2p.r.* sole *C* 6 athletas *A* 7 sapientiaherudit *S* 8 et (*ante* scit) *om.S* quo et abire *S* quo**abire 𝔖 10 n̄r̄ homo *A* 12 ne] ut *C* 13 in pera] impera *E* calciamentum (-ti- *A*) *AC* 14 ih̄m̄ *ES𝔖AC, at cf. Traube, Nomina sacra p. 150* 15 Iohannem *Sa.r.* aliud praecipitur militibus, aliud *v* 17 Legis *deest in S initio folii mutili* uade et *C*

vende omnia quae habes et da pauperibus et veni sequere me.' ne grave onus nolenti videretur inponere, in propria audientis voluntate dimisit dicens: 'si vis perfectus esse.' quam ob rem et ego tibi dicam: si vis per-
D fectus esse, bonum est vinum non bibere et carnem non manducare; si vis perfectus esse, melius est animam saginare quam corpus. si autem adhuc parvulus es et cocorum te iura delectant, nemo eripit faucibus tuis esculentas dapes. manduca et bibe et si tibi placet, cum Israhele lude consurgens et canito: 'manducemus et bibamus, cras enim moriemur.' manducet et bibat qui post cibos expectat interitum; qui cum Epicuro dicit: 'post
E mortem nihil est et mors ipsa nihil est.' nos Paulo credimus intonanti: 'esca ventri et venter escis. deus autem et hunc et illa destruet.'

c. 7 Haec pauca de Scripturis, ut congruere nostra cum philosophis doceremus. ceterum quis ignoret unamquamque gentem non communi lege na-
334 A turae, sed his, quorum aput se copia est, vesci solitam. verbi gratia Arabes et Saraceni et omnis heremi barbaria camelorum lacte vivit et carni-

---

8 manducemus *eqs.*] *Is.* 22, 13; *I Cor.* 15, 32. imitatur Tertullianum *de ieiun.* 17 p. 297, 7 *cur ergo non constanter praedicatis: 'manducemus — moriemur'?* 9 Epicuro] *κ. δ.* II p. 71 Vs.; sententiam *in Is.* 22, 12/14 t. IV p. 317 A iteratam aut ex usu scholastico (cf. Lammert, *De Hier. Donati discipulo* p. 58) aut ex vetustioribus christianis novit; testimonia plurima eius praebet Vsener, *Epic.* p. 395. 11 esca *eqs.*] *I Cor.* 6, 13. 12 c. 7] ut lege naturae esum carnium non flagitari efficiat, locum communem tractat de nationum in esu, sepulturis, conubiis varietate, quo in diversis argumentis stoici usi sunt ut Chrysippus (cf. Zeller III 1[4] p. 289 adn. 1), sceptici ut Carneades (cf. Boll, *Studien über Claud. Ptolem., Jahrb. f. kl. Phil., Suppl.* XXI, 1894, p. 181 seqq.; Sext. Emp. *ὑποτυπ.* III 198 seqq. t. I p. 187 seqq. Mutsch.), christiani et gnostici ut Ps.-Clem. *recogn.* IX 19 seqq. t. I p. 1409 B seqq. Migne, Tatianus *πρὸς Ἕλλ.* 28 p. 29 Schw. (cf. Geffcken, *Zwei gr. Apol.* p. 110), Eusebius *εὐαγγ. προπ.* I 4, 6 seqq. p. 11 b seqq., Ps.-Bardesanes, *Buch der Gesetze der Länder* (Merx, *Bardes.* eqs., 1863, p. 25 seqq.). Hier. nonnulla tantum ex Porph. delibavit, cuius imprimis IV 21 exhausit; alter auctor graecus ei aderat (cf. ad 401, 11), suspicor Chaeremo stoicus (cf. ad 403, 12), cuius opus Aegyptiacum, de quo cf. Bernays, *Theophr.* p. 21 et 150, Schwartz, *Realenc.* III 2026 seq., Boertzler, *Porph.' Schrift von den Götterbildern* (diss. Erlang. 1903) p. 41, Bousset, *Gött. Anz.* CLXXVI (1914) p. 751 seq., ab hoc argumento non abhorruit. quod opus maxime cum Hecataei Abderitae opere Aegyptiaco compono. usos autem esse christianos doctos scholae Alexandrinae catecheticae Chaeremonis libris, testatur Porphyrii vox de Origene apud Euseb. *ἐκκλ. ἱστ.* VI 19, 8 p. 560 Sch. *ἐχρῆτο δὲ καὶ Χαιρήμονος τοῦ Στωικοῦ . . . ταῖς βίβλοις.* quaedam Hier. non hausit ex litteris. 15 camelorum *eqs.*] cf. Porph. I 14 p. 97, 27 *τῷ μηδ' ἂν ἡμᾶς ἐθελῆσαι καμήλεια ἐσθίειν.* de carnis esu camelorum et asinorum v. Galen. *περὶ τροφῶν δυνάμεως* I 2 t. VI

1 uinde (uinde om- *p.r.*) *E* uende *om.𝔖, s.l.add.m2* et da pauperibus *om.S* 2 uoluntatis *Ea.c.* demisit (e *ex* is) *E* 5 est *om.A* anima *S* saginare animam *v* autem *om.C* adhuc *om.v* 6 est *S a.r.* iura te *v* 7 et consurgens canito *𝔖* 9 cibũ *A* 10 credemus *S* 11 et hunc *bis ponit 𝔖* illã *𝔖A* illas *C* 12 Scripturis] diximus *s.l. add.Cm2* haec autem de Scripturis pauca posuimus *v* congrue *C* 13 ignoret et *A* 14 copia] quo pia *𝔖a.c.m2* sol*itã *𝔖* 15 eremi *v, cf. Leo, ed. Ven. Fort. (1881) p. 402* barbari *A* uiuunt *A* et carnibus vivit *v*

bus, quia huiuscemodi animal pro temperie et sterilitate regionum facile
aput eos et gignitur et nutritur. hi nefas arbitrantur porcorum vesci car-
nibus. sues enim qui glande castaneis radicibus filicum et hordeo ali so-
lent, aut raro aput eos aut penitus non inveniuntur; et si inventi fuerint,
alimenta non habent, quae supra diximus. e regione septemtrionales po- B
pulos si ad esum asinorum camelorumque conpellas, simile putabunt eorum
vesci carnibus ac si lupum comedere cogantur et corvum. in Ponto et
Frygia vermes albos et obesos, qui nigello capite sunt et nascuntur in ligno-
rum carie, pro magnis reditibus pater familias exigit. et quomodo aput nos
attagen et ficedula, mullus et scarus in deliciis conputantur, ita aput illos
ξυλοφάγον comedisse luxuria est. rursum orientalis et Lybiae populos, C
quia per desertum et calidam heremi vastitatem lucustarum nubes repe-
riuntur, lucustis vesci moris est. hoc verum esse Iohannes quoque Baptista
probat. conpelle Frygem et Ponticum, ut lucustam comedat: nefas puta-
bit. coge Syrum Afrum et Arabem ut vermes Ponticos gluttiat: ita eos
aspiciet ut muscas millepedias et lacertos. quamquam Syri et corcodilis ter-
renis, Afri etiam lacertis viridibus vesci soleant. in Aegypto et Palestina D
propter boum raritatem nemo vaccam comedit, taurorum carnes et boum
vitulorumque adsumunt in cibis. at in nostra provincia scelus putant vitu-

---

p. 486 K.; III 2 p. 664; *περὶ τῶν πεπονθότων τόπων* III 10 t. VIII p. 183; Lampr. *Heliog.* 8, 3 et 20, 5. lac camelarum describit Galen. *περὶ τροφ. δυν.* III 15 t. VI p. 681; *περὶ εὐχυμίας κτλ.* 4 t. VI p. 766.

3 sues *eqs.*] cf. Porph. I 14 p. 97, 18 *Φοίνικες δὲ καὶ Ἰουδαῖοι ἀπέσχοντο (συῶν), ὅτι οὐδ᾿ ὅλως ἐν τοῖς τόποις ἐφύετο· ἐπεὶ οὐδὲ νῦν ἐν Αἰθιοπίᾳ φασὶν ὁρᾶσθαι τὸ ζῷον τοῦτο.* 7 lupum ... et corvum] sacros apud Germanos haberi (cf. Paul, *Grundriß der germ. Phil.* III², 1900, p. 336) scit; vide quomodo p. 335 D de Aegyptiorum sacris animalibus loquatur. 11 *ξυλοφάγον*] cf. Plin. *nat.* XVII 220 *praegrandesque roborum* (*vermiculi*) *delicatiore sunt in cibo — cosses vocant — atque etiam farina saginati hi quoque altiles fiunt.* graecum auctorem Plinio coaevum Chaeremonem reddi dico. 12 luc. nubes] cf. Porph. I 25 p. 102, 15 *κατὰ τὴν Λιβύην ἐνέπεσε νέφος ἀκρίδων.* *in Ioel* 2, 18 seqq. t. VI p. 195 B *etiam nostris temporibus vidimus agmina locustarum terram texisse Iudaeam.* (quae vero de locustis in mare praecipitatis et putredine pestilentiam excitantibus habet, mirum in modum conspirant cum Obsequente 30 p. 161 Rossb.). 13 luc. vesci] de locustis in victu gentium orbis antiqui cf. Gossen, *Realenc.* VIII 1386. (Plin. *nat.* VI 195 *pars quaedam Aethiopum locustis tantum vivit*). Ioh. quoque B.] *Matth.* 3, 4; *Marc.* 1, 6. 17 lacertis] cf. Porph. IV 14 p. 251, 20 *πολλῶν ἀπεχόμεθα οἷον σαυρῶν.* in Aegypto—19 cibis] Porph. II 11 p. 141, 14 *παρὰ γοῦν Αἰγυπτίοις καὶ Φοίνιξι θᾶττον ἄν τις ἀνθρωπείων κρεῶν γεύσαιτο ἢ θηλείας βοός. αἴτιον δὲ ὅτι χρήσιμον τὸ ζῷον ὂν τοῦτο ἐσπάνιζεν παρ᾿ αὐτοῖς. διὸ ταύρων μὲν καὶ ἐγεύσαντο κτλ.* II 61 p. 186, 3.

1 temperie] tempore *ES𝔰* sterilitate | ēregionum *A* 2 et (*post* eos) *om.A* 3 glande] et *s.l.add.Em1 ut vid.* 5 regionem *E* 6 similem *E* semiles *S* 7 aut corvum *v* 9 exegit *S* 10 ficetula *A* mulus *Ea.c.*, *SC*, *Aa.c.m2* murus *𝔰a.c.* 11 ξυλοφαγον *E𝔰* -τον *S* ξι- *A*, *vitiose in C* 12 repp- *E* 14 locustas *A* 16 despiciet *v* muscã *A* millepedas *v; cf. formarum varietatem* centipedium *et* centipeda et (*post* Syri) *om.A* crocodilis *Ep.c.m2* 18 boũm (*lin. add.m2*) *E* (*item infra*) rarie- *S* taurorumque *E* et *om.𝔰*

los devorare. unde et imperator Valens nuper legem per orientem dederat,
ne quis vitulorum carnibus vesceretur, utilitati agriculturae providens et
E pessimam iudaizantis vulgi emendans consuetudinem pro altilibus et lactan-
tibus vitulos consumentis. Nomades et Trogodytae et Scytae et Huno-
rum nova feritas semicrudis vescuntur carnibus. porro Ἰχθυοφάγοι, gens
errans in litore maris Rubri super petras solis calore ferventes, assant pi-
335 A sces et hoc solo alimento victitant. Sarmatae, Quadi, Wandali et in-
numerabiles aliae gentes equorum et vulpium carnibus delectantur. quid
loquar de ceteris nationibus, cum ipse adulescentulus in Gallia viderim Ati-
cottos, gentem Brittannicam, humanis vesci carnibus, et cum per silvas por-
corum greges et armentorum pecudumque reperiant, pastorum nates et fe-
mina et papillas solere abscidere et has solas delicias ciborum arbitrari?
B Scottorum natio uxores proprias non habent, et quasi Platonis πολιτίαν

---

1 Valens *eqs.*] lex desideratur apud Haenel, *Corpus Legum* I p. 220/27 nec videtur exstare in Constitutionum Codicibus (v. ibid. II p. 41/49). cf. Amm. XXXI 14, 2 *provinciarum aequissimus tutor* . . . ibid. 3 *nec sub alio principe* . . . *melius secum actum esse meminit oriens.* aliam Valentis legem memorat Hier. *chron.* a. 2391 p. 248 H. 4 Nomades—7 victitant] Porph. IV 21 p. 266, 14 *οἱ γὰρ δὴ πρὸς τὰ ἐκ τῶν ἐθνῶν ἡμῖν παρατεθέντα νόμιμα ἀντιπαράγοντες Νομάδας ἢ Τρωγλοδύτας ἢ Ἰχθυοφάγους ἀγνοοῦσιν ὡς δι' ἀνάγκην . . . ἐπὶ τοῦτο περιέστησαν τῆς τροφῆς. τεκμηριοῖ δὲ τὸ τῆς ἀνάγκης τὸ μηδὲ τῷ πυρὶ χρῆσθαι δύνασθαι ἀπορίᾳ καυσίμου ὕλης, ἐπὶ δὲ τῶν πετρῶν ἀφαναίνειν ἢ τῆς θινὸς τοὺς ἰχθῦς.* I 5 p. 88, 8; 13 p. 96, 19 . . . *ἔθνη ἰχθυοφάγα· τοὺς γὰρ ἰχθῦς ὀπτῶσιν, οἳ μὲν ἐπειδὰν αἱ πέτραι μάλιστα διάπυροι γένωνται ὑπὸ τοῦ ἡλίου, κτλ.*
quod maris Rubri accolas Icthyophagos vocat, cf. Plin. *nat.* VI 97; 107; 176; alios. 4 Hunorum *eqs.*] cf. Amm. (in incursione Hunorum a. 375 narranda) XXXI 2, 3 *semicruda cuiusvis pecoris carne vescantur.* Hier. Hunos memorat *epist.* 60, 16, 2 p. 570, 16; 107, 2, 3 p. 292, 15; *in Is.* 7, 21/2 t. IV p. 115 E (ubi falso Vall. Gothos intellegit). 8 eq. et vulp.] de carnis esu equorum cf. Hehn, *Kulturpflanzen und Haustiere*[8] p. 20; 22; 52, vulpium et equorum Galen. *περὶ τροφ. δυν.* III 2 t. VI p. 664 seq. K.; *περὶ τῶν πεπονθ. τόπ.* III 10 t. VIII p. 183 K.; *εἰς τὸ Ἱππ. περὶ διαίτης ὀξ. νοσημ.* IV 96 *CMG.* V 9, 1 p. 347 Helmreich. 9 in Gallia *eqs.*] stipendia merentes 'vidit' in Gallia Aticottos Brittannos (Huebner, *Realenc.* II 1902; III 876) audiitque *ἀνθρωποφαγίαν* eorum, quam Brittannis Hiberniam colentibus tribuunt Diodorus V 32, 3 et Strabo IV 5, 4 p. 201. latiore significatu 'Gallia' accipi nequit de 'Galliarum' praefectura, cuius pars erat 'Brittanniarum' dioecesis. Gruetzmacher, *Hier.* I p. 137 Brittannos in continenti (varii erant, v. Thes. l. l. II 2196, 14) incidens in anachronismum pessimum cogitat. *αὐτοψίαν* perversorum morum gentilium passim simulant christiani (Geffcken, *Zwei gr. Apol.* p. 112). 13 Scottorum—403 2 lasciviunt] cf. *epist.* 69, 3, 6 p. 684, 17 *Scottorum et Aticottorum ritu ac de Re publica Platonis promiscuas uxores,*

3 altibus *Sa.c.* alitibus 𝔖 lactentibus *Ep.c.m2, A; ad* lact. *intellege 'porcellis'* 4 consumentes *E* trogo- *ES𝔖AC* 5 carnibus uescuntur *C* *ιχθυοφαγοι E𝔖 -τοι S, corrupte in AC* gens] enim *add.* 𝔖 6 supetrasolis (per *s.* u *et lineolam s.* a *add.m2*) *S* 7 uuan- *S𝔖C* uan- *EA* 8 canibus *Ea.c.* carnis (-es *m2*) *S* delectentur *𝔖a.c.* 9 galliã *S* aticottos *ES𝔖* (*cf. epist. 69, 3, 6 p. 684, 17*) attitscotos *A* atticottos *C* (Atecotti *probat Huebner, Realenc II 1902*) 11 femina* | *E* (e *eras.?*), fęmine (-ę *m2*) *S* feminę 𝔖 feminarũ *A*
12 et (*ante* pap.) *om.S𝔖, ras.s.* et *E* abscedere *S* abscindere *v* ciborum delicias *AC* 13 habet *C* *πολιτιαν E, corrupte in S𝔖AC*

legerit et Catonis sectetur exemplum, nulla aput eos coniux propria est, sed ut cuique libitum fuerit, pecudum more lasciviunt. Persae, Medi, Indi et Aethiopes, regna non modica et romano imperio paria, cum matribus et avis, cum filiabus et neptibus copulantur. Massagetae et Derbices miserrimos putant, qui ab aegrotatione moriantur, et parentes, cognatos, propinquos, cum C ad senectam venerint, iugulatos devorant, rectius esse dicentes, ut a se potius quam a vermibus consumantur. Tibareni quos dilexerint senes suspendunt in patibulo. Hyrcani volucribus et canibus semivivos proiciunt, Caspii hisdem bestiis mortuos. Scythae eos, qui a defunctis amati sunt, vivos infodiunt cum ossibus mortuorum. Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis obiciunt senes; quod cum Alexandri praefectus Stasanor emendare voluisset, D paene amisit provinciam. coge Aegyptium, ut ovium lacte vescatur; inpelle, si vales, Pelusioten, ut manducet cepam. singulae paene in Aegypto

---

communes liberos habeant. ad gentem Brittannicam agros extra provinciam colentem transfertur quae antea generalis de Brittannis memoria erat Caes. *Gall.* V 14, 4 seq.; Cass. Dio LXXVI 12; Ps.-Clem. *recogn.* IX 24 p. 1412 A; Ps.-Bardes. l. l. 10 p. 48 Merx. Pl. *πολ.*] V p. 457 C—461 E.

1 Catonis] v. p. 59 et 131 adn. 1. 2 Persae—4 copulantur] cf. locos a Waltzing ad Min. Fel. *Oct.* 31 p. 53, 15 (ed. 1912) congestos, ubi adde Sext. Emp. *ὑποτ.* III 205 p. 189 M. et praesertim Ps.-Bardes. (Euseb. *εὐαγγ. προπ.* VI 10, 16 p. 275 C) 3 p. 43, qui etiam de neptibus loquitur. Indos falso H. Persis aggregat (Schrader, *Reallexikon der indog. Altertumsk.* p. 909); rectius Gregorius Nyss. *κατὰ εἱμαρ.* t. 45, 169 B Migne *μόνῳ τῷ ἔθει Περσῶν καὶ τοῖς τὰ ἐκείνων νόμιμα δεδιδαγμένοις τὸ τοιοῦτον ἄγος τολμᾶται.* 4 Massagetae—12 provinciam] Porph. IV 21 p. 267, 2 *ἱστοροῦνται γοῦν Μασσαγέται καὶ Δέρβικες ἀθλιωτάτους ἡγεῖσθαι τῶν οἰκείων τοὺς αὐτομάτως τελευτήσαντας. διὸ καὶ φθάσαντες καταθύουσιν καὶ ἑστιῶνται τῶν φιλτάτων τοὺς γεγηρακότας. Τιβαρηνοὶ δὲ ζῶντας κατακρημνίζουσι* (*κατακρημνῶσι* intellexisse Hier. dicit Luebeck p. 74 adn. 1; cf etiam Cotelier ad Ps.-Clem. *recogn.* IX 25 p. 1412 Migne) *τοὺς ἐγγυτάτω γέροντας· Ὑρκάνιοι δὲ καὶ Κάσπιοι οἳ μὲν οἰωνοῖς καὶ κυσὶ παραβάλλουσι ζῶντας, οἳ δὲ τεθνεῶτας· Σκύθαι δὲ συγκατορύττουσι ζῶντας καὶ ἐπισφάττουσι ταῖς πυραῖς οὓς ἠγάπων οἱ τεθνεῶτες μάλιστα· καὶ Βάκτριοι μέντοι κυσὶ παραβάλλουσι ζῶντας τοὺς γεγηρακότας. καὶ τοῦτ' ἐπιχειρήσας καταλῦσαι Στασάνωρ ὁ Ἀλεξάνδρου ὕπαρχος μικροῦ τὴν ἀρχὴν ἀπέβαλεν.* 12 ovium lacte] digna Chaeremone singularis memoria est (cf. Hopfner, *D. Tierkult d. a. Ägypter, Denkschr. d. W. Ak.* LVII 2, p. 98), quamquam de Aegyptiis ovem colentibus et ab ovilium carnium esu abstinentibus plurimi testes sunt, christianorum Aristides, Origenes, Epiphanius, Theodoretus. 13 Pelus.—cepam] cf. Plut. apud Gell. XX 8, 7 (frg. 90 Bern.) *cur Pelusiotae cepe non edint.* apud reliquos testes huius superstitionis a Waltzing ad Min. Fel. *Oct.* 7 p. 49, 22 collectos Pelusiotarum mentio desideratur. Hier. ipse Aegyptum vidit; cf. quae habet de lente Pelusiaca *in Ezech.* 30, 1 t. V p. 357 E (Lammert, *De Hier. Donati discipulo* p. 29 seq.). 13 singulae—404 3 Busiris] Porph. IV 9 p. 241, 23 (Euseb. *εὐαγγ. προπ.* III 4, 8 p. 94 a) *ὅθεν καὶ ὁ λέων ὡς θεὸς θρησκεύεται, καὶ μέρος τι τῆς Αἰγύπτου, ὃ καλοῦσι νομόν, ἐπώνυμον ἔχει Λεοντοπολίτην, ἄλλο δὲ Βουσειρίτην, ἄλλο* (*ἄλλο δὲ* vel *καὶ ἄλλο* Eus.) *Λυκοπο-*

1 legerint *C* sectentur *C* eos *s.l.E* (*m1 ut vid.*) propria coniux *C* 2 cuicumque *C* India *A* 3 imp.] regno *v* 4 nepotibus *SA* massagaetę *Ea.c.m2* 5 ab *om.AC* egr- *ESA* moriatur *Sa.c.m2* 6 uenerit *Sa.c.* ducentes *v* 7 comedantur *C* 8 patibulis *v* 9 hisdem] *cf. Engelbrecht, Claud. Mam. ed Vind. p. 234* 11 Stasanor *om.A* uoluisset emendare *C* 12 cogaeeg- *Ea.c.m2* 13 cepe *Ep.c.m2, AC* cipam *S*

civitates singulas bestias et monstra venerantur et quodcumque coluerint,
336 A hoc inviolabile et sacrum putant. unde | et urbes quoque aput eos ex animalium vocabulis nuncupantur: Leonto, Cyno, Lyco, Busiris, Thmuis quod interpretatur 'hircus'. et ut sciremus quales deos semper Aegyptus recepisset, nuper ab Adriani amasio urbs eorum Antinous appellata est.

pervides igitur, quod non solum in esu, sed et in sepulturis et in conubiis et in omni conversatione unaquaeque gens suo ritu et proprietatibus vic-
B titet et hoc eam naturae legem putare quod didicit. verum fac esum carnium cunctis nationibus esse communem, et passim licere quod passim gignitur: quid ad nos, quorum conversatio in caelis est? qui super Pytagoram et Empedoclem et omnes sapientiae sectatores non ei debemur cui nascimur, sed cui renascimur; qui repugnantem carnem et ad libidinum incentiva rapientem
C inedia subiugamus. esus carnium et potus vini ventrisque saturitas seminarium libidinis est. unde et comicus: 'sine Cerere', inquit, 'et Libero friget Venus'.
c. 8 Per quinque sensus quasi per quasdam fenestras vitiorum ad animam

---

λίτην (*Κυνοπολίτην* Eus.; *ἄλλο δὲ Κυνοπολίτην καὶ ἄλλο Λυκοπολίτην* recte Nauck qui debuit afferre Hieronymum). *τὴν γὰρ ἐπὶ πάντα δύναμιν τοῦ θεοῦ* (*τ. θ.* om. Eus.; lacunam post *τ. θ.* indicant Reiske et Nauck) *διὰ τῶν συννόμων ζῴων, ὧν ἕκαστος τῶν θεῶν παρέσχεν, ἐθρήσκευσαν.* II 26 p. 155, 20 *Αἰγυπτίους, οἳ τοσοῦτον ἀπεῖχον τοῦ φονεύειν τι τῶν λοιπῶν ζῴων, ὥστε τὰς τούτων εἰκόνας μιμήματα τῶν θεῶν ἐποιοῦντο.* III 16 p. 205, 2. cf. *in Is.* (a. 408/10) 46, 1/2 t. IV p. 544 E *nam et pleraque oppida eorum ex bestiis et iumentis habent nomina, Κυνῶν a cane, Λέων* (l. *Λεόντων*) *a leone, Θμοῦις lingua Aegyptia ab hirco, Λύκων a lupo, ut taceam de formidoloso et horribili cepe . . ., quae Pelusiaca religio est.* Porphyrium IV 9 a Chaeremone pendere negat Schwartz, *Realenc.* III 2027, qui inde a p. 241, 6 *τοιαῦτα μὲν* illum relinqui putat. at neglexit consuetudinem scriptoris, qui IV 13 p. 251, 6 *τοιοῦτο μὲν κτλ.* pergit Iosephum reddere (cf. Bernays, *Theophr.* p. 24 et 153).

3 Thmuis—4 'hircus'] cf. Wiedemann, *Herodots zweites Buch* p. 218; Hopfner l. l. p. 97. Clem. Al. *προτρ.* 2 (32, 4) p. 24, 7 St. *ὁ Θμουιτῶν τράγος.* ibid. (39, 5) p. 29, 25. (Herod. II 46 *καλέεται δὲ ὅ τε τράγος καὶ ὁ Πὰν Αἰγυπτιστὶ Μένδης.*) interpretatio grammatica stoicum decet scriptorem '*Ιερογλυφικῶν* Chaeremonem. 5 Antinous] cf. *de vir. ill.* 22; *chron.* a. 2145 p. 200 H.; *in Is.* 2, 7 t. IV p. 35 E. christiani loci communis testes praebet Oehler ad Tert. *apol.* 13 p. 167; cf. etiam Wilamowitz, *Ein Stück aus dem Ancor. des Epiph., Sitzungsb. der Ak. zu B.* 1911 p. 771; Kuebler, *Antinoupolis* (1914) p. 7; 21; 41 seqq. 10 P. et E.] v. ad p. 396, 21. 12 lib. inc.] v. ad p. 409, 7. 14 comicus] Ter. *Eun.* 732. cf. *epist.* 54, 9, 5 p. 476, 8; Otto, *Die Sprichw. der R.* p. 366.

15 c. 8] doctrina de sensibus perturbationum fontibus integra inest Porphyrii cc. I 33 et 34, quamquam imitationem agnosco etiam Basilii Ancyrani (v. *de vir. ill.* 89) prolixissimo sermone *περὶ τῆς ἐν παρθ. ἀληθοῦς ἀφθορίας* 4 t. 30, 677 B seqq. Migne de eadem re agentis. propria tactus correptio cui gustus c. 10 p. 339 C additur, (quam cf. e. g. cum Phil. *περὶ Ἀβραάμ* 29 II p. 22 M.; Gell. XIX 2, 1 seqq.) quosdam colores peculiares habet. 15 fenestras] cf. Cic. *Tusc.* I 46; Lact. *de opif. dei* 8, 11 p. 30, 11; Bas. Anc. 15 p. 701 B.

1 ciuitates in egypto *C* uoluerint *A* 5 aba*triañi (*sic*) *S* ubrs 𝔖 8 dedicit *Ep.c.m2*, *S* 10 ad nos] a nobis *C* qui] qd (*i.e.* quid) *A* 11 enp- *ES𝔖* debem' (*i.e.* -us) *A* 12 libidinem *A* 13 ine*dia *E* sạtoritas *Ea.r.* seni- *Ea.c.* 14 est *S*, *at ex* t *per ligaturam fecit* et *m2* et (*post* unde) *om.S* 15 ad animam uitiorum *Ca.c.*

introitus est. non potest ante metropolis et arx mentis capi, nisi per portas eius inruerit hostilis exercitus. horum perturbationibus anima praegravatur et capitur aspectu auditu odoratu sapore tactu. si circensibus quispiam de- D lectetur, si athletarum certamine, si mobilitate histrionum, si formis mulierum, si splendore gemmarum, vestium, metallorum et ceteris huiuscemodi, per oculorum fenestras animae capta libertas est et inpletur illut profeticum: 'mors intravit per fe|nestras vestras.' rursum auditus vario orga- 387 A norum cantu et vocum flexionibus delenitur et carmine poetarum et comoediarum mimorumque urbanitatibus et strofis et quidquid per aures introiens virilitatem mentis effeminat. odoris autem suavitas et diversa thymiamata et amomum et cyfi, oenanthe, muscus et peregrini muris pellicula, quod

1 metropolis] cf. Porph. I 33 p. 111, 3 *μητρόπολις* in diversa imagine. mentem cum urbe, affectus cum hostili exercitu, sensus cum portis urbis confert Bas. Anc. 15 p. 700 D *ὡς γὰρ μετὰ τοῦ στρατιωτικοῦ τάγματος ἐπιστὰς τῇ πόλει ὁ στρατιώτης κτλ.* p. 701 B *ἀποκλειστέον οὖν τὴν πρώτην διὰ τῶν αἰσθήσεων πάροδον τῷ τῆς σαρκὸς στρατιώτῃ, καθάπερ θύρας ἢ θυρίδας τὰς αἰσθήσεις πανταχόθεν τοῖς τῆς καρτερίας μοχλοῖς ἐπερείδουσαν* (*τὴν παρθένον*). metaphorice *μητρόπολις* variis modis dicitur apud medicos (cf. Wellmann, *Fragmentsammlung der gr. Ärzte* I, 1901, p. 19 adn. 2) et stoicos (v. Athen. III p. 104 B). arx] *ἀκρόπολις*, *arx* de capite praesertim apud medicos adhibita (Galen. *περὶ τῶν καθ' Ἱππ. κ. Πλ. δογμ.* p. 189 Mueller; *περὶ εὐπορ.* I praef. t. XIV p. 313 K.) dicitur de ratione contra affectus resistente a Plat. *Τιμ.* p. 70 A, Cic. *Tusc.* II 58, Aug. *de civ.* XIV 19 p. 42, 11. cf. Iaeger, *Nemesios* p. 22, qui tamen ab hac imagine illam, qua arx mentis munita sensibus tamquam satellitibus dicitur, parum discrevit. 2 horum—3 tactu] Porph. I 33 p. 110, 23 *ἐκ δὲ τούτων ἐγειρόμενα τὰ πάθη καὶ πᾶσα ἡ ἀλογία παχυνομένη κατάγει τὴν ψυχὴν κτλ.*; ibid. p. 111, 2 *αἱ δὲ αἰσθήσεις ἢ διὰ τῶν ὁρατῶν ἢ τῶν ἀκουστῶν ἢ γευστῶν ἢ ὀσφραντῶν ἢ ἁπτῶν.* 3 si—4 mulierum] Porph. I 33 p. 111, 6 *τοῦτο μὲν ἐκ τῆς κατὰ τὰς θέας ἵππων τε ἁμίλλης καὶ ἀθλητῶν ἢ τῶν ἐκλελυγισμένων ὀρχήσεων, τοῦτο δὲ ἐκ τῆς ἐπιβλέψεως τῆς πρὸς τὸ θῆλυ.* cf. Bas. Anc. 5 p. 680 C; 13 p. 696 A; 49 p. 765 C; 58 p. 785 D. 6 prof.] *Ierem.* 9, 21. cf. Bas. Anc. 15 p. 701 B '*θάνατος γάρ, φησίν, ἀνέβη διὰ τῶν θυρίδων ὑμῶν.' θυρίδες γὰρ ὄντως τῆς ψυχῆς αἱ αἰσθήσεις.* 7 auditus—10 effeminat] Porph. I 34 p. 111, 14 *αἱ δὲ διὰ τῶν ἀκοῶν ἐμπαθεῖς οὖσαι κινήσεις ἔκ τε ποιῶν ψόφων καὶ ἤχων . . . ποιοῦσιν . . . τοὺς δ' αὖ θηλυνομένους παντοίας στροφὰς ἑλίττεσθαι* (nota 9 *strofis* diversum valere atque *στροφάς* Porphyrii). cf. Bas. Anc. 5 p. 680 A; 13 p. 696 A; 49 p. 765 C; 58 p. 785 D. 10 odoris—406 1 negat] Porph. I 34 p. 111, 19 *θυμιαμάτων δὲ χρήσεις ἢ εὐώδεις πνοιαί, αἵ τε τοὺς αὐτῶν ἔρωτας τοῖς ἐρασταῖς ἐμπορευόμεναι, τίνα λελήθασιν, ὅσην τῆς ψυχῆς τὴν ἀλογίαν πιαίνουσιν*; 11 cyfi] suffimentum sacerdotum Aegyptiorum, de quo Manetho scripsit (cf. frg. 84 M.), absens a Porphyrio vitaeque romanae ignotum, non fuisse non potest in Chaeremone 'de vita antiquorum Aegypti sacerdotum narrante'. muscus] *μόσχος* (cf. Schrader, *Reallexikon der indog. Altertumsk.* p. 85 seq.) graecis medicis inde a saec. VI notus (Thes. gr. V 1216 seq.). odoramenti apud occidentales testis antiquissimus Hier. hic et *in Ier.* 23, 21/2 p. 283, 17 Reiter *musco fraglent*; fallitur Heusinger, *meletemata quaedam de antiquitatibus castorei et moschi* (Marp.

1 non] uel nemo *s.l.add.Am2* arx] ars *C* arx m.] armentis *Aa.c.m2* 2 inr.] introierit *𝔖* pregauatur *C* 3 sapo reactu *Sa.c.m2* sapore] et *add.A* 5 si *om.v* spendore *C* 6 inplebitur *A* 8 inflexionibus *v* delinitur *𝔖AC* 9 minorumque *𝔖a.c.m2* et (*ante* quidquid) *om.v* 10 viril.] ueritatem *𝔖* 11 et (*post* amomum) *om.C*

B dissolutis et amatoribus conveniat, nemo nisi dissolutus negat. porro ciborum aviditas quod avaritiae mater sit et animum quasi quibusdam compedibus degravatum in terra teneat, quis ignorat? propter brevem gulae voluptatem terrae lustrantur et maria, et ut mulsum vinum pretiosusque cibus fauces nostras transeat, totius vitae opere desudamus. tactus autem alienorum corporum et feminarum ardentior adpetitus vicinus insaniae est.
C ob hunc sensum cupimus irascimur gestimus aemulamur solliciti sumus et expleta voluptate per quandam paenitudinem rursus accendimur quaerimusque facere, quod cum fecerimus, iterum paeniteamus. igitur cum per has portas quasi quidam perturbationum cunei ad arcem nostrae mentis intraverint, ubi erit libertas, ubi fortitudo eius, ubi de deo cogitatio? maxime
D cum tactus depingat sibi etiam praeteritas voluptates et recordatione vitiorum cogat animam compati et quodammodo exercere quod non agit.

c. 9 His igitur rationibus invitati multi philosophorum reliquerunt frequentias urbium et hortulos suburbanos, ubi ager inriguus et arborum comae et susurrus avium, fontis speculum, rivus inmurmurans et multae oculorum auriumque inlecebrae; ne per luxum et abundantiam copiarum animae for-
E titudo mollesceret et eius pudicitia constupraretur. inutile quippe est cre-

---

1852) p. 18. peregr. muris pell.] genus animalis incertum est, cf. Beckmann, *Beyträge zur Gesch. der Erfindungen* t. V (1805) p. 49 seqq. fortasse *mus* nullus est, sed testiculi *musci* testimoniis subsunt. *epist.* 127 (a. 412) 3 p. 952 E *fragrare mure.*

1 ciborum—3 degravatum] Porph. I 34 p. 111, 22 *περὶ γὰρ τῶν διὰ τῆς γεύσεως τί ἂν τις καὶ εἴποι παθημάτων, . . . τοῦ δεσμοῦ συμπλεκομένου.* cf. I 33 p. 110, 18 *δεσμὸν τῆς ψυχῆς.* 2 avaritiae] cf. c. 11 p. 341 A. 3 propter *eqs.*] de loco rhetorico a Seneca, Philone, Clemente Alex. iisdem coloribus agitato cf. Friedlaender, *Darst. aus der Sitteng. R.*[8] III p. 33, Wendland, *Philo und die k.-st. D.* p. 19, Hense, *mus. Rhen.* LXI (1906) p. 9 seq. 5 tactus—7 solliciti sumus *et* 12 tactus—13 compati] Porph. I 34 p. 112, 6 *αἱ δὲ ἁφαὶ μόνον οὐ σωματοῦσαι τὴν ψυχὴν . . . ἐξ ὧν αἱ μνῆμαι καὶ αἱ φαντασίαι αἵ τε δόξαι ἀθροιζόμεναι ἑσμὸν τῶν παθῶν ἐγείρουσαι, φόβων, ἐπιθυμιῶν, ὀργῶν, ἐρώτων, φίλτρων, λυπῶν, ζήλων, μεριμνῶν, νοσημάτων, τῶν ὁμοίων παθῶν πλήρη ἀπέδειξαν.*
12 tactus *eqs.*] peculiari sermone in tactum increpat Bas. Anc. 5 p. 680 B seqq.; 14 p. 698 C. 14 c. 9] deinceps compilantur Porph. I 35; 36; 39; 41; 42.
his—18 constupraretur] rhetorice exornat Porphyrium I 35 p. 112, 16 *ὅθεν ὅση δύναμις ἀποστατέον τῶν τοιούτων χωρίων, ἐν οἷς καὶ μὴ βουλόμενόν ἐστιν περιπίπτειν τῷ πάθει.* freq. urbium] cf. *c. Vigil.* 17 t. II p. 401 A *urbium frequentias declinamus* eqs., Phil. *περὶ βίου θεωρ.* c. 2 p. 474 M. (52 Conyb.) *πᾶσα γὰρ πόλις . . . γέμει θορύβων* eqs., locosque inibi a Conybeare adnotatos. 16 rivus inm. *eqs.*] colores tracti ex vitis eremitarum; cf. *vita Pauli* 3 t. II p. 4 A *murmure aquarum serperet rivus, et molli sibilo arborum folia ventus praestringeret.*

2 sit] est 𝔖 4 ut] u* *Sa.c.m2* 5 vitae] nostrae *add.*𝔖 operę *S* opera *v* 6 ardentius *S* 7 gestimus] inuidemus *add.A* aemulamur solliciti sumus *om.S* 9 pęniteam̃ (*i.e.* -ur) *A* per *om.A* 11 erit] ē *A* 12 etiam] et *C* recordationē *A* 13 cogitat *Aa.r. ut vid.* 14 his***igitur 𝔖 freq.] presentias 𝔖 15 u**rbium *E* ciuitatum (ł urbium *s.l.add.m2*) *C* ortulos *ES* inrigus *ESa.c.* 16 speculium *C* 17 habuntiam (dan *s.* -tia- *add.m2*) *S* 18 cum stupraretur *C*

bro videre, per quae aliquando captus sis et eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. nam et pythagorei huiuscemodi fre- 338 A
quentiam declinantes in solitudine et desertis locis habitare consuerant. platonici quoque et stoici in templorum lucis et porticibus versabantur, ut admoniti augustioris habitaculi sanctitate nihil aliut quam de virtutibus cogitarent. sed et ipse Plato, cum esset dives et toros eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset vacare philosophiae, elegit Academiam B
villam ab urbe procul, non solum desertam, sed et pestilentem, ut cura et adsiduitate morborum libidinis impetus frangerentur, discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum, quas discerent. quosdam legimus effodisse sibi oculos, ne per eorum visum a contemplatione philosophiae avocarentur. unde et Crates ille Thebanus proiecto in mari non parvo auri pondere 'abite', inquit, 'pessum, malae cupiditates; ego vos C
mergam, ne ipse mergar a vobis'. quod si quis aestimat et abundantia ciborum potionumque se perfrui et vacare posse sapientiae, hoc est versari inter delicias et deliciarum vitiis non teneri, se ipsum decipit. cum enim procul ab his remoti saepe capiamur naturae inlecebris et cogamur ea cupere quorum copiam non habemus, quanto magis, si circumdati retibus vo- D

---

1 experimento] Porph. I 35 p. 112, 18 *καὶ εὐλαβητέον τὴν ἐκ τῆς πείρας μάχην.* 2 pythagorei—4 versabantur] Porph. I 36 p. 112, 21 *πυθαγορείων τε καὶ σοφῶν· ὧν οἳ μὲν τὰ ἐρημότατα χωρία κατῴκουν, οἳ δὲ καὶ τῶν πόλεων τὰ ἱερὰ καὶ τὰ ἄλση, ἐξ ὧν ἡ πᾶσα ἀπελήλαται τύρβη.* cf. Reitzenstein, *Des Athan.* eqs. l. l. p. 40 adn. 1. 4 porticibus] cf. c. 14 p. 345 B. 6 sed—8 pestilentem] cento ex Porphyrio I 36 p. 112, 24 *Πλάτων—26 ἐπίνοσον* (perscripsi p. 140) et ex Tertulliano *apol.* 46 *lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis toros . . . deculcat.* (*de pallio* 4). 10 quosdam—12 avocarentur] Porph. I 36 p. 112, 26 *ἄλλοι δὲ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν οὐκ ἐφείσαντο πόθῳ τῆς ἔνδον ἀπερισπάστου θεωρίας.* cf. *epist.* 76 (p.a. 398) 2, 2 p. 35, 22 *quosdam etiam mundi philosophos legimus, ut totam cogitationem ad mentis cogerent puritatem, sibi oculos eruisse.* Democritum Porph. dicit (cf. Cic. *de fin.* V 87; *Tusc.* V 114. Oehler ad Tert. *apol.* 46); num alios praeter Democritum (cf. Burlaeus ed. Knust p. 218. Vallarsi ad Hier. *epist.* 76, 2), incertum est. 12 Crates *eqs.*] cf. *epist.* 58 (a. 395/6) 2, 2 p. 529, 10 *Crates ille Thebanus* eqs. ibid. 118 (a. 406) 5, 2 p. 441, 18. verba 13 *ego vos mergam* eqs. ex fabula Aristippi (Hense, *Teletis rel.*[2] p. LXXIX) in Cratetem transtulit, cf. Zeller II 1[4] p. 285 adn. 1 et p. 366 adn 1. ceterum pendet a Cappadocibus, cf. Dirking, *Basilii* eqs. (diss. Monast. 1911) p. 28, ubi adde Greg. Naz. carm. *περὶ ἀρετῆς* v. 228/49 p. 424 seqq. (v. 240 *ῥίπτειν προθύμως εἰς βυθὸν τὰ χρήματα*). de fabula medio aevo propagata cf. Knust ed. Burl. p. 85 adn. l. 14 quod—16 decipit] Porph. I 36 p. 113, 1 *εἰ δέ τις οἴεται συνανθρωπεύων καὶ ἐμπιπλὰς τὰς αἰσθήσεις τῶν κατ' αὐτὰς παθῶν αὐτὸς μένειν ἀπαθής, λέληθεν αὐτὸν . . . ἀπατῶν.*

2 pythagorae, i *s.* e *E* -rę *S* phitagorę *3* pytagoraei *C* -rei *A* 3 consuerunt *C* censuerant *A* 4 luces (locis *m2*) *S* 5 angustioris *AC* 9 frangeret *Ea.c.*, *Aa.c.* (*m2?*) sui] ut *add.C* 10 dicerent *C* 11 *inter* uisum *et a rasura litt. decem E* 12 socrates *3AC* mare *C* 13 pessum*alae (*litterae* m *spatium non sufficit*) *E* pessumę malę (*s.* -ę m- *pallidius scripta* et *per compendium additum*) *S* 14 existimat *v* 15 se p.] superfrui *3* est] et *add.v* uersare *C* 16 inter] in *C* deliciis *C* deliciąis, *insuper* i *s.* a *3* se] sed *3* decepit *S* 17 cupere] capere *A*

luptatum esse nos liberos arbitremur? sensus noster illut cogitat, quod videt audit odoratur gustat adtrectat, et ad eius rei trahitur adpetitum, cuius capitur voluptate. quod mens videat et mens audiat, et quod nec audire quippiam nec videre possimus, nisi sensus in ea quae cernimus et audimus fuerit intentus, vetus quoque sententia est. difficile, immo inpossibile
E est deliciis et voluptatibus affluentes non ea cogitare quae gerimus; frustraque quidam simulant salva fide et pudicitia et integritate mentis se abuti
339 A voluptatibus, cum con|tra naturam sit copiis voluptatum sine voluptate perfrui, et apostolus hoc ipsum cavens dixerit: 'quae autem in deliciis est, vivens mortua est.'

c. 10 Sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes, anima vero in aurigae modum retinet frena currentium. et quomodo equi absque rectore praecipites sunt, ita corpus sine ratione et imperio animae in suum
B fertur interitum. alia quoque comparatio animae et corporis a philosophis ponitur: corpus puerum, animam paedagogum esse dicentium. unde et historicus: 'animae', inquit, 'imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est.' igitur nisi vitia

---

1 sensus *eqs.*] loci Platonici *Θεαιτ.* p. 173 C/174 A interpretatione Porphyriana I 37—39 pro suo captu utitur; cf. c. 39 p. 115, 9 *νοῦς μὲν γάρ ἐστι πρὸς αὐτῷ.* 115, 11 *τῇ τῆς ἀντιλήψεως προσοχῇ ἐκεῖ πάρεστιν ὅπου ἡ ἀντίληψις.* 115, 17 *ὁ δὴ καθιεὶς εἰς βρωτῶν παραδοχὰς . . . αὐτῇ τῇ καθέσει ἐκεῖ ἐστιν ὅπου καὶ τὸ πάθος.* 3 quod—5 est] Porph. I 41 p. 116, 17 *εἰ οἷόν τ' ἦν ἐνεργεῖν ἡμᾶς κατὰ νοῦν πρὸς τὰ θνητὰ συναπτομένους ἄνευ τῆς τοῦ νοῦ ἐπιβλέψεως . . . νοῦς γὰρ ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει* (Nauckium sententiam *νοῦς . . . ἀκούει* secludentem fugit Hier.). I 21 p. 213, 21 (in Plutarcheis) *νοῦς ὁρᾷ, νοῦς ἀκούει.* 7 quidam] gnosticos dicit a Porph. I 42 p. 117, 11 seqq. impugnatos (cf. Bernays l. l. p. 15 seq.), hosque spectant sententiae 5 *difficile*—9 *perfrui.* 9 apost.] *I Tim.* 5, 6.
11 c. 10] tractum ex Porph. I 43—47, sed respiciuntur etiam Epicurea cc. 49 et 53, accedit Sallustianum. sensus—14 interitum] Porph. I 43 p. 118, 24 *τῆς ἀλογίας . . . καθ' ἑαυτὴν δὲ ἀνεπισκέπτου ὑπαρχούσης, ᾗ ἂν ἐπιβρίσῃ, ἵπποις ἐοικυίας ἄνευ ἡνιόχου.* 44 p. 119, 16 *τὸν λογισμὸν . . . ἡνιοχοῦντα τὸ ἄλογον.* 119, 19 *ὁ μὲν ἀλόγιστος λέγεται καὶ φερόμενος ὑπὸ τῆς ἀλογίας.* 120, 4. fortasse meminit etiam Cappadociorum eandem imaginem Platonicam passim adhibentium, cf. Pohlenz, *Zeitschr. für wiss. Theol.* XLVIII (1905) p. 78 adn. 3 et Buettner, *Basil. des Gr. Mahnworte* eqs. (diss. Wirzeb. 1908) p. 50, ubi adde Bas. Anc. l. l. 8 p. 685 A *ὁ ἵππος φέρει κακῶς ὅπῃ βούλεται τὸν ἡνίοχον.*
14 alia—15 dicentium *et* 17 igitur—409 2 properant] Porph. I 44 p. 119, 24 *οἳ μὲν* (i. e. *οἱ πολλοί*) *ἐφῆκαν τῷ παιδὶ δρᾶν καθ' ἑαυτὸν ἃ βούλεται, οἳ δὲ* (i. e. *οἱ σπουδαῖοι*) *τῷ παιδαγωγῷ.* 120, 8 *εἰ δ' ἀφῆκε ταύτην* (i. e. *τὴν πρόσεξιν*) *πρὸς τῷ παιδὶ εἶναι ἄνευ αὐτοῦ, ἀπώλεσε τὸν ἄνθρωπον συρόμενον ὑπὸ τῆς ἀνοίας τοῦ ἀλόγου.* 120, 14 *παιδαγωγίαν τοῦ ἐν ἡμῖν ἀλογίστου.* 16 historicus] Sallustium per excellentiam dicit, cum Suetonius *de vir. ill.* historicos a Sallustio inceperit. de lectione Sallustiana Hieronymi cf. Luebeck p. 117 seqq. et supra

1 cogitur 𝔖 uidit *S* 2 au*t (audt *a.r.*) *post* audit *add.S* ad] de *S* rei tr.] retrahitur *A* tr.] trahit 𝔖 3 uolumpt- *E* et (*ante* quod) *om.S* 4 possemus *S* 6 est immo impossibile *v* del.] diuitiis *S* 8 copiis] corpus *A* 11 rationem (*sic*) *S* 13 sunt] ruunt *AC* 15 pedagogam *C* esse d.] dic̄ ee̅ ei' *A* dicentibus *v* unde (n *ex* t) *E* u. et] undet *S* 16 *ad* hist. *in marg.* s' Salusti' 𝔖

adulescentis et pueri prudentia paedagogi rexerit, omnis conatus eius et impetus ad lasciviam properant. sine quattuor sensibus vivere possumus, id est sine aspectu auditu odoratu atque conplexu, absque gustu autem et C
cibis inpossibile est humanum corpus subsistere. adesse ergo debet ratio, ut tales et tantas sumamus escas, quibus non oneretur corpus nec libertas animae praegravetur, quia et comedendum est et deambulandum et dormiendum et digerendum et postea inflatis venis incentiva libidinis sustinenda. 'luxuriosa res vinum et contumeliosa ebrietas. omnis autem qui cum his miscetur, non erit sapiens.' ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter di- D
gerere aut comesos magno partos et perditos labore doleamus. holerum et

---

p. 266 et 262 (I 28 p. 283 A *amorem mulieris* flosculis Sallustianis describit ex *avaritiae* descriptione *Cat.* 11, 3 petitis *animumque virilem effeminat, semper ... insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur.* eiusdem loci imitatio *epist.* 108, 20, 4 p. 336, 2 Hilberg adnotanda est). animae—17 est] *Cat.* 1, 2 ubi *animi* pro *animae.* cf. *in Gal.* 5, 16 t. VII 1 p. 500 A *secundum sententiam historici, animi imperio, corporis servitio magis vivere.* *in Eph.* 5, 33 t. VII 1 p. 662 C *animi quippe, ut ait Crispus, imperio, corporis servitio magis utimur.* Lact. *div. inst.* II 12, 12. descendit sententia ex Posidonio, cf. Wagner, *de Sall. prooemiorum fontibus* (diss. Lips. 1910) p. 18.

2 sine—4 subsistere] gustum simul cum tactu corripit Porph. I 45 p. 120, 10 *ὅθεν τοῖς σπουδαίοις ἡ ἀποχὴ μᾶλλον οἰκειοτέρα καὶ βρωτῶν ... καὶ πράξεων τῆς ἐφάψεως ... ἐν δὲ ταῖς τροφαῖς καὶ μᾶλλον.* 3 absque *eqs.*] cf. Bas. Anc. 68 p. 807 C *ἐπειδὴ γὰρ ἀδύνατον χωρὶς τροφῆς ἐν σώματι ζῆν.* sermo de gustu complet Bas. cc. 7—12 p. 681 D—693 C. cf. c. 67 p. 805 C/D.

4 adesse—7 sustinenda] Porph. I 45 p. 120, 22 *ἐπεὶ δὲ καὶ παρολκῆς χρόνου χρεία καὶ πέψεως καὶ ἀναδόσεως καὶ τῆς πρὸς τούτοις συνεργείας τῆς ἐξ ὕπνου τε καὶ ἡσυχίας τῆς τε ἄλλης ἀργίας καὶ μετὰ ταῦτα τῆς ἐκ τῆς ἀναδόσεως ποιᾶς κράσεως περιττωμάτων τε διαχωρήσεως, ἀνάγκη τὸν παιδαγωγὸν παρεῖναι ... συγχωρήσαντος ταῖς ἐπιθυμίαις φορτίον οὐκ εὐάγκαλον ἐπεισάγειν ἡμῖν δι' ὀλίγην ἡδονήν.* cf. c. 46 p. 121, 10 *παχυτέρου φορτίου ἐμπιπλάμενος ὑπνώδης γίγνεσθαι.* de deambulatione a christianis commendata cf. Harnack, *Medizinisches* eqs. l. l. p. 56. 7 inc. lib.] Porph. I 46 p. 121, 22 *πρός τε τὰς ἐπιθυμίας ἧττον ἐρεθίζουσα.* 47 p. 122, 9 *ἐρεθισμῶν πρὸς ἀφροδίσια.* cf. c. 7 p. 336 B *libidinum incentiva.* 7 luxuriosa—9 sapiens] *prov.* 20, 1. 9 ne—10 doleamus] Porph. I 53 p. 127, 25 *εὐλαβητέον εἶναι τροφήν, ἣν ἀποῦσαν μὲν ποθοῦμεν καὶ διώκομεν, συντελεσθεῖσαν δ' ἐν ἀχαρίστῳ τίθεμεν.* 10 holerum—410 4 concoquitur] Porph. I 46 p. 121, 13 *δειξάτω τοίνυν ἡμῖν τις ἀνήρ, ... ὡς εὐπορωτέρα μὲν ἡ κρεοφαγία τῶν ἐκ τῶν ἀκροδρύων καὶ ἐκ λαχάνων ὄψων, εὐτελεστέρα δὲ ἡ τούτων παρασκευὴ τῆς τῶν ἀψύχων καὶ μαγείρων ὅλως μὴ δεομένης ... κουφοτέρα δὲ ἐν ταῖς πέψεσιν τῆς ἑτέρας, κἂν ταῖς ἀναδόσεσιν ταῖς εἰς τὸ σῶμα ταχυτέρα τῆς ἐκ λαχάνων ἀναδόσεως.* verba a Nauckio seclusa p. 121, 19 *ἀνήδονος δὲ καθ' ἑαυτὴν παραβαλλομένη πρὸς τὴν ἄψυχον* partem mutilam suspicor esse maioris parenthesis respondentis sententiae Hieronymianae 410 3 *quia—habet.* cf. etiam 49 p. 124, 5 (in Epicureis) *τοῦτο εὐπόριστον καὶ ὀλίγων δεόμενον ἀναλωμάτων τὸ τῆς παρασκευῆς.*

1 pędagoga *S* 3 et cibis] cibi *C* 4 subs.] sustinere *A* 5 et] ac *v* tantos *Ca.c.* *post* corpus *verba* 4 subsistere—5 corpus *iterat E, vitium correxit m1* animi *C* 6 et (*post* quia)] ad *C* 7 et (*ante* postea) *om.S* libidinum *v* 8 cont.] tumultuosa *C* autem *om.v* 9 ne* *E* nec *v* 10 comestos *A, Cp.c.* paratos *Sp.c., C* et perditos *om.S* lobore *Ea.c.m2* (*item infra p. 412, 6*) et (*ante* pom.) *om.v*

pomorum ac leguminum et facilior apparatus est et arte inpendiisque cocorum non indiget; et sine cura sustentat humanum genus, moderateque sumptus — quia nec avide devoratur quod inritamenta gulae non habet —
E leviori digestione concoquitur. nemo enim uno et duobus cibis hisque vilibus usque ad inflationem ventris oneratur, quae diversitate carnium et saporis delectatione concipitur, cum variis nidoribus fumant patinae et ad
340 A esum sui, expleta esurie, quasi captivos trahunt. unde et morbi ex saturitate nimia concitantur multique inpatientiam gulae vomitu remediantur et quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt.

c. 11 Hippocrates in *ἀφορισμοῖς* docet crassa et obesa corpora, quae crescendi mensuram inpleverint, nisi cito ablatione sanguinis inminuantur, in paralysim et pessima morborum genera erumpere, et idcirco esse necessa-
B riam demptionem, ut rursum habeant, in quae possint crescere. non enim manere in uno statu naturam corporum, sed aut crescere semper aut de-

---

4 nemo *eqs.*] cohortatio Socratica; cf. Xenoph. *ἀπομν.* I 3, 6 (Staehlin ad Clem. Al. *παιδαγ.* II 1 p. 164, 20). 7 captivos] cf. Bas. Anc. 3 p. 676 B *αἰχμάλωτον ἄγων*; 5 p. 681 A; 65 p. 801 C *αἰχμαλωτίζων*; 67 p. 805 B. 7 unde et morbi *eqs.*] Porph. I 47 p. 122, 8 *νόσων σφοδρότητος καὶ πλήθους, ἰατρῶν δεήσεως.* 53 p. 128, 2 (in Epicureis) *οἱ περὶ ταύτην (τὴν δαψιλῆ καὶ παχεῖαν τροφήν) ἐπτοημένοι . . . νόσοις . . . περιπίπτοντες.* de loco morborum ex voracitate natorum cf. Wendland, *Philo und die k.-st. D.* p. 13 adn. 5 et Staehlin ad Clem. Al. *παιδαγ.* II 1 (2, 1) p. 154, 17. cf. c. 11 p. 341 B. 10 c. 11] compositum ex Galeno et Porph. (I 48—54); idem auctorum par adhibuit aetate Hieronymi ad librum *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* condendum Nemesius Emesenus. communem usum Galeni et Porphyrii apud homines litteratos antiquitatis cadentis illustrat etiam Porphyrii scriptum *πρὸς Γαῦρον περὶ τοῦ πῶς ἐμψυχοῦται τὰ ἔμβρυα* sub Galeni nomine traditum, quod illi Kalbfleisch, *Abh. der Ak. zu Berl.* 1895 p. 15 seqq. feliciter reddidit. Hippocratem H. non evolvit; meminerat loci scholastici de athletis (de eo cf. Geffcken, *Kynika* p. 103; Friedlaender, *Darst. aus der Sitteng. R.* II[8] p. 499; Norden, *ann. phil. suppl.* XVIII p. 299 et 304; Wagner, *de Sall.* l. l. p. 19) a Galeno in *προτρ.* tractati; illic postquam Hippocratem laudari vidit (c. 11 p. 15, 29 Kaibel *εἴπερ Ἱπποκράτει δεῖ πιστεύειν κτλ.*), ad evolvendum opus *Ἱπποκράτους ἀφορισμοὶ καὶ Γαλήνου εἰς αὐτοὺς ὑπομνήματα* processit. usus huius operis vel ea re firmatur, quod Galeni *προτρ.* afferens ornat illum epitheto *vel doctissimus Hipocratis interpres.* 10 Hipp.—12 erumpere] Galen. *Ἱππ. ἀφ.* I 3 t. XVII 2 p. 361 K. = Hipp. t. IV p. 458 L. *ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραί, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν.* cf. Galen. ibid. p. 364 *ὅταν μήτε προσθεῖναί τι τοῖς στερεοῖς τοῦ σώματος μορίοις ἐγχωρεῖ μήθ' αἱ φλέβες ἔτι χώραν ἔχωσιν ὑποδέχεσθαι τὴν ἀναδιδομένην τροφήν, ἀνάγκη κίνδυνον καταλαβεῖν ἢ ῥήξεως ἀγγείου τινὸς ἢ ἐξαιφνιδίου θανάτου.* 12 idcirco—13 crescere] Galen. ibid. p. 361 (= Hipp. p. 460) *τουτέων οὖν εἵνεκεν τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λαμβάνῃ τὸ σῶμα.* 13 non—411 1 sit] Galen. ibid. (= Hipp. p. 458) *οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν· ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐδ' ἔτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον.* cf. Galen. *προτρ.* 11 p. 17, 12 *οὔτε γὰρ πρόσθεσιν κτλ.*

2 genus] corpus *v* 3 gy- *E* 4 unum *S* uino (*sic*) *A* uno, *at* o *m2p.r.ȝ* et] ex *C* aut *v* 5 diuersitatem *S* 6 nid.] odoribus *Ap.c.m2* et *om.A* 7 ex sat.] exaturitate *S* saturitate *A* 8 inpatienti *ȝ* impatientia *A* 10 Hy- *E* *αφορισμοις* *ESȝA* aforismis *C* 11 inpl.] compleverint *v* 12 paralysim] sui *add.C* 13 possent *S* 14 natura* *C*

crescere, nec posse vivere animal, nisi crescendi capax sit. unde et Galenus, vel doctissimus Hipocratis interpres, athletas, quorum vita et ars sagina est, dicit in Exhortatione medicinae nec vivere posse diu nec sanos esse; animasque eorum ita nimio sanguine et adipibus quasi luto involutas nihil C tenue, nihil caeleste, sed semper de carnibus et ructu et ventris ingluvie cogitare. Diogenes tyrannos et subversiones urbium bellaque vel hostilia vel civilia non pro simplici victu holerum pomorumque, sed pro carnibus et epularum deliciis adserit excitari. quodque mirandum sit, Epicurus, voluptatis adsertor, omnes libros suos replevit holeribus et pomis et vilibus cibis dicens esse vivendum, quia carnes et exquisitae epulae ingenti cura D ac miseria praeparentur maioremque poenam habeant in quaerendo quam voluptatem in abutendo. corpora autem nostra cibo tantum et potu indigere. ubi aqua et panis sit et cetera his similia, ibi naturae satisfactum;

---

1 G. in Exh. med.] *προτρ. ἐπ' ἰατρικήν* 11 p. 17, 11 *ἡ δὲ τῶν ἀθλητῶν ἐπ' ἄκρον εὐεξία σφαλερά τε καὶ εὐμετάπτωτος . . . ἔνιοι μὲν γὰρ μετ' ὀλίγον ἀποθνήσκουσιν, ἔνιοι δ' ἐπὶ πλέον ⟨μὲν⟩ ἥκουσιν ἡλικίας, ἀλλ' οὐδ' αὐτοὶ γηρῶσιν κτλ.* 3 nec sanos esse] ibid. p. 15, 27 *πότερον οὖν τῆς . . . ὑγιείας ἀμφισβητήσουσιν;* p. 17, 24 *τὰ τῶν ἀθλητῶν σώματα ... ἀσθενῆ.* 3 animasque—5 cogitare] ibid. p. 15, 20 *τὴν ἀρχὴν γὰρ οὐδ' εἰ ψυχὴν ἔχουσι γιγνώσκουσι· τοσοῦτον ἀποδέουσι τοῦ λογικὴν αὐτὴν ἐπίστασθαι. σαρκῶν γὰρ ἀεὶ καὶ αἵματος ἀθροίζοντες πλῆθος ὡς ἐν βορβόρῳ πολλῷ τὴν ψυχὴν ἑαυτῶν ἔχουσι κατεσβεσμένην, οὐδὲν ἀκριβὲς νοῆσαι δυναμένην ἀλλ' ἄνουν ὁμοίως τοῖς ἀλόγοις ζῴοις.* 6 Diogenes—8 excitari] Porph. I 48 p. 122, 14 *οὐ γὰρ ἐκ τῶν μαζοφάγων, φησὶν ὁ Διογένης, οἱ κλέπται καὶ οἱ πολέμιοι* (*πολ.* Nauckio suspectum. legitne Hier. *πολιορκηταί*?), *ἀλλ' ἐκ τῶν κρεοφάγων οἱ συκοφάνται καὶ τύραννοι.* cf. II 40 p. 170, 1 *στάσεις καὶ πόλεμοι.* IV 2 p. 230, 2. Iulian. *εἰς τοὺς ἀπαιδ. κύνας* (or. VI) p. 198 D. (Capelle, *Berl. phil. Woch.* XXXIV, 1914, p. 266). 8 quodque m. s.] Porph. I 48 p. 123, 2 *καὶ ὃ παράδοξον . . . δόξειεν ⟨ἂν⟩ εἶναι.* Epicurus—412 7 potest] Epicurea (frg. 466 Vs.) ex Porphyrii cc. 48—54 excerpsit (huius auctorem Bernays, *Theophr.* p. 16 Hermarchum dicit), sed nec ordinem Porphyrii servavit et alia Porphyriana praeter Epicurea respexit; denique locutiones gravissimas ex scholastica notitia doctrinae Epicureae addidit, ubi hic illic Senecae imitatio Epicurea tradentis pellucet (cf. *adv. Rufin.* III 39 p. 565 B *potui . . . in Seneca discere*). 9 vol. ass.] cf. p. 350. Porph. I 48 p. 123, 4 *τοὺς ἡδονὴν οἰομένους τὸ τέλος.* omnes libros *eqs.*] ibid. p. 123, 7 *μάζῃ καὶ τοῖς ἀκροδρύοις ἀρκούμενοι φαίνονται, τά τε συγγράμματα ἐμπεπλήκασι τὸ ὀλιγοδεὲς τῆς φύσεως ἀφηγούμενοι καὶ τὸ ἐκ τῶν λιτῶν καὶ εὐποριστων ἱκανῶς αὐτῆς τὸ ἀναγκαῖον ἰώμενον παριστάντες.* 10 exquisitae—12 abutendo] 51 p. 125, 13 *ἥ τε ποικιλία τῶν τροφῶν οὐχ ὅπως τὰς ταραχὰς τῆς ψυχῆς ἐκλύει, ἀλλ' οὐδὲ τὴν ἐν τῇ σαρκὶ ἡδονὴν συνεπαύξει.* 12 cibo . . . et potu] iunctura inde a Paul. Fest. tradita increbrescit apud eccl. (Hier. *epist.* 21, 2, 6; 79, 4, 3; al.). graecum *σῖτα καὶ ποτά* in moralibus scriptoribus tritum persequitur Hense ed. *Muson.* p. 94. Porph. I 34 p. 112, 3 *σιτία τε καὶ ποτά.* 13 aqua—satisfactum] Sen. *epist.* 25, 4 (Epic. frg. 602) *panem et aquam natura desiderat.* cf. Epic. frg. 181. idem praeceptum cynicorum, stoicorum, Philonis est (cf. Vsener, *Epic.* p. 300 et Wendland, *Philo und die k.-st. D.* p. 9). *aqua et panis* formulae latinae testis praecipuus fertur esse Hier. (Thes. II 358, 64).

1 animal] aā *A* 2 vel] et *C* vir *v* 5 et ru.] eructu *A* 8 et *om.S* quoq) *A* 10 dicens] dicit *v* 11 praeparantur *A* quaer.] inquirendo *v* qua *Ea.c.*

quidquid supra fuerit, non ad vitae necessitatem spectare, sed ad vitium
voluptatis. bibere et comedere non deliciarum ardorem, sed sitim famemque
E restinguere. qui carnibus vescantur indigere etiam his quae non sunt car-
nium. qui autem simplici victu abutantur, eos carnes non requirere.
841 A sapientiae quoque | operam dare non possumus, si mensae abundantiam co-
gitemus, quae labore nimio et cura indiget. cito expletur naturae necessi-
tas, frigus et fames simplici vestitu et cibo expelli potest. unde et apo-
stolus: 'habentes', inquit, 'victum et vestitum his contenti sumus'. de-
liciae et epularum varietas fomenta sunt avaritiae. grandis exultatio animae
B est, cum parvo contentus fueris, mundum habere sub pedibus et omnem eius
potentiam, epulas, libidines, propter quae divitiae conparantur, vilibus mu-
tare cibis et grossiori tunica conpensare. tolle epularum et libidinis lu-

---

1 quidquid—2 voluptatis] Porph. I 49 p. 123, 16 *τὸ δὲ λοιπὸν ὅσον εἰς πολυτέλειαν πέπτωκεν, οὐκ ἀναγκαίαν ἔχειν φασὶ τὴν ὄρεξιν.* I 38 p. 114, 24 *πᾶν τὸ πέρα τούτου ὡς εἰς ἡδονὴν συντεῖνον παραιτήσεται.* 2 bibere—3 restinguere] Sen. *epist.* 21, 10 (Epic. frg. 181); cf. *de vita b.* (d. VII) 20, 5 *edendi mihi erit bibendique finis desideria naturae restinguere. epist.* 4, 10 *ut famem sitimque depellas.* 8, 5. comedere] pro *edere* iungitur cum *bibere* non ante eccl. (Thes. III 1765, 61). 3 qui—4 requirere] Porph. I 49 p. 124, 3 *καὶ τῷ μὲν κρεοφαγίας ἁπτομένῳ χρεία καὶ τῶν ἀψύχων, τῷ δὲ ἀρκουμένῳ τοῖς ἀψύχοις ἐξ ἡμισείας καὶ τοῦτο εὐπόριστον καὶ ὀλίγων δεόμενον ἀναλωμάτων τὸ τῆς παρασκευῆς.* 5 sapientiae—6 indiget] I 50 p. 124, 13 *διὸ φιλοσοφοῦντα δεῖ καὶ τούτων προνοεῖν καὶ ἐφ' ὅσον ἂν ἡ παρ' ἐκείνοις ἔντονος ἐπιμέλεια παραδιδῷ. ἐφ' ὅσον δὲ ἐκεῖθέν τι ἀφαιρεῖται, ὃ μὴ κυριεύσει τῆς τελείας ἐκθαρρήσεως, μὴ προσίεσθαι πρὸς τὴν χρημάτων τε καὶ τροφῶν παρασκευήν.* 51 p. 124, 24 *ἐκ τοῦ κωλύειν τὴν περὶ τῶν κυριωτάτων λογισμῶν ἐνέργειαν εἶναι συνεχῆ.* 53 p. 127, 11 *ἕνεκα τοῦ μὴ ἐμποδίζεσθαι πρὸς τὰ ἀγαθὰ τὰ ἐκ τῆς θεωρίας.* consimiliter Muson. *περὶ τροφῆς* p. 95, 11 H. *εἶναι δὲ ταύτην* (*τὴν κρεώδη τροφήν*) . . . *τῷ νοεῖν τι καὶ φρονεῖν ἐμπόδιον.* 6 cito—7 potest] Porph. I 49 p, 124, 1 *ἱκανὰ γὰρ καὶ τὰ τυχόντα διακρατῆσαι ταῦτα ἦν, ὧν ἀναγκαίως δεῖται ἡ φύσις. ταῦτα δὲ . . . εὐπόριστα.* cf. I, 54 p. 129, 7; IV 20 p. 264, 19. de vestitu cf. Epic. frg. 200; 456; 602. 7 frigus et fames] Iuv. 14, 318 (Epic. frg. 471) *in quantum . . . fames et frigora poscunt, quantum, Epicure,* eqs. Sen. *epist.* 4, 10 (frg. 477); 119, 7.
7 apost.] *I Tim.* 6, 8. *epist.* 79, 4, 3 p. 92, 4 H. et 108, 20, 4 p. 336, 1 idem Pauli verbum cum insectatione avaritiae legitur. 8 deliciae *eqs.*] Porph. I 51 p. 125, 2 *τὰ δὲ πολυτελῆ ποιεῖ δυσέλπιστον. οἱ γοῦν πολλοὶ διὰ τοῦτο, καίπερ πολλὰ κεκτημένοι, ὡς ὑπολειψόντων ἀνήνυτα μοχθοῦσιν.* cf. c. 8 p. 337 B.
9 grandis exultatio *eqs.*] ne haec quidem cynica; *grossiorem tunicam* dicit, 'pallium' (Geffcken, *Kynika* p. 77; al.) silet. de exultatione sapientis Epicureorum cf. frg. 200 et 602. Cic. *de fin.* II 91 (frg. 468) *parvo esset natura contenta. Tusc.* V 89. quamquam consimilibus flosculis cynici quoque et stoici sapientis beatitudinem significarunt ut monuit Vsener, *Epic.* p. 339. cf. etiam Attalum apud Sen. *epist.* 110, 18 *disce parvo esse contentus et . . . exlama: . . . Iovi ipsi controversiam de felicitate faciamus.* 12 tolle—413 2 est] Porph. I 54 p. 128, 23 *ἀρθείσης γὰρ πολυτελείας, ἀρθείσης τῆς περὶ τὰ ἀφροδίσια πτοίας . . . τίς λοιπὸν χρεία πλούτου ἀργοῦ, εἰς μηδὲν ἡμῖν χρησιμεύσαντος, ἀλλὰ μόνον βαρήσοντος;*

2 ardorem] ardore *ESʒ* ardor est *C* famequę *S* 3 restringere *ʒ* uescuntur *A* his *s.l.A* 4 abutuntur *A* amputantur *S* 5 abund.] copiã *A* 6 cura] diligenti ac ingenti *add.A* 8 uestimentum *S* simus *ʒC* 9 varietates *v* avaritiae sunt *v* 10 fueris] cibo *add.A* 12 grassiori *E*

xuriam, nemo quaeret divitias, quarum usus aut in ventre aut sub ventre est. qui aegrotat, non aliter recipit sanitatem nisi tenui cibo et castigato victu quae *λεπτὴ δίαιτα* dicitur. quibus ergo cibis recipitur sanitas, his et servari potest, ne quis putet morbos holeribus concitari. si autem Mi- C lonis illius Crotoniatae vires holera non ministrant, quae nascuntur et aluntur ex carnibus, quid necesse est sapienti viro et philosopho Christi tantam habere fortitudinem, quae athletis et militibus necessaria est, quam cum habuerit, ad vitia provocetur? illi arbitrantur carnes sanitati congruas, qui volunt abuti libidine et in caenum demersi voluptatum ad coitum semper exaestuant. christiano sanitas absque viribus nimiis necessaria est. nec D turbare nos debet, si rari sint huius propositi sectatores, quia rari sunt et amici boni et fideles, et pudici et continentes semperque virtus rara est.

lege Fabricii continentiam, Curii paupertatem et in tanta urbe vix paucos invenies quos sequaris. noli timere, ne si carnes non comederis, aucupes et venatores frustra artificia didicerint.

c. 12

Legimus quosdam morbo articulari et podagrae umoribus laborantes E

1 in ventre aut sub ventre] cf. Philo *περὶ φυγάδων* 6 p. 551 M. *τῶν γαστρὸς καὶ μετὰ γαστέρα ἡδονῶν.* Iulian. *εἰς τοὺς ἀπαιδ. κύνας* (or. VI) p. 196 C *ἄχρις οὗ γαστὴρ ἄρχει σου καὶ τὰ ἔνερθεν γαστρός.* Bas. Anc. 2 p. 672 C *τῶν ὑπὸ γαστέρα ἡδονῶν.* 2 qui—4 potest] Porph. I 52 p. 126, 7 *δι' ὧν* — 9 *συμμείνειεν* perscripsi p. 116. castig. v.] Tert. *de ieiun.* 6 p. 280 1 *castigati a deo victus.* 4 si—8 provocetur] Porph. I 52 p. 126, 9 *εἰ δὲ μὴ πρὸς τὴν Μίλωνος ῥώμην τὰ ἄψυχα συμβάλλεται μηδὲ ὅλως πρὸς ἐπίτασιν ἰσχύος, οὐδὲ γὰρ ῥώμης οὐδὲ ἐπιτάσεως ἰσχύος χρεία τῷ φιλοσόφῳ, εἰ μέλλοι θεωρίᾳ καὶ μὴ πράξεσι καὶ ἀκολασίαις προσέχειν.* *Crotoniatae* addidit, quod legit tam alibi (cf. Thes. Onom. II 732, 48) quam in Galeni *προτρ.* 13 p. 19, 20. nota impudentiam compilatoris pro *φιλοσόφῳ* apud 'Christi hostem' invento scribentis *philosopho Christi.* 7 fortitudinem] cf. c. 6 p. 332 D (ad 399 2). 8 illi—10 exaestuant] Porph. I 52 p. 126, 13 *οὐδὲν δὲ θαυμαστὸν τοὺς πολλοὺς οἴεσθαι εἰς ὑγίειαν συντελεῖν τὴν κρεοφαγίαν· τῶν γὰρ αὐτῶν ἦν καὶ τὰς ἀπολαύσεις οἴεσθαι ὑγείας εἶναι τηρητικὰς καὶ τὰ ἀφροδίσια.* cf. 51 p. 125, 20 *οὐ γὰρ πρὸς ζωῆς συμμονήν, πρὸς δὲ ποικιλίαν ἡδονῶν συνεβάλλετο, ἐοικὸς ἀφροδισίοις . . ., ὧν καὶ χωρὶς διαμένειν δύναται ἡ φύσις.* 41 p. 116, 22 *παλλακίσι συνὼν καὶ δρῶν ἃ μηδὲ λέγειν καλόν.*

10 nec—12 est] I 52 p. 126, 18 *εἰ δ' οἱ πολλοὶ μὴ τοιοῦτοι, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· οὐδὲ γὰρ φιλίας καὶ εὐνοίας πιστόν τι καὶ διαμόνιμον ἐν τοῖς πολλοῖς . . . πρός τε τούτοις πολὺ τὸ ἀσελγὲς καὶ ἀκρασίας γέμον ἐν τοῖς πολλοῖς.* 13 Fabricii *eqs.*] de Fabr. et Cur. continentiae exemplis (Val. Max. IV 3) et paupertatis (ibid. 4) a Cic., Sen. al. adhibitis cf. Muenzer, *Beiträge zur Quell. der Naturg. des Plinius* p. 217 et Alewell, *Über das rhet. παράδ.* p. 58 et 67. 14 noli—15 didicerint] Porph. I 52 p. 126, 25 *διὸ οὐδὲ φοβητέον μή ποτε οὐκ ὦσιν οἱ βρωσόμενοι τὰ ζῷα. πάντων μὲν γὰρ φρονησάντων τὰ ἄριστα οὐδεμία χρεία ὀρνιθευτικῆς, ἰξευτῶν, ἁλιέων, συβωτῶν* (*ὀρνιθευτικῆς* pro quo *ὀρνιθευτῶν* malit Nauck, defenditur *artificiis*). 16 c. 12] clauditur compilatio libri I excerptis cc. 53 et 54. immiscentur Horatiana et Tertullianeum. legimus—414 3 animam] Porph. I 53

1 quaerit *S𝔖* 2 recepit *S* sanitatem *om.S* castigatio *𝔖* 3 *λεπτη A λεπγη E, magis corrupte in S𝔖C* *διαιτα ES, corrupte in 𝔖AC* 5 crotaniatae *ES* aluuntur *A* 6 uiro sapienti *C* phylopho *S* 8 arbitrentur *v* 9 libidinem *Ea.c.* 10 $\overline{\chi}$peano *E* (*cf. p. 386, 12*) abque *Ea.c.m2* nimis *A* 11 debent *A* sint] sunt *A* praepositi *Ea.c.* 12 que *om.S* 13 Curii] cur *A* 15 didicer*int *E* 16 quosquosdam *Ea.r.*

proscriptione bonorum ad simplicem mensam et pauperes cibos redactos con-
valuisse. caruerant enim sollicitudine dispensandae domus et epularum lar-
842 A gitate, quae et corpus frangunt et | animam. inridet Horatius adpetitum
ciborum, qui consumpti relinquunt paenitentiam: 'sperne voluptates, nocet
empta dolore voluptas.' et cum in amoenissimo agro in morsum voluptuo-
sorum hominum se crassum pinguemque describeret, lusit his versibus: 'me
B pinguem et nitidum bene curata cute vises, cum ridere voles, Epicuri de
grege porcorum'. sed et ex vilissimis cibis vitanda satietas est. nihil enim
ita obruit animam, ut plenus venter et exaestuans et huc illucque se ver-
tens et in ructus vel in crepitus ventorum efflatione respirans. quale illut
ieiunium aut qualis refectio post ieiunium, cum pridianis epulis distendi-
C mur et guttur nostrum meditatorium efficitur latrinarum? dumque volu-
mus prolixioris inediae famam quaerere, tantum voramus, quantum vix al-
terius diei nox digerat. itaque non tam ieiunium appellandum est quam
crapula ac faetens et molesta digestio.

c. 13 Dicearchus in libris Antiquitatum et descriptione Greciae refert sub
Saturno, id est in aureo saeculo, cum omnia humus funderet, nullum com-
D edisse carnes, sed universos vixisse frugibus et pomis, quae sponte terra
gignebat. Persarum, id est Cyri vitam Xenophon octo voluminibus expli-
cat, polenta et cardamo et sale ac pane cibario eos adserens victitare.

---

p. 127, 14 *πολὺ γὰρ τὸ ἄχρι σώματος ἐντεῦθεν (ἐκ τῆς ψυχῆς ἀταράχου καταστάσεως) ἀφικνούμενον, ὡς πεῖρᾳ διέδειξαν ἡμῶν ἑταῖροι, καὶ ἀρθρῖτιν νόσον περί τε πόδας καὶ χεῖρας . . . ἀποκροῦσαι ἅμα τῇ ἐκστάσει τῶν χρημάτων καὶ πρὸς τὸ θεῖον ἐπιβλέψει· συναπέθεντο γοῦν ἅμα τοῖς χρήμασι καὶ ταῖς φροντίσιν καὶ τὴν νόσον τοῦ σώματος.*

3 Hor.] *epist.* I 2, 55. 6 versibus] *epist.* I 4, 15/6. *porcum* ex Hor. scribae aevi Karolini pro *porcorum* restituerunt, sed rhythmice Hier. posuerat *Epicūrī dē grēgē pōrcōrum* ratione Commodiani. 8 sed *eqs.*] Porph. I 54 p. 128, 4 *διὸ καὶ ἐπὶ τῶν λιτῶν φυλακτέον τὸ πλήσμιον κτλ.* 10 ructus] cf. Porph. I 47 p. 122, 9 *ἀναθυμιάσεων παχυτέρων, περιττωμάτων πλήθους.* Cic. *Tusc.* V 100 *sudantis, ructantis, refertos epulis.* 12 medit. *eqs.*] Tert. *de ieiun.* 6 p. 280, 7 *cum totum illud domicilium interioris hominis escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis iam stercoribus exaestuans praemeditatorium efficitur latrinarum, in quo plane nihil tam in proximo supersit quam ad lasciviam sapere.* 12 dumque *eqs.*] cf. *epist.* 59, 10, 5 p. 477, 14 *parcus cibus . . . ieiuniis praeferatur.* 107, 10, 3 p. 301.
16 c. 13] principalis auctor Porphyrius (IV 2—8), subsidiarii Xenophon, Philo Iudaeus, Chaeremo; cf. p. 83 seqq. Dicearchus—19 gignebat] Porph. IV 2 p. 228, 24 *ὁ περιπατητικὸς Δικαίαρχος* — 229, 12 *φησίν* perscripsi p. 84. 19 Persarum—20 victitare] v. p. 87 seqq.

1 proscriptionem (-bt- *E*) *ESa.c.* 2 sollicitudinem *ES, at cum* largitate *sequatur, structuram* carendi *c. acc. Hier. vitavisse videtur* (*cf. Thes. III 454, 67 seqq.*) solitudine, *at* ci *s.* it *C* 3 animum *A* 4 relinquant *A* uoluntates *C* 5 morsu *C* 8 porcum 𝔖*A* porc*um (*ras. etiam infra* u) *C* sed et] sed *om., at* sed *ex* et *E* et *om. S*𝔖, *A* (*s.l. add. m2?*); *cf. Porph.*
9 ita] tam *A* animum *AC* uenter (r *auctum virgula, putes* et *expressum*) *S* et (*post* venter) *om.S* exaest.] aestuans 𝔖*a.c.*, *C* 11 est aut qualis illa *v* 12 mediatorium *A*, *Ca.c.* 13 famem *A* querre *C* vix a. d.] in altera die uix 𝔖 15 et m.] ac m. *C* 17 fuderit *S* 18 fugibus *Ea.c.m2*
19 id est] regis *v* uo*lum- *E* 20 adserens eos 𝔖

Lacedaemoniorum mensae frugalitatisque et suprascriptus Xenophon et Theo-
phrastus et omnes paene scriptores Graeciae testes sunt. Cheremon stoi-
cus, vir eloquentissimus, narrat de vita antiquorum Aegypti sacerdotum,
quod omnibus mundi negotiis curisque postpositis semper in templo fuerint **E**
et rerum naturas causasque ac rationes siderum contemplati sint; numquam
mulieribus se conmiscuerint, numquam cognatos et propinquos, ne liberos
qui|dem viderint ex eo tempore, quo coepissent divino cultui deservire; car- **343 A**
nibus et vino se semper abstinuerint propter tenuitatem sensus et vertigi-
nem capitis, quam ex parvo cibo patiebantur, et maxime propter adpetitus
libidinis, qui ex his cibis et ex hac potione nascuntur. pane raro vesceban-
tur, ne onerarent stomachum; et si quando comedebant, tunsum pariter
hysopum sumebant in cibo, ut escam graviorem illius calore dequoquerent.
oleum tantum in holeribus noverant, verum et ipsum parum propter nau- **B**
siam et asperitatem gustus leniendam. 'quid loquar', inquit, 'de vola-
tilibus, cum ovum quoque pro carnibus vitaverint et lac? quorum alterum
carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant colore mutato'. cubile

---

1 Laced.—2 sunt] Porph. IV 4 p. 233, 26 *μέγα*—234, 2 *εὐτελείᾳ* perscripsi p. 84. Xenophon] v. p. 87 seq. 2 Cheremon—5 sint] Porph. IV 6 p. 236, 11 *τὰ γοῦν*—16 *διαιτᾶσθαι* et ibid. p. 236, 24 *ἀπειπάμενοι*—237, 4 *πλεονεξίας* perscripsi p. 84. propter 5 *rerum naturas* eqs. cf. etiam IV 8 p. 240, 7 *διῄρουν δὲ νύκτα μὲν εἰς ἐπιτήρησιν οὐρανίων* et p. 240, 12 *πρὸς θεωρήμασιν ἦσαν . . . συνόλως τε περὶ τὴν ἐμπειρίαν καταγιγνόμενοι.* 5 numquam mulieribus *eqs.*] Porph. IV 7 p. 239, 18 *πρὸ δὲ πάντων ὁμιλίας γυναικείας* (*ἀπείχοντο*). at Porph. tantum de ipso castimoniae et purificationis tempore loquitur. 6 numquam —7 deservire] Porph. IV 6 p. 237, 8 *σεμνοὺς δὲ αὐτοὺς παρεῖχεν καὶ τὸ δυσεπίμικτον, οἵ γε παρὰ μὲν αὐτὸν τῶν λεγομένων ἁγνειῶν τὸν καιρὸν οὐδὲ τοῖς συγγενεστάτοις καὶ ὁμοφύλοις ἐπεμίγνυντο σχεδὸν κτλ.* liberos] transtulit in sacerdotes Aegyptios Porphyriana de Samanaeis IV 17 p. 257, 17 *οὔτε πρὸς τέκνα, εἰ τύχοι κεκτημένος, ἐπιστροφὴν ἤ τινα λόγον ἔτι ποιούμενος, ἢ πρὸς αὐτὸν ὅλως νομίζων.* 7 carnibus] Porph. IV 7 p. 238, 17 *πολλοὶ δὲ καθάπαξ τῶν ἐμψύχων* (*ἀπείχοντο*). 239, 16. cf. c. 14 p. 343 D *vino et carnibus semper abstinuerint* (de Essaeis). 8 vino—14 leniendam] IV 6 p. 237, 27 *οἴνου γὰρ οἳ μὲν οὐδ' ὅλως, οἳ δὲ ὀλίγιστα ἐγεύοντο, νεύρων αἰτιώμενοι βλάβας καὶ πλήρωσιν κεφαλῆς ἐμπόδιον εἰς εὕρεσιν, ἀφροδισίων τε ἔφασαν αὐτὸν ὀρέξεις ἐπιφέρειν. ταύτῃ δὲ καὶ τῶν ἄλλων εὐλαβῶς εἶχον, ἄρτοις μὲν οὐδὲ ὅλως ἐν ταῖς ἁγνείαις χρώμενοι· εἰ δέ ποτε μὴ ἁγνεύοιεν, σὺν ὑσσώπῳ κόπτοντες ἤσθιον· τὸ πολὺ γὰρ αὐτοῦ τῆς δυνάμεως καθαιρεῖν ἔφασαν τὸν ὕσσωπον. ἐλαίου δ' ἀπείχοντο ⟨οἳ⟩ μὲν ὡς τὸ πολύ, οἱ πλεῖστοι δὲ καὶ παντελῶς· εἰ δέ που μετὰ λαχάνων χρήσαιντο, παντελῶς ὀλίγῳ καὶ ὅσον παρηγορῆσαι τὴν αἴσθησιν.* 14 quid—16 mutato] IV 7 p. 238, 16 *πτηνῶν*—18 *προσίεντο* p. 87 perscripsi, non sufficiunt ad Chaeremonis memoriam explicandam. 16 cubile—416 4 siccabant] IV 7 p. 239, 24 *κοίτη δὲ αὐτοῖς ἐκ τῶν σπαδίκων τοῦ φοίνικος, ἃς καλοῦσι βάις, ἐπέπλεκτο· ξύλινον δὲ ἡμικυλίνδριον εὖ λελεασμένον ὑπόθημα τῆς κεφαλῆς· ἤσκουν δὲ δίψαν καὶ πεῖναν καὶ ὀλιγοσιτίαν παρὰ πάντα τὸν βίον. μαρτυρία δ' αὐτῶν τῆς ἐγκρατείας, ὅτι μήτε περιπάτοις ἢ ἑώραις* (*περιάπτοις μήτ' ἐπῳδαῖς* Nauck praeteriens *umores*

1 exenophon 𝔰 theopr- *ES𝔰A* 2 paene *om.C* poe- *E* scriptorum *A* 4 o.] omnib; *** *S* 5 sideru* *S* 6 se mulieribus *C* miscuerint *C* ne] nec *C* 7 vid.] et *add.C* 8 se *om.AC* 9 appetitū *A* 10 ex hac *om.𝔰* potatione 𝔰 11 t.] tunc 𝔰 13 o.] holeo *S* 16 c. e.] cubileis *S*

eis de foliis palmarum, quas 'baias' vocant, contextum erat. scabillum ad-
C cline et ex una parte obliquum in terram pro pulvillo capiti subponebant,
bidui triduique inediam sustinentes; et umores corporis, qui nascuntur ex
otio et ex mansione unius loci, nimia victus castigatione siccabant.

c. 14 Iosephus in secunda Iudaicae captivitatis historia et in octavo decimo
Antiquitatum libro et contra Appionem duobus voluminibus tria describit
D dogmata Iudaeorum: Farisaeos, Sadduceos, Esseos. quorum novissimos miris
effert laudibus, quod et uxoribus et vino et carnibus semper abstinuerint et
cottidianum ieiunium verterint in naturam. super quorum vita et Philo, vir
doctissimus, proprium volumen edidit. Eanthes Cyzicenus et Ascle-

---

corporis ... *ex mansione unius loci* eqs.; cf. etiam Plut. *εἰ πρεσβ. πολιτ.* 18 p. 793 B *αἰώραις καὶ περιπάτοις*) *χρώμενοι διῆγον ἄνοσοι καὶ πρὸς μετρίαν ἰσχὺν εὔτονοι.*

5 c. 14] ex Porph. IV 11—19 et 22 amissaque libri parte, accedunt Philo et Xenophon. Iosephus—7 Esseos] IV 11 p. 245, 11 *τῶν δὲ παρ' αὐτοῖς φιλοσοφιῶν τριτταὶ ἰδέαι ἦσαν, καὶ τῆς μὲν προΐσταντο Φαρισαῖοι, τῆς δὲ Σαδδουκαῖοι, τῆς δὲ τρίτης, ἣ καὶ ἐδόκει σεμνοτάτη εἶναι, Ἐσσαῖοι. οἱ οὖν τρίτοι τοιοῦτον ἐποιοῦντο τὸ πολίτευμα, ὡς πολλαχοῦ Ἰώσηπος τῶν πραγματειῶν ἀνέγραψεν, καὶ γὰρ ἐν τῷ δευτέρῳ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἱστορίας ... καὶ ἐν τῷ ὀκτωκαιδεκάτῳ τῆς ἀρχαιολογίας ... καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν πρὸς τοὺς Ἕλληνας, εἰσὶ δὲ δύο τὰ βιβλία.* in Iosephi operibus ipse habitans (cf. Luebeck p. 33/50) pro Porphyrii titulo *πρὸς τ. Ἑλλ.* sollemnem *c. App.* reposuit, quem dixit etiam *epist.* 70, 3, 3 p. 704, 8 *duos libros scribit contra Apionem* (*App*- pars codd.), *Alexandrinum grammaticum*. praeterea cave ne cum Bernays, *Theophr.* p. 153 *secundo volumine* pro *duobus voluminibus* corrigendum censeas; nam cum de Essaeis in l. II operis *κατὰ Ἀπ.* nihil invenerit (nec quicquam nunc est in toto hoc opere), sciens obscuriorem locutionem praetulit. 8 uxoribus—abstinuerint] IV 11 p. 246, 3 (= Ioseph. *Ἰουδ. πολ.* II 8, 2) *καὶ γάμου μὲν παρ' αὐτοῖς ὑπεροψία* (de caelibatu Essaeorum cf. Zeller III 2[4] p. 321 adn. 1; Ioseph. *Ἰουδ. ἀρχ.* XVIII 1, 5). 12 p. 248, 7 (= Ios. ibid. 5) *ἡ διηνεκὴς νῆψις καὶ τὸ μετρεῖσθαι παρ' αὐτοῖς τροφὴν καὶ ποτὸν μέχρι κόρου.* 13 p. 250, 1 (= Ios. ibid. 9) *τοσαύτη δ' ἐστὶν αὐτῶν ἡ λιτότης ἡ περὶ τὴν δίαιταν καὶ ὀλιγότης κτλ.* 14 p. 251, 6 *τοιοῦτο μὲν τὸ τῶν Ἐσσαίων παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις τάγμα. πᾶσί γε μὴν ἀπηγόρευτο ὑὸς ἐσθίειν ἢ ἰχθύων τῶν ἀφολιδώτων* (hoc ex loco Zeller p. 319 recte Essaeos utique ab esu carnium abstinuisse efficit). cf. c. 13 p. 343 A (de Aegypti sacerdotibus) *carnibus et vino se semper abstinuerint.* 9 cott. ieiun.] immerito H. fraudis a Bernays p. 153 et Luebeck p. 72 adn. incusatur. immo discendum est eum inter Essaeos numeravisse therapeutas Philonis, quorum ieiunia singularis generis reapse erant (cf. Wendland, *Die Therapeuten* eqs., *Jahrb. f. kl. Phil., Suppl.* XXII, 1896, p. 740 adn. 3): *περὶ β. θεωρ.* 4 p. 476 M. (72 Conyb.) *ἔνιοι δὲ καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ὑπομιμνήσκονται τροφῆς ... τινὲς δὲ οὕτως ἐνευφραίνονται ... ὑπὸ σοφίας ἑστιώμενοι ... ὡς ... μόλις δι' ἓξ ἡμερῶν ἀπογεύεσθαι τροφῆς ἀναγκαίας* (de victu tenui et caelibatu therapeutarum cf. p. 89 et Zeller III 2[4] p. 379). 10 propr. vol.] *περὶ β. θ.* facit H. pro Zellero p. 384 adn. 2 therapeutas cum Essaeis cohaerere defendente, cum Wendland l. l. p. 746 seqq. oblocutus sit. falso Hilberg *epist.* 22, 35, 8 p. 200, 7 *tales Philo* ... *Essenos refert* imprimis ad librum *περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον* (c. 12 t. II p. 457 seqq. M.) spectare

2 et *om.A* terra *C* pulv.] pupillo *S* capitis *A* 3 et *om.v* 5 historię *S* et *om.C* decimo octauo *A* 7 esseeos *S* ęsseos *C* 8 ab ux- *v* uxori *Ea.c.m2* se semper *A* (*cf. p. 415, 8*) abstinerint *S* 9 coti- *Ep.c.* uenterint *Ea.c.m2* uitā *C* 10 eanthes (E- δ*C*) *ESδC* Eantes *A* Neanthes *Hier. debuit*

piades Cyprius aetate qua Pigmalion in oriente regnabat, scribunt esum
carnium non fuisse. Eubulus, | qui historiam Mytrae multis voluminibus 344 A
explicavit, narrat aput Persas tria genera magorum, quorum primos, qui
sint doctissimi et eloquentissimi, excepta farina et holere nihil amplius in
cibo sumere. aput Eleusinam etiam volucribus et piscibus et quibusdam
pomis abstinere sollemne est. Bardesanes, vir Babylonius, in duo dog-
mata aput Indos gymnosophistas dividit. quorum unum appellat Bracmà-
nas, alterum Samaneos; qui tantae continentiae sint, ut vel pomis arborum B
iuxta Gangen fluvium vel publico oryzae et farinae alantur cibo; et cum
rex ad eos venerit, adorare illos solitus sit, pacemque provinciae in illorum
precibus arbitrari sitam. Euripides in Creta Iovis profetas non solum
carnibus, sed et coctis cibis abstinuisse refert. Xenocrates philosophus
de Triptolemi legibus aput Athenienses tria tantum praecepta in templo C
Eleusinae residere scribit: honorandos parentes, venerandos deos, carnibus
non vescendum. Orpheus in carmine suo esum carnium penitus detesta-

---

putat. v. etiam Bugge, *Zeitschr. f. d. neutest. Wiss.* XIV (1913) p. 145 seqq. Eanthes—417 2 fuisse] Porph. IV 15 p. 252, 1 *καὶ μὴν καὶ τοὺς Σύρους ἱστοροῦσι τὸ παλαιὸν ἀπέχεσθαι τῶν ζῴων κτλ.* ibid. 5 *προιόντος δὲ τοῦ χρόνου, ὥς φησι Νεάνθης ὁ Κυζικηνὸς καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ Κύπριος, κατὰ Πυγμαλίωνα τὸν γένει μὲν Φοίνικα, βασιλεύσαντα δὲ Κυπρίων, τὴν σαρκοφαγίαν παραδεχθῆναι κτλ.*

2 Eubulus—5 sumere] IV 16 p. 253, 12 *παρά γε μὴν τοῖς Πέρσαις οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ καὶ τούτου θεράποντες μάγοι μὲν προσαγορεύονται.* 253, 18 *διῄρηντο δὲ οὗτοι εἰς γένη τρία, ὡς φησὶν Εὔβουλος ὁ τὴν περὶ τοῦ Μίθρα ἱστορίαν ἐν πολλοῖς βιβλίοις ἀναγράψας, ὧν οἱ πρῶτοι καὶ λογιώτατοι οὔτ' ἐσθίουσιν ἔμψυχον οὔτε φονεύουσιν, ἐμμένουσι δὲ τῇ παλαιᾷ τῶν ζῴων ἀποχῇ.* *farina et holere* fortasse legebantur in lacuna p. 254, 9; cf. Nauck ad. l. 5 aput—6 est] IV 16 p. 255, 4 *παραγγέλλεται γὰρ καὶ Ἐλευσῖνι ἀπέχεσθαι καὶ κατοικιδίων ὀρνίθων καὶ ἰχθύων καὶ κυάμων ῥοιᾶς τε καὶ μήλων.* 6 Bardesanes—11 sitam] IV 17 in epitomam redactum; lectiones singulas perscripsi p. 151. 11 Euripides—12 refert] IV 19 p. 261, 5 *μικροῦ με παρῆλθε καὶ τὸ Εὐριπίδειον παραθέσθαι, ὃς τοὺς ἐν Κρήτῃ τοῦ Διὸς προφήτας ἀπέχεσθαι φησὶ διὰ τούτων.* quod de *coctis cibis* habet, eo reddere videtur quamvis ratione arbitraria Euripideum Porphyrii p. 261, 21 (frg. 471 N.²) *τοὺς* (*τάς τ'* codd.) *ὠμοφάγους δαῖτας* (cf. Bergk, *PLG.* II⁴ p. 32) *τελέσας.* v. Addenda. 12 Xen.—15 vesc.] IV 22 p. 267, 22 *τῶν τοίνυν Ἀθήνησι νομοθετῶν Τριπτόλεμον παλαιότατον παρειλήφαμεν· ... καὶ τῶν νόμων αὐτοῦ τρεῖς ἔτι Ξενοκράτης ὁ φιλόσοφος λέγει διαμένειν Ἐλευσῖνι τούσδε· γονεῖς τιμᾶν, θεοὺς καρποῖς ἀγάλλειν, ζῷα μὴ σίνεσθαι.* 15 Orpheus—419 18 excludere] Orphei, Antisthenis, Diogenis cynici exempla recte Bernays p. 159 seqq. et Nauck p. 269 seq. operi Porphyrii attribuunt. in quo cum ad calcem legatur 22 p. 267, 20 *λοιπὸν δὲ καὶ κατὰ ἄνδρα ὀλίγας μαρτυρίας τῆς ἀποχῆς παραφέρωμεν*, tamen nullum exemplum sequitur nisi unum Triptolemi, in quo textus servatus abrumpitur. at dissentio a Bernays et Nauck p. 344 D de Xenophonte (cf. infra). 15 Orpheus] cf. Lobeck, *Aglaophamus* t. I p. 246.
vocabulo *carminis* *ποίησιν* reddi et versus Orphicos in Porph. fuisse commonet Bernays p. 161.

2 qui] quoque qui *A* 4 farinę *S* ampl.] aliud *C* 5 etiam *om.A* 7 gimnosophi*|tas *S* gimnos et ophistas (et *del. m1*) 8 gynosophistas *C* (*cf. p. 384, 23*) unum] alterum *v* 8 arboris *C* 9 origae *A* et (*ante far.*)] vel *v* farineae *A* 10 illos] eos 8 prov.] suae *add.C* ill.] eorum *A* 11 arbitratur *A* 14 res'*dere (*sic*) *S*

tur. Pythagorae, Socratis, Antisthenis et reliquorum frugalitatem re-
ferrem in confusionem nostram, nisi et longum esset et proprii operis in-
digeret. hic certe est Antisthenes, qui cum gloriose docuisset rhetoricam
D audissetque Socraten, dixisse fertur ad discipulos suos: 'abite et magistrum
quaerite, ego enim repperi.' statimque venditis quae habebat et publice
distributis, nihil sibi plus quam palliolum reservavit. paupertatisque eius
et laboris Xenophon testis est in Symposio et innumerabiles libri eius, quo-
rum alios philosopho, alios rhetorico genere conscripsit. huius Diogenes
345 A ille famosissimus sectator fuit potentior rege Alexandro et naturae huma-
nae victor. nam cum discipulorum Antisthenes nullum reciperet et perse-
verantem Diogenem removere non posset, novissime clava minatus est, nisi
abiret. cui ille subiecisse dicitur caput atque dixisse: 'nullus tam durus ba-
culus erit, qui me a tuo possit obsequio separare.' refert Satyrus, qui in-
lustrium virorum scripsit historias, quod Diogenes pallio duplici usus sit

---

3 Antisthenes *eqs.*] cf. Laert. Diog. VI 2 *ὕστερον δὲ παρέβαλε Σωκράτει, καὶ τοσοῦτον ὤνατο αὐτοῦ, ὥστε παρῄνει τοῖς μαθηταῖς γενέσθαι αὐτῷ πρὸς Σωκράτην συμμαθητάς.* medii aevi expilatores Hieronymi praebet Knust ed. Burl. p. 152. 7 Xen. . . . in Symp.] 3, 8 et 4, 34—44. cum c. 13 p. 342 D bis Xenophonte Porphyrium auxerit (cf. p. 87 seq.) et I 45 p. 311 D Pantheam ex ipso Xenophonte deduxerim (p. 325 seq.), ne hanc quidem commemorationem eius inter Porphyriana habeo. in servatis partibus operis *περὶ ἀπ. ἐμψ.* nulla Xenophontis memoria est, quamquam in aliis libris Porphyrii reperitur ut *φιλολ. ἀκροάσ.* frg. Euseb. *εὐαγγ. προπ.* X 3, 9 seq. p. 465 b. 8 huius—419 13 excludere] Diogenis vitam praeter Bernays p. 161 seq. Leo, *Die gr.-r. Biogr.* p. 120 seqq. commentatus est et de communi Porphyrii et Laertii fonte egit; posteriores expilatores Hieronymi offert Knust l. l. p. 194 seqq. 9 potentior *eqs.*] imitatur Senecam, cf. p. 42 adn. 1. 10 nam—13 separare] cf. Laert. Diog. VI 21 *γενόμενος δὲ Ἀθήνησιν Ἀντισθένει παρέβαλε. τοῦ δὲ διωθουμένου διὰ τὸ μηδένα προσίεσθαι, ἐξεβιάζετο τῇ προσεδρίᾳ. καί ποτε τὴν βακτηρίαν ἐπανατειναμένου αὐτῷ τὴν κεφαλὴν ὑποσχών, 'παῖε', εἶπεν· 'οὐ γὰρ εὑρήσεις οὕτω σκληρὸν ξύλον, ᾧ με ἀπείρξεις ἕως ἄν τι φαίνῃ λέγων.'* in quibusdam propius ad Hier. Aelianus accedit *ποικ. ἱστ.* X 16 *ἐπεὶ ὁ Ἀντισθένης πολλοὺς προύτρεπεν ἐπὶ φιλοσοφίαν, οἳ δὲ οὐδὲν αὐτῷ προσεῖχον, τέλος ἀγανακτήσας οὐδένα προσίετο* (*discipulum* pro *discipulorum* a Bernays propositum et Nauckio placens refellitur Aeliano). *καὶ Διογένην οὖν ἤλαυνεν ἀπὸ τῆς συνουσίας αὐτοῦ. ἐπεὶ δὲ ἦν λιπαρέστερος ὁ Διογένης καὶ ἐνέκειτο, ἐνταῦθα ἤδη καὶ τῇ βακτηρίᾳ καθίξεσθαι αὐτοῦ ἠπείλει· καί ποτε καὶ ἔπαισε κατὰ τῆς κεφαλῆς. ὃ δὲ οὐκ ἀπηλλάττετο, ἀλλ' ἔτι μᾶλλον ἐνέκειτο φιλοπόνως, ἀκούειν αὐτοῦ διψῶν, καὶ ἔλεγε 'σὺ μὲν παῖε, εἰ βούλει, ἐγὼ δὲ ὑποθήσω τὴν κεφαλήν· καὶ οὐκ ἂν οὕτως ἐξεύροις βακτηρίαν σκληράν, ὥστε με ἀπελάσαι τῶν διατριβῶν τῶν σῶν.' ὃ δὲ ὑπερησπάσατο αὐτόν.* 13 Satyrus] cf. p. 136 adn. 1. 14 pallio *eqs.*] cf. Laert. Diog. VI 22 *τρίβωνα διπλώσας πρῶτος κατά τινας, διὰ τὸ ἀνάγκην ἔχειν καὶ ἐνεύδειν αὐτῷ, πήραν τ' ἐκομίσατο, ἔνθα αὐτῷ τὰ σιτία ἦν.* 23 *βακτηρίᾳ δ' ἐπεστηρίζετο ἀσθενήσας.* de pallio, pera, clava vitaque mendica Diogenis cf. Schwartz, *Charakter-*

1 frugalitate *Ea.c.m2* 2 et *prius*] ad *C* longa *A* esset (e *alt. ex* t) *E* esse *S* 3 glosae, rio *s.* sa *E* 5 quaerite] quęre∗te *S* enim] iam *add. AC* 6 plus] amplius *v* 7 laboris] et *add. C* 8 philosophico 8 ybetorico *ES* conscr.] scribit *C* 9 famosissimos *Ea.c.* victor humanae *v* 11 possit *S* minitatus *A* 12 d∗uru *Ea.c.* bacus *Ea.c.* 14 scribit 8*C* palliolo *v*

propter frigus, peram pro cellario habuerit secumque portarit clavam ad B
corpusculi fragilitatem, qua iam senex membra sustentare solitus erat, et
ἡμερόβιος vulgo appellatus sit, in praesentem horam poscens a quolibet et
accipiens cibum. habitavit autem in portarum vestibulis et in porticibus
civitatum. cumque se contorqueret in doleo, volubilem habere domum ioca-
batur et se cum temporibus immutantem; frigore enim os dolei vertebat in C
meridiem, aestate ad septemtrionem, et utcumque se sol inclinaverat, Dio-
genis simul praetorium vertebatur. quodam vero tempore habens ad potan-
dum caucum ligneum, vidit puerum manu concava bibere et elisisse illut
fertur ad terram dicens: 'nesciebam quod et natura haberet poculum.'
virtutem eius et continentiam mors quoque indicat. nam cum ad agonem
Olympiacum, qui magna frequentia Graeciae celebrabatur, iam senex pergeret, D
febri in itinere dicitur adprehensus incubuisse in crepidine viae, volentibus-
que eum amicis aut in iumentum aut in vehiculum tollere, non adquievit,
sed transiens ad arboris umbram locutus est: 'abite quaeso et spectatum
pergite; haec me nox aut victorem probabit aut victum. si febrim vicero,
ad agonem veniam; si me vicerit febris, ad inferna descendam.' ibique per E
noctem eliso gutture non tam mori se ait quam febrem morte excludere.
unius tantum philosophi | exemplum posui, ut formosuli nostri et tros- 346 A

---

köpfe aus der ant. Litt. II^{3} p. 7 seqq.; Zeller II 1^{4} p. 317 adn. 4; Gerhard, *Phoinix von Kol.* p. 206 adn. 6; Geffcken, *Kynika* p. 124; 140; al.

3 ἡμερόβιος] cf. Bernays p. 162. 4 habitavit—8 vertebatur] cf. Laert. Diog. VI 22 *ὅτε καὶ τοὺς Ἀθηναίους ἔφασκε, δεικνὺς τὴν τοῦ Διὸς στοὰν καὶ τὸ Πομπεῖον, αὐτῷ κατεσκευακέναι ἐνδιαιτᾶσθαι.* 23 *τὸν ἐν τῷ Μητρῴῳ πίθον ἔσχεν οἰκίαν, ὡς καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς διασαφεῖ. καὶ θέρους κτλ.* cf. Schwartz p. 14; Zeller ibid. adn. 5; Gerhard p. 117 adn. 1 et 2; Knust l. l. p. 195. 8 quodam—10 poculum] cf. Laert. Diog. VI 37 *θεασάμενός ποτε παιδίον ταῖς χερσὶ πῖνον ἐξέρριψε τῆς πήρας τὴν κοτύλην, εἰπών, 'παιδίον με νενίκηκεν εὐτελείᾳ'.* Plut. *πῶς ἄν τις αἴσθοιτο κτλ.* 8 p. 79 E. Sen. *epist.* 90, 14 *qui cum vidisset puerum cava manu bibentem aquam, fregit protinus exemptum e perula calicem ⟨cum⟩ hac obiurgatione sui: 'quamdiu homo stultus supervacuas sarcinas habui?'* (ibid. 119, 3 *manus concava*). Paul. Nol. *carm.* 32, 42 seqq. p. 331 H.

11 virtutem—18 excludere] inter varias veterum fabulas de excessu Diogenis (cf. Zeller II 1^{4} p. 284 adn.; Geffcken, *Zwei gr. Apol.* p. 111 adn. 4; Gerhard, *Zur Legende vom Kyn. D.*, *Archiv für Relig.* XV, 1912, p. 403 adn. 1) memoria Hieronymi singularis est, praeter quod huc facit Arrianus *τῶν Ἐπικτ. διατρ.* III 22, 58 *ἄκουε τί λέγει ἐκεῖνος πυρέσσων πρὸς τοὺς παριόντας· 'κακαί', ἔφη, 'κεφαλαί, οὐ μενεῖτε; ἀλλ' ἀθλητῶν μὲν ὄλεθρον ἢ μάχην ὀψόμενοι ἄπιτε ὁδὸν τοσαύτην εἰς Ὀλυμπίαν· πυρετοῦ δὲ καὶ ἀνθρώπου μάχην ἰδεῖν οὐ βούλεσθε;'*

19 unius *eqs.*] plura igitur exempla erant in Porph.; cf. etiam supra p. 344 C *referrem . . ., nisi et longum esset* eqs.

1 portaret *S* clauim ȝ ad] ob *AC* 3 *ημεροβιος recte E*ȝ *A* appellutus *S* hora *S* 4 in (*post* et) *om.A* 5 volubilem] se *add.v* 6 rigore *Ea.c.* 7 utc.] quocumque ȝ ubicumque *C* sol se *C* inol- *S* diogenes *ES* 9 manum *S* et *om.A* 10 ad terram fertur *S* haberem *Bernays, Theophr. p. 160* 13 febrę *C* in (*ante* itinere) *om.SA* accubuisse ȝ *AC* 14 que *om.C* 15 transiens (s *alterum p.r.*) *E* umbra *S* 16 febr. vic.] fecero *S* 17 ad*inf- *E* 18 mortem *S* excluderet (*sic*) *A* 19 unus *S* trusoli (u *ex* o) *E* trosoli *S* trosuli *A* trosulli *C*

suli et vix summis pedibus adumbrantes vestigia, quorum verba in pugnis sunt et syllogismi in calcibus, qui paupertatem apostolorum et crucis duritiam aut nesciunt aut contemnunt, imitentur saltem gentilium parcitatem.

1 pedibus summis *Ca.c.* 2 et—qui *Ep.r.* s*yllogismi *E* 3 paupertatem *A*

Vt summario Porphyriana Hieronymi complectar, cum illius libri quattuor ex temperantia (l. I), ex pietate (l. II), ex iustitia (l. III), ex historia et moribus gentium (l. IV) argumenta abstinentiae ab esu animalium repetant (cf. Bernays p. 14 et 18), maxime librum IV excerpsit; huius c. 21 ad locum communem de gentium in esu, conubiis, sepulturis varietate augendum c. 7 adhibuit; eiusdem libri capita reliqua ad cc. 13 et 14 condenda usurpavit, ita ut epitoma libri nasceretur. pari fere studio libri I argumentationem amplexus est, quae servato principali ordine Porphyrii c. 6 et cc. 8—12 decurrit. contra librum II peculiaris argumenti *περὶ θυσιῶν* (Bernays p. 33) neglexit, praeter quod singulorum locorum recordationem hic illic agnosco. item libri III rationem pythagoricam in metempsychosi et animae natura bestiarum et hominum cognata haerentem (Bernays p. 17) conscius dogmatis christiani sprevit. pro qua adscivit — ut simul cuncta animantia in usum hominum creata esse, simul abstinendum ab esu animalium esse doceret — c. 6 locum stoicum de materia medica ex bestiis tracta, adhibitum, ut conieci, a Chaeremone vitam asceticam 'antiquorum Aegypti sacerdotum' enarrante. atque ad Chaeremonem etiam capitis 7 argumentationem, quae item ut capitis 6 ratio medica a Porphyrio abest, referebam. Galenum c. 11 Porphyrio aggregavit incitatus doctrina de athletis in illo inventa, eundem Galenum c. 6 Chaeremoni, quo in capite praeterea medicina Plinii et Flavus medicus christianus respiciuntur. c. 8 Basilium Ancyranum imitatus est, c. 10 Sallustii sententiam Posidonianam attulit. Tertulliani librum *de ieiunio*, ad quem in christiana parte libri II artius se applicavit quam in libro I ad opus *de monogamia* (cf. Schultzen, *N. Jahrb. f. d. Theol.* III p. 497), etiam in saeculari parte (c. 5. 6. 11. 12) adhibuit; nec non alias imitationes Tertulliani (c. 9), Ciceronis (c. 5 et 8), Senecae (c. 11 et 14) usumque Xenophontis (c. 13 et 14), Philonis (c. 14), Terentii (c. 7), Horatii (c. 12) deprehendimus. nullum vestigium Origenis, cuius homiliam deperditam *de ieiunio* memorat *epist.* 33, 4, 9 p. 258, 19, apparuit.

INDEX RERVM

SVPPLETVR CAPITVM TABVLA

GRAECA

quomodo Seneca fontes graecos interpretatus sit 9 14, 3 121 349 seqq. 365 Hieronymus 9 30 85 Hier. Plutarchum 64 seqq. 71 (ornamento Plutarchum auget 188) Hier. Porphyrium 154 216 339 396—420 (ubi praecipue nota 405 v. 9 413 v. 6 416 v. 10 417 v. 12 et v. 15) Augustinus Porphyrium 202 Apuleius Gaium 138, 1 Macrobius Plutarchum 313 interpretes Sicilienses saec. XII : 93 termini morales latine redditi 205 seqq.

graecae litterae in codd. latinis: Senecae 114 Hieronymi 113 seqq. 236, 3 399 Tertulliani 118 399 Lactantii 236, 3 Augustini 118, 1 haec res momentum ad fontium quaestionem habet 114 seqq. 355 401

INDEX LATINITATIS

ADDENDA ET CORRIGENDA

p. 66 v. 6 *pro* *Ἰλιάς* *lege* *Ἰλιὰς*.
p. 91 adn. 2 adde: Bousset, *Goett. Anz.* CLXXVI (1914) p. 753 seq.
p. 123 adn. 1: de litteris oeconomicis et earum cum loco *περὶ γάμου* affinitate copiose agit F. Wilhelm, *Die Oeconomica der Neupythagoreer Bryson* eqs. (*mus. Rhen.* LXX, 1915, p. 161 seqq.).
p. 124 adn. 1: Bockio et Blochio accedit W. Kraemer, *de Aristotelis qui fertur oeconomicorum l. pr.* (diss. Giss. 1910) p. 74 seqq.
p. 155 adn. 1 v. 12 *pro* Io. Saresb. *lege* Vincentio Bellovacensi.
p. 191 adn. 1: Antipatrum Tarsensem, non Tyrium, eclogarum *περὶ γάμου* et *περὶ γυν. συμβ.* auctorem agnoscit etiam H. Cohn, *Ant. von Tarsos* (diss. Giss. 1905) p. 15 seqq. et 87 seqq.
p. 244 adn. 2: contra Dessau pugnat Baehrens *Hermae* L (1915) 265.
p. 260 adn. 1 v. 8 *pro τό lege τὸ.*
p. 278 adn. 1: Otto quoque *Iuno* eqs. (*Philol.* LXIV, 1905) p. 216 et Samter, *Realenc.* VI 2487 et 2490 Plutarcho fidem denegant, quos a vero aberrare ex Hier. intellegimus. certe aetate imperatoria Flaminica Iunonis ministra habebatur.
p. 291: ad Biliae laudes locos similes adnotat Wilhelm, *mus. Rhen.* LXX p. 198.
p. 350 v. 7 *pro* Hermachi *lege* Hermarchi.
p. 365: Phintyem a stoicis litteris pendere intellegit etiam Wilhelm, *mus. Rhen.* LXX p. 208 et 222.
p. 417 ad v. 11: *ὠμοφάγους* Euripidis Hier. cum omofagis sui aevi confundit, de quibus cf. e. g. Cassianum *inst.* IV 22 p. 62 V. (Zoeckler, *Askese und Mönchtum,* 1897, p. 237).